
43
4
F
17

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DECIMUSSEPTIMUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 812. USQUE AD AN. 850.









ROMÆ MDCCLXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

ADPROBATIONES.

LEgenti mihi decimumſeptimum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ volumen ab eruditiſſimo Romani Oratorii Presbytero Patre Gaſpare Saccarello elaboratum, nihil inveni, quod Orthodoxæ fidei, boniſque moribus adverſetur. Itaque ut in vulgus emitti poſſit, cenſeo.

Romæ Kal. Octobris 1788.

Joſeph Canonicus Reggi
Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

LEgi decimumſeptimum eccleſiaſticæ hiſtoriæ volumen a clariſſimo viro P. Gaſpare Saccarello Congreg. Oratorii de urbe Presbytero digeſtum, illudque immutabilibus fidei, morumque regulis ubique conſentiens inveni. Quare publica luce dignum cenſeo.

Joſeph Theoli S. Theologiæ doctor.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.


Fr. Xav. Passari Archiep. Larissen. Vicesg.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTO-



HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 812. LEONIS 3. PAPÆ 18.
CAROLI M. IMP. 13. MICHAELIS IMP. 2.



B reddita Orientalibus ecclesiis pace, hoc nostrum ecclesiasticæ historiæ volumen decimumseptimum initium ducit, qua firmata, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus ad Leonem Pontificem litteras dedit, ac munera misit, legatumque suum ad id opus delegavit Michaelem Sinnaculorum Episcopum, litterarum Nicephori hæc summa est. Nonnullis de pastorali sollicitudine præmissis, deque mercede iis promissa, qui laudabiliter muneri suo satisfaciunt, se quidem non ea virtute præditum fuisse ait, ut tanto oneri satisfacere possit; ac ad Episcopale munus subeundum, invitum pene, ac coactum fuisse addit, deinde anteactæ vitæ suæ rationem exponit, se scilicet in aula fuisse, ac in officio, quod a latinis dicitur a secretis, inserviisse; tandem vero rerum omnium caducarum vanitate cognita, dignitate contempta, aulaque relicta, in eremum, asperumque locum transiisse, ut ibi vitam cœlestibus rebus intentam duceret. At inde inquit, *abstractus, & in Regiam iterum ductus sum, tamquam sub Deo teste, decreto, & judicio eorum, qui in his sedibus collocati erant, & totius ecclesiæ cœtu sacro, ac consilio Senatus, suffragantibus*

JESU CHR. AN. 812.
Nicephori CP. Patriarchæ epist. ad Leonem Papam.

JESU CHR. AN. 812. *absque ulla tergiversatione & excusatione, quandoquidem jam urbis regiæ Præsul vitam cum morte commutaverat, ut homo humanam, me, licet admodum cunctantem, & non præsumentem ad hanc Sacerdotalem sedem deduxerunt, quod violentia potius, quam persuasione confectum est.* Atque ad id muneris se vocatum fuisse adnotat, cum adhuc in divinis pertractandis rebus inexpertus esset, utpote ex laicali statu, ad Episcopalem insulam translatus: hinc invidorum se telis expositum fuisse cum ejus ordinationi, ut vidimus, sanctissimi viri, & inter eos Theodorus studita, & Plato restiterint, deinde se Leonis Pontificis, ac Romani cleri orationibus commendat, quorum fidem Apostolus Paulus commendaverat. Ut autem eamdem se cum Romanis fidem tenere probaret, amplissimam fidei suæ professionem litteris suis inseruit, qua catholicam fidem juxta Nicænum, & CPolitanum symbolum se profiteri testatur, ac omnes hæreses, Arii præsertim, Nestorii, Eutychetis, Monothelitarum &c. aversari fatetur, ac se non solum in Sanctorum intercessionibus sperare, sed etiam venerandas imagines, earumque cultum amplecti, ac Nicænam, CPolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, Quintam sub Justiniani tempore celebratam, sextam contra Monothelitas et septimam, seu Nicænam secundam synodos contra Iconomacos, venerari, & amplecti profitetur. Quod vero tam sero huic officio suo satisfecerit, excusationem petit, ac temporum acerbitati tribuendam id esse precatur, cum hactenus ab scelerato Nicephoro Imperatore prohibitus fuerit, nunc vero mutatis rebus, se muneri suo satisfecisse addit, ac tandem legatum suum his verbis Pontifici commendat. *Michaeli autem sanctissimo Metropolitæ Sennaculorum Christo amabilis civitatis præsentes nostras synodicas litteras ferendas ad vestram dilectionem & amabilem fraternitatem commendavimus, & certi sumus de jam dudum accepta ejus apud vos appellatione & locutione, quod benigne a vobis videbitur & suscipietur. Rogamus autem & propter nostram parvitatem, ut majori cum benevolentia & familiaritate, quæ susceptionis sunt & honoris ei deferantur. Etenim erga vestram dilectionem valde ardenti & sincero amore afficitur, & in Ecclesiasticis rebus studiosum & alacrem sese præbet, sicut, & in sermone, & conversatione ac*

ac virtute ceteris antecellit, qui & debet, Deo bene juvante, & vos in hoc movente, dilectionis & concordiæ symbola, hoc est, honorandos vestros apices & syllabarum, quæ in manibus sunt, rescripta ad nos ferre ad majorem lætitiam nostram spiritualem, & perfectionem nostræ in Domino amabilis affectionis. Omnem vobiscum in Christo fraternitatem plurimum salutamus. Valens in Domino ora pro nobis sanctissime & beatissime Pater. De muneribus vero tunc missis addit. *In signum autem mediatricis inter nos in Domino dilectionis misimus vestræ fraternæ beatitudini Encolpion aureum, cujus una facies crystallum inclusum, altera picta nigello est, & intus habet Encolpion, in quo sunt partes honorandi ligni in figura Crucis positi, tunicam candidam & penulam castaneam inconsutilem, stolam & simichenium auro variata; & hæc suscipiens, Deo prosperante, & salvante, hanc miseram renovandæ memoriæ causa missionem benigne excipiens. Hæc in linteamine ingeniose involuta præcepimus plumbeo signaculo obsignari*. Hucusque Nicephori epistola, in qua de his quæ pertinent ad munera ab ipso ad Leonem Romanum Pontificem missa, quod primo loco sit adnumeratum encolpion, significari videtur eo nomine crux pectoralis ad collum appendi solita, quod in Octava Oecumenica Synodo, Actione quinta, illis verbis ostenditur: *Imposuit super colla nostra Encolpium*. Quid his litteris responsi dederit Leo Papa non constat. At non sine maxima animi lætitia legationem recepisse, ac paternis litteris respondisse, dubitari vix potest, etsi Leonis litteræ temporis decursu perierint.

JESU CHR. AN. 812.

2. Michael vero Imperator hoc anno, *zelo divino motus*, ait Theophanes, *in Manichæos, qui nunc Pauliciani, & Athinganos e Phrygia & Licaonia capitis pœna, Nicephori sanctissimi Patriarchæ, & aliorum devotorum hortatibus pronunciata, aliorum male feriatorum consiliis, pœnitentiæque ab istis ineundæ obtentu, ne sententiam exequerentur impeditus est: cum tamen fieri nequeat omnino, ut ii, qui in hoc errore versati sunt, usquam sincera pœnitentia ducantur. Porro isti dogmatum novatores palam asserebant Sacerdotibus haud licere capitalem sententiam adversus impios ferre: sed in eo divinis scripturis adversos simul se proferebant. Etenim si Petrus Apostolorum Coryphæus Ananiam*

Michael Imp. contra Manichæos gladio animadvertit.

A 2 *& Sap-*

Jesu Chr. an. 812.

& Saphiram unius mendacii reos morti addixit, nec non Paulus liquido testatur, qui talia perpetrant dignos morte esse, idque tantummodo pro corporali delicto: nonne Apostolorum adversarii atque dissimiles erunt, qui homines, tam animæ, quam corporis impuritate scatentes, & dæmonum obsequio mancipatos, gladio divinam ultionem peragenti eripient? Eorum tamen haud paucos pius Imperator Michael capitis abscissione damnavit.

Michaelis Imper. studium in hæresibus, & vitiis extirpandis.

3. His addit Theophanes, quod cum sub Nicephoro Imp. tum in ecclesia, cum in Imperio improbæ ubique segetes excrevissent, ad eas succidendas pii Michaelis Imp. studium vigilans non defuit. Ac in hæreticos Iconoclastas ecclesiam iterum turbantes animadvertit, atque ut narrat supracitatus auctor ex supradictis seductoribus falsum quemdam Eremitam, qui sanctissimæ Dei genitricis imaginem deposuerat, lingua recisa mulctavit, qui corpore, & anima mortuus est. Collegam vero ejus Nicolaum, se pœnitentiam acturum cum promisisset, ne pietatis larva, vel monachali habitu christianæ plebi illuderet, aut scandalo esset, in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi jussit. Pravos quoque mores sub Nicephoro in Christianorum animis, adeo inolevisse constat, ut adversus Michaelem morum probitatem restituere satagentem, non semel tumultuati fuerint; cum e contra gratias plurimas Deo rependere debuissent, quod sublato Tyranno idest Nicephoro omnium vitiorum autore & nutritore, misisset ad ea purganda Michaelem Angelum suum, quem ingratus populus diu habere non meruit: nam auferens illum Deus, deteriorem Nicephoro Leonem Tyrannum in eorum ultionem immisit; sed de his anno sequenti.

Nicephorus CP. Patriarcha hæreticos confutat.

4. Michaeli Imp. stimulos ad hæreticos persequendos, dedisse Nicephorum CP. Patriarcham, narrat Ignatius in ejus vita, ubi de adepta ab eo Patriarchali dignitate verba faciens post aliqua. *Zelo impulsus*, ait, *aliam init viam adversus, incredulorum absonas hæreses, quorum tum recens suscitata dementia, omni digna execratione misteria impudenter præsumebat celebrare, adversus Judæos, Phrigasque* (Montani sectatores) *& eos qui Manetis* (idest Manichæorum) *deliria sectantes, turbidum incredulitatis calicem insipienti-*

bus

bus propinabant. Fusiori itaque stylo librum conscribens, absonam eorum religionem ac superstitionem Imperatori declaravit, & quæ universum Republicæ corpus gangrenæ instar lædere atque inficere posset, arrepta semel agendi quod luberet licentia: eoque libello suppliciter oblato, Deicidas Judæos, & Phrygum prætensas nugas, Manichæorumque somnia ita perculit, ut nec labiis nefanda proferre auderent, sed in abdito & occulte erroris mussitarent deliria. Ablata est enim Regio edicto atque censura palam loqendi agendique fiducia, eoque impii adacti sunt, ut ne occulte equidem quidpiam agerent. De Manicheorum autem nece tunc facta Lucas siculus, qui desinente hoc seculo floruit, quique Manichæorum origines, progressusque exposuit, erroresque confutavit, ac anno 871. ad eorum Principem Basilii Imp. jussu legatus missus fuerat, ut ibidem dicturi sumus, hæc narrat. *Videns Michael pater piissimus Imperator, & qui post eum Regnum tenuit Leo variis & indignis modis infestari ab hæresi Christianos, missis in omnes Romani orbis partes litteris, omnes nefariæ sectæ participes necari jusserunt. Quare ut in Armeniam perlatum est regium edictum ad Thomam Episcopum Neocesareæ, & Paracordacem Præfectum, occidebantur regio jussu quotquot morte digni exitii duces reperiebantur. Post hæc quidam e Sergii discipulis, ii nimirum, qui Astati seu instabiles appellantur, Præfectum per dolum & proditionem ingularunt, & Cynachoritæ pariter Thomam Metropolitanum, arrepta protinus fuga, in Melitinem fugerunt. Erat tum per illam oram Saracenorum qui Sarden incolebant Amiras Monocherates. Ab hoc accepto ad habitandum Argeo, sedem inibi figunt Astari, & agmine facto, in omnibus circum locis populari, & prædas agere per Romanam ditionem incipiunt. Sergius porro cum in Argeo, annis aliquot cum discipulis hæsisset, justo tamdem Deo judicio, securi dissectus, ut qui Ecclesiam Dei dissecuerat, in ignem missus est sempiternum &c.* Cetera a Manichæis, vel contra eos gesta suo loco infra dicenda reservamus.

Crumnus Bulgarorum Rex fugitivos sibi reddi postulat.

5. Gravis interea inter clarissimos viros quæstio CPoli hoc anno exorta est, quæ Imperii Orientalis calamitates auxit. Cum etenim Bulgarorum Rex Crumnus, Dargamero legato ad Michaelem Imp. misso, pacem iis conditionibus pe-

JESU CHR. AN. 812. petiisset, sicuti olim sub Theodosio Adramytino, & Germano patriarcha firmata fuerat, quarum præcipua ea erat, ut fugitivi ex utraque parte redderentur, quod cum Bulgaris negatum fuisset, bellum adversus Romanum Imperium Bulgari susceperunt, quo innumeræ clades secutæ sunt, dum inter se Imperatoris consiliarii diffiderent, num ea de tradendis fugitivis conditio admittenda esset, quam sane pro bono pacis admittendam esse Episcoporum plurimi, & ipse Theophanes Abbas monasterii Agri, & historiæ auctor, censebat; alii ex adverso, atque inter eos Theodorus Studita, eam de reddendis fugitivis conditionem nequaquam admittendam esse censerent. *His* a Crumno Bulgarorum Rege acceptis conditionibus, ait Theophanes, *Imperator improborum consiliis ductus pacem admittere detrectavit. Falsæ quippe pietatis obtentu, dicam melius ignorantiæ, quæ rem communem perderet, ductu, consultores isti sinistri suggerebant, fugitivos minime restituendos, ac in datæ sententiæ argumentum Evangelica Domini auctoritate prolata, ad me accedentem, ajebant, non ejiciam foras. Medio vero Mensis Octobris decursu aciem instruxit Crumnus adversus Mesembriam*, qua intra mensis finem potitus est. *Imperator in mentis angustiam conjectus, mensis Novembris Kalendis, Patriarcha ad colloquium advocato, de componenda cum hostibus pace consilium quærebat. Aderant Conventui Nicænus, & Cyzicenus Metropolitæ, & ex pravis Consiliariis manus haud contemnenda. Ac Patriarcha quidem, & Metropolitæ Imperatoris sensum secuti pacem amplectebantur: sed improbi Consiliarii una cum Theodoro Studii Præposito, eversis contrariæ sententiæ dictis, eam rejiciebant, confirmantes pacem, quæ Dei mandata rescindat, non esse admittendam: Istud enim, Venientem ad me non emittam foras, Dominus decrevit, ajebant: quæ proferrent, & in cujus argumenta hæc producenda vere nescii. Primo quidem quoniam nemine ex eis ad nos transfugiente, eos qui inter Aulam erant, cum ipsos pace composita servare possemus, prodidimus. Secundo, quia licet quidam ex eis pauci transfugerint, plurium certe potius, ejusdemque nobiscum nationis & sanguinis consortium satagere, quam incertis nobis quibusdam propositis ficto quæstu ditescere decebat. Plures enim quam paucos servare Deo magis gratum est*, ac pessimos Consiliarios eos fuisse, *qui paci con-*

conficiendæ impedimentum apponere non sunt veriti, atque hæc Novembris die prima gesta sunt, ait Theophanes, cujus sententia etsi verior videri possit, cum eo præcipue inniteretur fundamento, quod publica, privatis utilitatibus præferenda sit, contraria tamen opinio non solum hoc tempore in aula CPolitana prævaluit, sed etiam sub Imperatoribus, qui Michaeli successerunt.

Græcorum sententia de non reddendis fugitivis prævalet.

6. Imperator etenim Constantinus Porphyrogeneta, qui Theophanis Chronographiam continuavit, non solum Theodori Studitæ, aliorumque sententiam probavit, sed Theophanis, aliorumque contrariam opinionem confutavit, ac postquam sub Michaele Imp. gesta narrasset, hæc tandem adnotat. *Quomodo enim non omnem humanitatis sensum exuisse arbitrandus est, qui hominem casu aliquo, aut vicissitudine in errorem prolapsum, patriaque* (qua nihil dulcius esse ajunt) *contempta, adhac uxore, & liberis, ceu ad aras inviolabiles, ad Romanæ Ditionis loca confugientem, Scythicæ gentis immanitati, cujus a feris nihil indoles differat, dedendos putaverit? Cum enim terribiles, trucesque ac feri sint, multos suorum id non ferentes, ad lenitatem & mansuetudinem nostram sæpenumero transire animadvertunt. Ne igitur universa ipsorum gens in nostram paulatim se se effundat, veriti eorum Principes, sæpius & ad nostram usque ætatem, multos de hac re sermones moverunt. In vanum tamen* (*quod communi fertur adagio*) *cecinerunt, viros nacti firmi propositi, & qui a sententia non facile dimoverentur. Brevi itaque cessatum mora, ambæque mox gentes ad arma concurrere*, ait Porphyrogeneta, quot inde clades ex negatis perfugis Imperio Orientali ex Bulgarorum incursionibus acciderint, dicemus anno sequenti.

Seracenorum Imperium in varia Regna divisum.

7. Ejusdem autem Imperii calamitates in immensum auxerunt, dissidia inter ipsos Seracenos exorta, quorum Imperium in varia Regna divisum fuit, unde in Romanas provincias quamplurimæ irruptiones sequutæ sunt. De Seracenorum dissidiis, hæc summatim ex Theophane referre sat erit. *Ceterum Maumed filiorum Aaron senior, ac gentis Imperio potitus, commisso cum fratre Abdala certamine in Persia interiore succubuit, arreptaque fuga Bagdam se recipiens locum occupavit. Damascum vero alius tyrannus obtinuit, & alii duo Ægyptum, & Africam inter se partiti sunt, & Palestinam demum al-*

JESU CHR. AN. 812.

alter prædonis in morem depopulatus est. Eademque fusiori etiam stylo Elmacinus in historia Arabica; Unde ex hoc tempore Seracenorum varia Regna in Oriente, in Ægypto, & Palestina exorta sunt, cum maxima earum gentium, & christianæ religionis pernicie.

Syria, Ægyptum, & Palestina Seracenorum irruptionibus direptæ.

8. De innumeris vero calamitatibus inde secutis, hæc idem Theophanes narrat. *Eodem etiam anno christiani plurimi, quum monastici, tum laici ordinis ex Palæstina, & universa Syria, intolerandum Arabum jugum, illatamque sibi vexationem fugientes, Cyprum se receperunt. Cum enim imperandi jus universum & potestatis legitime gubernantis ordo per Syriam, Ægyptum, Africam, & universam Arabum ditionem divulsus, ac penitus prostratus jaceret, cædes, rapinæ, adulteria, libidines, omnia denique scelera Deo odiosa, tam in pagis, quam in ipsis civitatibus ab ista gente cælitus profliganda admittebantur. Tum vero in sancta Christi Dei nostri civitate, sanctæ Resurrectionis, & Calvariæ veneranda loca, nec non alia quæque sacra vestigia prophanata sunt: celebresque illæ per desertum positæ Lauræ, SS. Charitonis, & Sabbæ, reliquaque Monasteria, & Ecclesiæ cunctæ desolatæ: Et Christianorum quidem nonnulli vitam martyrio commutarunt, alii Cyprum fuga lapsi, ex ea Byzantium petierunt, quos pientissimus Imperator Michael, & sanctissimus Patriarcha Nicephorus, sollicitis charitatis operibus relevandos curarunt*, quibus in urbe monasterium incolendum dedit, ad eos vero, qui Cypro se continuerant, pœcuniam misit, ut idem refert auctor.

Seraceni Italiæ Insulas, & littora prædantur.

9. Atque utinam tanta felicitate usi Seraceni, intra Orientalis Imperii fines se continuissent. Sed superbiores facti, arma in Italiæ quoque Insulas, & littora intulerunt, quorum strages etsi non minimæ fuerunt, non impune tamen ad sua redierunt, nam eorum pars maxima, Græcorum, & Italorum gladiis perierunt, rem gestam narrat Leo Papa in epistola ad Carolum scripta septimo Idus Septembris, qua hæc habet. *Vestræ siquidem a Deo sapientiæ incognitum non est, quod illa nefandissima Agarenorum gens partibus Siciliæ anno præsente venire consiliaverat. Nunc autem sicut audivimus, in quibusdam Græcorum Insulis conjunxerunt. Pro quibus vero misit Michael Imperator Patricium & Spadarios cum stolo, ut contra eos Christo adjuvante dimicare debuissent.*

sent. Cumque ipse Patricius in Siciliam conjunxisset, direxit Missos suos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum Ducem, ut cum toto ipso Neapolitano Ducatu, qui illi obedire voluissent navale auxilium ei præbere studuissent. Qui vero Dux occasiones proponens in adjutorio ejus ire contempsit. Cajetani tamen, & Amalphitani aliquanta congregantes navigia in auxilio illius abierunt. Postmodum vero, ut audivimus ingressi sunt ipsi nefandissimi Mauri, tredecim scilicet navigia, in Insulam, quæ dicitur Lampadusa, partibus Siciliæ constituta, & prædavere eam. Cumque de prædicto Græcorum stolo septem navigia itidem explorando perrexissent, ut veritatem cognoscere possent, comprehendentes eos Deo odibiles Mauri occiderunt illos: & dum expectassent eos Græci, qui miserunt illos ad explorandum, & minime essent reversi, abierunt generaliter super eos, & Christo miserante totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex iis vivum reliquerint. Porro & hoc relatum est nobis: quadraginta naves de ipsis Mauris venerunt in Insulam, quæ Pontias vocitatur, ubi monachi residebant, & prædaverunt eam. Postmodum vero egredientes ex ea ingressi sunt in Insulam quandam, quæ dicitur Iscla majore, non longe a Neapolitana urbe miliaria XXX., in qua familiæ, & peculia Neapolitanorum non parva invenerunt, & fuerunt inibi a 15. usque ad 12. Kal. Septembris, & numquam ipsi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam Insulam deprædassent, implentes navigia sua de hominibus, & ejus necessariis reversi sunt post se. Cajetani autem, qui post desolationem jam dictæ Insulæ ibidem fuerunt, dixerunt quod invenissent homines occisos jacere, & granum, & scirpha, quæ ipsi Mauri portare secum non potuerant, sed & caballos Lauriscos, quos in suis ducebant navigiis, occisos ibidem dimiserunt. Loca nihilominus, & jura Romanæ ecclesiæ, B. Virginis, & SS. Apostolorum ptotectione, *& per vestram prudentissimam ordinationem omnia salva & illæsa existunt*, addit, ex quo etenim de Seracenorum adventu in Tirrenum, & Mediterraneum mare nuncium acceperat. *Semper postera & littoria nostra ordinata habuimus, & habemus custodias*, ait, ac continuas tum pro ecclesiæ prosperitate, cum pro diuturno Caroli Imperio, cum clero suo Leo Papa præces Deo offerebat.

Jesu Chr. an. 812.

Jesu Chr. an. 812.

Saraceni Corsicam, Sardiniam, Centumcellas, Niciam excurrunt.

10. Varia quoque fortuna in Mediterranei maris littora, & Insulas excursiones hoc anno Seraceni ex Hispania progressi fecerunt, nam rupto, quod paulo ante pepigerant fœdere, Corsicam aggressi, multam inde prædam tulerunt. *At Mauris de Corsica ad Hispaniam cum multa præda redeuntibus, Irmingarius Comes Emporitanus in Majorica insidias posuit, & octo naves eorum cœpit, in quibus quingentos & eo amplius Corsos captivos invenit. Hoc mauri vindicare volentes, Centumcellas civitatem Thusciæ, & Nicænam provinciæ Narbonensis vastaverunt. Sardiniam quoque aggressi, commissoque cum Sardis prœlio, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt*, ait Eginhardus in annalibus ad hunc annum, eademque Annalista Loisellianus, qui hoc anno annales suos absolvit.

Pax inter Carolum, & Michaelem Impp. firmatur.

11. Etsi Græci Imperatores Carolo M., ejusque successoribus infesti ut plurimum essent, *propter susceptum a se Imperatoris nomen, quasi Imperium eis præripere vellet*, ut ait Eginhardus; de pace nihilominus inter utrumque Imperium firmanda legatos hinc inde missos fuisse supra narravimus. Quare ut idem Eginhardus in annalibus adnotat. *Michael factus Imperator, legatos Domini Imperatoris Caroli, qui ad Nicephorum missi fuerant, & CPoli suscepit, & absolvit*, seu dimisit, *cum quibus & Legatos suos direxit Michaelem scilicet Episcopum, & Arsaphium, atque Theognostum Protospatarios, & per eos pacem a Nicephoro inceptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, idest Græca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum .... appellantes, & inde revertendo Romam venientes in Basilica S. Petri* eumdem pacti, seu fœderis libellum a Leone Papa denuo susceperunt; Legatorum autem suorum pacta Michael confirmavit, uno excepto, quo Carolum Basileum, seu Imperatorem salutaverant, hunc etenim Imperatoris titulum Occidentalibus Imperatoribus Orientales Imperatores dare obstinato animo recusarunt, ut ex dicendis infra constabit.

Bernardus Caroli nepos Italiæ Rex dicitur.

12. De reliquis a Carolo hoc anno in Italia, Germania, alibique gestis, hæc narrat Eginhardus. *Legatis dimissis* (CPolim scilicet) *Imperator generali conventu Aquisgrani solemniter habito, Bernardum filium Pippini nepotem suum in Italiam misit: & propter famam Classis, quæ de Africa & de*

& de Hispania, ad vastandam Italiam, ventura dicebatur, Valanem filium Bernardi patruelis sui, cum illo esse jussit, quoad usque rerum eventus securitatem nostris afferret. Hæc Classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Classis etiam Nordmannorum Hiberniam Scotorum Insulam aggressa, commissoque cum Scotis prœlio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est. Pax cum Abulaz Rege Seracenorum facta. Item cum Duce Beneventanorum Grimoaldo, & tributi nomine 25. *millia solidorum auri a Beneventanis soluta. Expeditio facta ad Vultzos, & ab eis obsides accepti. Harioldus & Rageufridus, Reges Danorum, missa ad Imperatorem Legatione pacem petunt, & fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant.* De pace cum Abulaz seu Alaca Cordubensi Rege Seracenorum, pluribus agit Chronographus Moffiacensis. At fœdera cum Seracenis inita, vix ac ne vix quidem rata umquam ac tuta fuere, quibus fidem fallere familiare semper fuit.

JESU CHR. AN. 812.

13. Hoc tempore litteras ad Archiepiscopos Imperii sui, & Episcopos Carolus Magnus direxit, ut eorum scriptis certior fieret, an ipsi, eorumque Suffraganei Presbyteros, plebemque sibi commissam, de baptismi ritibus instruerent. Ex his epistolis ea superest, quam ad Odilbertum dedit, qua quid exquireret, his verbis indicat. *Nosse itaque per tua scripta, aut per te ipsum volumus qualiter et tu & suffraganei tui doceatis & instruatis Sacerdotes Dei, & plebem vobis commissam de baptismi sacramento, idest, cur primo infans catechumenus efficitur, vel quid sit catechumenus, deinde per ordinem omnia quæ aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundum Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, & cætera quæ sequuntur in eodem symbolo. De abrenuntiatione Satanæ, & omnibus operibus ejus, & pompis. Quid sit abrenuntiatio, & quæ opera diaboli, & pompæ ejus. Cur insufflatur. & cur exorcizatur. Cur catechumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo, cur scapulæ signantur, & quare pectus, & scapulæ lavantur. Cur albis induitur vestimentis; cur sacro chrismate caput pe-*

Litteræ Caroli Magni ad Episcopos de ceremoniis baptismi.

Jesu Chr. an. 812. *rungitur, & mystico tegitur velamine, & cur Corpore & Sanguine dominico confirmatur. Hæc omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage, & si ita teneas & prædices, aut si hoc, quod prædicas, te ipsum custodias. Bene vale, & ora pro nobis.* Hæc Carolus ad Odilbertum Mediolanensem Archiepiscopum, eademque ad ceteros Regni sui Archiepiscopos, non tam ut ipse hæc disceret, quam ut eosdem, vel eis subjectos Episcopos, & Presbyteros de exponendis ecclesiasticis ceremoniis, recteque administrandis admoneret.

De baptismi ritibus tractatus tunc editi.

14. His autem Caroli litteris excitati Archiepiscoporum, vel Episcoporum plurimi de baptismatis ordine, & ritibus tractatus ediderunt. Ex his Magnus Senonensis Archiepiscopus, & Joannes Arelatensis Theodulphum Aurelianensem Episcopum rogarunt, ut de baptismatis ordine tractatum ederet, quem ille Magno Senonensi Archiepiscopo inscripsit in capita 18. distinctum, ac inter Theodulphi opera a Sirmondo vulgatum est; Amalarius etiam Trevirensis Archiepiscopus librum de baptismate Carolo Imp. tunc dicavit, qui falso hactenus Alcuino inscriptus fuerat, ut adnotat Sirmondus in notis ab librum Theodulphi, Odilbertus etiam Mediolanensis Archiepiscopus litteris Caroli Magni acceptis, respondens interrogationibus ab eo sibi propositis satisfecit, his addendus tractatus Lairadi Lugdunensis Archiepiscopi de sacramento baptismi, cum epistola ad Carolum M. qua de ipso baptismate in genere prius agere opportunum sibi visum fuisse, ait, antequam ad singula capita sibi proposita responderet. Denique Joannes Cordesius Lemovicensis canonicus Hincmari opusculis subtexuit epistolam Jesse Ambianensis Episcopi cum hac Inscriptione. *Sacris Sacerdotibus, & in Christo omnibus Diœcesis nostræ digne militantibus Jesse humilis Episcopus in domino salutem &c.* Ac se gravibus negotiis implicitum ab Diœcesi quidem abesse narrat. *At breviter*, inquit, *vobis in quantum temporum adfuit spatium, qualiter a sacri baptismatis unda pervenire debeatis, scribendo perstrinximus &c.* Hæc, & alia ibidem, quibus constat ex his Caroli Imp. interrogationibus, Episcoporum plurimos excitatos, de sacris baptismatis ritibus, & cœremoniis tractatus edidisse.

15. Tria

Jesu Chr. an. 812. De Capitularibus hoc anno editis.

15. Tria etiam capitularia hoc anno in conventu Aquisgranensi, aut alibi ab Carolo vulgata exhibet Baluzius, quorum primo, & secundo de his, qui ad hostem pergere debebant, vel domi remanere, agitur, variosque abusus corrigendos esse admonet, dum Comites, Vicarii, vel Centenarii plurimos apud se, vel rebus suis inservientes retinebant, neminemque pretio, aut favore ab hoc servitio, nisi permissu Principis, a bellico servitio immunem esse declarat: ac quibus armis, vestimentis, & victualibus instructi, ad bellum progredi deberent, edocet. Atque quatuor exemplaria harum sanctionum facienda esse jubet, quorum unum Missi apud se retineant, alterum Comitibus detur, tertium Missis, qui super exercitum constituebantur, *quartum habeat Cancellarius noster*, ait Carolus. Tertium hujus anni capitulare justitiæ administrationem spectat, quam illibatam Comites exercere jubentur; Præcipit insuper Carolus, ut quater in anno Missi sui justitias exercere deberent, quæ usque modo de parte Comitum remanserunt, hac servata regula, ut quatuor tantum mensibus in anno eam exercerent. In hyeme Januario mense, in verno Aprili, in æstate Julio, in Autumno Octobrio. *Ceteris vero mensibus unusquisque Comitum placitum suum habeat, & justitias faciat*. Eodem in conventu Aquisgranensi datum est præceptum, seu privilegium Hispanis in Gallias profugis. *Datum in Aquisgranensi Palatio 4. nonas Aprilis*. Imperii sui an. 12. Regni in Francia 44. in Italia 38. Indictione quinta; Hispanorum quippe plurimi Saracenorum tyranidem aversantes in provincias finitimas Gallicô Imperio subditas citra Rubricatum positas olim transierant, quibus incultæ terræ datæ fuerant, ut eas excolerent, ibique habitarent, temporis vero decursu, cum ab Officialibus regiis vexarentur, injuriisque afficerentur, eorum plurimi ex clero, & populo, quorum nomina ibidem Carolus recenset, ad eum accesserunt, opem, protectionemque ab eo postulantes. Quare Carolus Comitibus suis *Guasculino*, aliisque ibidem nominatis, expositis Hispanorum querelis, & præcipue quod ex terris ab se culturæ redditis ejicerentur. *Jussimus*, inquit, *Joanni Archiepiscopo Misso nostro*, Arelatensi, *ut ad dilectum filium nostrum Lodovicum Regem veniret, & hanc causam ei per ordinem recitaret, & mandavimus illi ut*

JESU CHR. AN. 812.

ut tempore opportuno illuc veniens, & vos in ejus præsentiam venientes, ordinare faciat quomodo, aut qualiter ipsi Hispani vivere debeant. Propterea has litteras fieri præcepimus atque demandamus, ut neque vos, neque juniores vestri memoratos Hispanos nostros, qui ad nostram fiduciam de Hispania venientes, per nostram datam licentiam erema loca sibi ad laboricandum propriserunt, & laboratas habere videntur, nullum censum superponere præsumatis, neque ad proprium facere permittatis, sed quoad usque illi fideles nobis, aut filiis nostris fuerint, quod per triginta annos habuerunt per aprisionem quieti possideant & illi, & posteritas eorum, & vos conservare debeatis. Et quicquid contra justitiam eis vos, aut juniores vestri factum habetis, aut si aliquid eis injuste abstulistis, omnia in loco restituere faciatis, sicuti gratiam Dei & nostram vultis habere propitiam. Et ut certius credatis, de annulo nostro subter sigillari jussimus. Guitbertus Diaconus, ad vicem Ercanbaldi, qui Regni Cancellarius tunc erat, *recognovit. Datum &c.* ut supra.

Contentio inter Monachos, & Abbatem Monasterii Fuldensis.

16. Gravis etiam inter monachos, & Abbatem monasterii Fuldensis contentio hoc tempore exorta, ad Caroli tribunal delata est, ut his verbis narrat Annalista Cæsareus a Lambecio editus, ad hunc annum. *Facta est conturbatio non minima in monasterio S. Bonifacii, & fratres duodecim ex ipsa familia perrexerunt simul cum Abbate Ratgario*, tertio ejusdem monasterii Abbate, *ad judicium Imperatoris Karli, nec tamen illa commotio quievit &c.* Tuldensius monachorum libellum adversus Abbatem, querelarum plenum, ac viginti capitibus distinctum Carolo obtulit, quo constat, non disciplinæ zelo, sed ex cœco ferocioris naturæ impetu, justis monachorum querelis Ratgarium occasionem dedisse cum in monachos sibi subditos, non aliter, quam in vilissima mancipia, ageret, ita ut, dum immensa & superflua ædificia ad pompam, & luxum extrueret, sibique omnia vindicaret, monachis ad victum, vestitumque necessaria negaret. Reversus interea Ratgarius, cum in eadem agendi perversitate, & austeritate perseveraret, Episcopos illuc quatuor Carolus misit, qui *sanaverunt commotionem illam in monasterio S. Bonifacii*, ut idem narrat auctor. Cum tamen durioris ingenii homines vix emendari pos-

possint, paulo post eadem recruduit contentio, ac tandem ut in Annalibus Fuldensibus legitur anno 817. *Ratgarius Abbas Fuldens: Monasterii accusatus a fratribus, & convictus deponitur*, cujus nomen ex Abatum catalogo abrasum fuit, uti apud Pagium, vel Mabillonium videre est, Radgarii feritatem ingenii exhibet vetus schema a Modesto Abbate ad æternam ejus ignominiam positum, quo Radgarius ipse cum pedo pastorali absque monastico habitu exhibetur, opposita Rinocerotis imagine infesto cornu in oves incurrentis, cum hac Epigraphe. *Ratgari Abatis schema* ut apud Mabillonium tom. 2. Annal. an. 815. pag. 417. JESU CHR. AN. 813.

JESU CHRISTI ANNUS 813. LEONIS 3. PAPÆ 19.
CAROLI IMP. 14. LEONIS ARMENI IMP. 1.

Michael Imp. adversus Bulgaros exercitum ducit.

1. Oblatam a Bulgaris pacem sua, vel consiliariorum imprudentia recusasse Michaelem Imp. anno proximo adnotavimus. Quamobrem a perfugis christianis admonitus Michael, quod Crumnus Bulgarorum Dux Thraciam vastaret, educto protinus exercitu die 15. Februarii Bulgarorum Ducem pedem retrahere coegerat, ut ait Theophanes. *Imperator* vero Adrianopolim se conferens, rebusque ibidem compositis, in urbem reversus. *In sancti Patriarchæ Tarasii monasterium una cum Procopia Augusta profectus, defuncti memoriam justis parentatis sacrum ejus sepulchrum laminis argenteis pondo nonagintaquinque librarum circumtexit*. Deinde ut Mesembriam Romanis ereptam vindicaret, iterum cum exercitu urbe egressus Michael Imp. in Bulgaros arma intulit, quem Procopia Augusta usque ad aquæductum juxta Heracliam prosecuta est. Cumque mensis Maii die quarto solis deliquium contigisset, ingens militum animis terror incubuit, Thraciam vero Romani milites ingressi, nil memoria dignum egerunt, nec Mesembriam aggressi sunt, cum rebus ad bellum, & victum necessariis carerent, rapinis tantum oppidanos vexarunt, ita ut eorum adventus, barbarica excursione gravior esset. Interea *sub mensis Junii principium Crumnus Bulgarorum Princeps aciebus ad pugnam paratis, Christianorum exercitum numerosissimum esse suspicatus, in Romanos movit, & ad Bersiniciam trigesimo circiter lapide ab Imperatoris castris sua posuit*. De belli exi-

Jesu Chr. an. 815. exitu sollicitus Nicephorus Patriarcha CP. cum clero, & populo litanias in urbe ad Apostolorum ædem celebravit. Interea *cum quidam ex sectatoribus hæreseos, quem Deo exosus* Constantinus foverat, idest ex Iconoclastis, effracto Imperatorum sepulchro, ejusdem defuncti auxilium implorassent, dicentes *Exurge, & Reipublicæ jam pereunti succurre*, eumque, qui tartarum cum Dæmonibus incolebat, apparuisse dixissent, eosdem urbis præfectus meritis affecit suppliciis, ut idem auctor narrat.

Infelix belli exitus, Michael Imp. in urbem redit, sponte, vel invitus Imperio renunciat.

2. Mensis porro Junii die 22. pugna commissa, *Christiani in prælio pessime se gesserunt*, cum vix collatis armis in ipso pugnæ initio, ab ea velocissime se subduxerint, ita ut Crumnus ipse, spectaculi novitate perterritus ac sibi insidias parari timens, *ne fugientes insequerentur, suos aliquandiu destinuit*: ubi vero eos fugere animadvertit, *hostes* a tergo insectatus, castris eorum, & opimis spoliis direptis, stragem maximam edidit. Imperator vero Michael fuga pariter elapsus die 24. Junii urbem ingressus est, ac *Imperium quidem deponere, aliumque Principem in thronum subrogare meditatus, ab uxore, & Proceribus consilium exequi non est permissus*. At duces, & militares copiæ *de Imperatoris fuga certiores factæ ab hujuscemodi homine se imperari non amplius ferendum ratæ, consilio inter se inito Leonem Orientalium ducem rogarunt ut bono publico consuleret, & christianam Rempublicam erigeret. Ille ruinam Imperio imminentem, & Barbarorum, qui vix reprimi possent, violentas excursiones mente perpendens, fideique erga Impp. servandæ, suique ipsius a fraudis labe immunem custodiendi studiosus, aliquo tempore substitit, & pro viribus dignitati admittendæ moras opposuit. At cum hostem magnis itineribus ad Urbem contendere animadvertit, a Patriarcha Nicephoro, quem de recta sua in Deum fide certiorem fecit, ut ex ipsius nutu, ejus prece comite projectum colligat Imperium, per litteras expetiit. Tum vero Ducibus, & universis agminibus stipatus, in Tribunal ante Urbem positum conscendens, legitimus Romanorum Imperator salutatur: medioque jam die CP. porta, quæ Chryse dicitur ingressus, in Regiam se confert*. Ait Theophanes. Ejusdem tamen Leonis perfidia Romanorum stragem contigisse, ut viam sibi ad Imperium aperiret, Cedrenus ex Curopolate, & Nicetas in vita S. Ignatii

tii Patriarchæ CP. narrant, quem etiam militum animos sollicitasse adnotat Constantinus Porphirogeneta, qui hæc narrans, postquam ad pugnam ineundam Michaelem invitum excitasse dixit, hæc addit. *His Michael verbis a sua in diversum actus sententia, pugnam conferri jussit, moxque prima ipsa congressione, Leo terga vertens, fugam capessit, quippe tyrannidem continue meditans, etsi hactenus ejus hoc consilium, tum Michaelem, tum hostes latuerat*. Ubi autem Romanos fugere animadverterunt, impetu in eos facto, maximam Romanorum militum stragem ediderunt, post aliqua tamen hæc addit auctor. *Non desunt, tamen, qui Leoni potius tribuant copias conservasse, ac strenue pugnasse, cum Aulici ac Palatinæ cohortes ignavia acti ultro fugam iniissent, atque aciem suam prodidissent, non quæ ex Leonis partibus essent*, Constantinopolim autem Imperator celeri fuga reversus Leonem cum electa militum manu ad comprimendos hostes, misit ne liberius excurrendo prædas facerent, agrosque popularentur, eaque occasione accepta, militum animos ad defectionem sollicitavit, turpe esse dicens Leonum agmen ab Cervo, ut est in fabula, duci, quo factum est, ut Leo Imperator ab exercitu miro consensu diceretur.

Michael Imp. fit monachus Leo Imperium obtinet.

3. Michael autem Imp. Leonis inauguratione *audita*, subdit Theophanes, *cum Procopia uxore, & liberis in Oratorium, quod ad forum est confugiens capillis detonsis una cum suis Monasticum habitum induit. Postera luce, quæ Julii mensis fuit undecima, in magnæ ecclesiæ ambone a Nicephoro Patriarcha coronatus est Leo Imperator*. Eademque fusiori stylo narrant Constantinus Porphyrogeneta, & auctor ignotus, qui res gestas Leonis filii Bardæ Armeni prosequutus est, Theophanis historiæ adjunctus, adduntque Michaelis filios, Theophylatum scilicet, imperatorem jam a patre dictum, & Nicetam optimæ spei juvenem, non solum attonsa coma in monasterium relegatos, sed etiam Eunuchos factos fuisse, ne ulla ad Imperium recuperandum via eis pateret, aut spes remaneret, quorum primus idest Theophilatus cum habitu, nomen quoque mutavit, & Athanasius dictus est, alter vero Ignatius, qui postea CPolitanus Patriarcha fuit, ut infra suo loco videbimus.

4. Mi-

Jesu Chr. an. 813.

Leo Armenus fidei professionem edere recusat.

4. Michaele interea, summæ pietatis, sed summæ etiam inertiæ viro, utpote rerum administrandarum inexperto, ut ait Theophanes, qui *Theoctisto Magistro, cæterisque proceribus servili more se submitteret*: Eo, inquam, ab Imperii administratione submoto, Leo Armenus dictus, filius Bardæ successit, vir quidem bellica virtute præclarus, at moribus, & mente corruptus, ut inter sceleratissimos, & hæreticos accenseri meruerit, ejusdemque impietatis non obscura, vel in ipso inaugurationis suæ ad Imperium die, indicia dedit, nam ut narrat Ignatius Diaconus in vita S. Nicephori Patriarchæ capite 32., rogatus a Patriarcha, ut antequam Imperialem coronam in ecclesia a Patriarcha acciperet, fidei professionem emitteret, suaque subscriptione firmaret, ut ab præcedentibus Imperatoribus factum fuerat, etsi verbis promiserit se id facturum, postquam corona redimitus fuisset, altera, ab assumpta purpura, die, cum iterum Nicephorus eum urgeret, ut rectæ fidei subscriberet. *Is se facturum fortiter pernegat, mendacio namque purpuram inficiens, & primo experimento Protheum exhibens, alium se, atque alium adeuntibus præbebat*, ait Ignatius, eademque Constantinus Porphirogeneta, & auctor gestorum ejus apud Theophanem. Unde *mendax*, ait, *& ut vulgo fertur Cameleuntem varios induere colores, ita & ipse sermone varius semper fuit, nonnumquam probis præditus moribus, & bonus apparens, quandoque etiam contrariis affectus*. Quem sane hæreticum, ecclesiæque infensissimum fuisse ejusdem gesta aperte monstrabunt.

Crumnus Bulgarorum Rex CPolim obsidet strages ibidem, alibique factæ.

5. Crumnus porro Bulgarorum Rex victoriis elatus, fratre ad obsidionem Adrianopolis, cum copiarum parte relicta. *Post dies sex a demandato Leoni Imperio, cum maximo peditum, equitumque numero ad Urbem proprius accedens, ostentata exercitus sequentis se virtute, ad muros a Blachernis ad Chrysen usque portam protensos obambulabat; prophanisque, & vere demoniacis sacrificiis ad pratum Chryse portæ adjacente peractis, in ipsam Crysem portam hastam infigere ab Imperatore expetiit, quo petita respuente, in proprium tentorium recessit. Cum autem civitatis muros & instructissimum Imperatoris exercitum haud sine admiratione vidisset, obsidionem ponere posse desperans, ad pacis ineunda fœdera convertitur. Num igitur pacem Romani expeterent, inito cum eis colloquio*

ex

experiri tentavit. Imperator occasione captata lancea perfodere molitus est: Verum delictorum nostrorum multitudine prohibitus, & ad hujusmodi trophæum excitandum sociorum ineptitudine delusus, cœptum opus in felicem exitum deducere non valuit. Crummo enim facinoris administri plura vulnera inflixerunt, nullum tamen intulerunt lethale, ex quo in rabiem versus homo perditissimus, expeditis militibus ad sanctum Mamantem missis, Palatium ibidem erectum igne supposito consumpsit. Tum vero æreo Circi leone, & Hydrii dracone cum selectoribus marmoribus in currus conjectis, retro pedem tulit, & obsidione ad Adrianopolim posita, eam demum armorum vi subegit. Ait Theophanes, hisque historiæ suæ finem imposuit. De insidiis vero ex Leonis perfidia Crumno paratis, deque innumeris cladibus inde secutis, cum ab urbe discedens exasperatus & efferatus, cuncta ubique igne ferroque vastavit, agens Anonymus auctor, qui Leonis Imp. gesta refert, hæc addit. *Præclaras trans civitatis portum ecclesias, ab Irene, Nicephoro, & Michaele reparatas ecclesias, nec non monasteria, Palatia, domos, suburbana conbusserunt. Ad sanctum Mamantem pariter progressi, Palatiis ibidem constitutis, geminisque cubiculis ignem subjecerunt, columnas fregerunt, & plumbum repertum rapuerunt, animantiumque statuas in circo positas tulerunt secum, captivos omnes dederunt neci, nec jumentis ipsis & animalibus pepercere*, ait idem Anonymus, eademque Simeon Logotheta in annalibus, ac vita Leonis Armeni capite octavo, civitates etiam, & oppida ab Crumno tunc incensa, vel eversa, cum habitatoribus suis ibidem enumerat; ita ut vix ab puerorum, & mulierum nece alicubi abstinuerint, quas in Bulgariam transtulerunt, tandem a Regia urbe, *cunctas urbes a minima ad maximam Adrianopolim usque destruxerunt.*

Adrianopolis a Bulgaris expugnatur.

6. De Adrianopolis vero expugnatione subdit. *Adrianopolim munitam reperientes obsederunt, quam cum expugnare non possent, protractis obsidionis diebus, machinis instruxerunt, & Castrum oppugnaverunt: Cives malis coarctati, ope destituti, & fame pereuntes hostibus fecere deditionem. Bulgari captivis ad numerum immensum abductis, ablata quoque eorum suppellectile in Bulgariam trans Istrum flumen deportaverunt. Hæc dum gererentur, Urbe non egressus est Leo,*

Jesu Chr. An. 813. *Leo, sed Imperium tyrannice tenebat. Celebratis autem Festis* (vel *cum jam Festa venissent Natalitiorum solemnia*, ut rectius vertit locum illum Combefisius in Annal. Symeonis Logothetæ) *filium adhuc pusillum Symbatem nomine, Constantinumque vocari mentitus, Stemmate redimivit: residuique populi multitudine ex variis Urbibus congregata collegit exercitum, stipendioque dato Leonem, & Constantinum faustis acclamationibus prosequi jussit Imperatores sceptra pridem consecutos, Leonem & Constantinum Isauros imitatus, quorum hæresim renovavit, sibique multos annos eorum instar, & ut laude conspicuus foret, comprecatus, cujus Deus imminutis ejus, filiique annis consilium confudit*. Atque de gestis hoc anno hactenus, ob id præcipue Leonis Imp. stultitiam arguens, quod cum ob aquarum copiam flumen traijcere cum captivis, & spoliis Bulgari non possent, ac per dies quindecim ad fluminis ripas stetissent. *Leo nuncio ab eis accepto, ut opem ferret, non advertit, neque urbe egressus est, nec alios quosvis in auxilium summisit*. Itaut redeunte aeris serenitate, cum immensa civium, & tota Adrianopolis suppelectile, nullo prohibente Bulgari flumen transgressi, in Bulgariam redierunt.

Manuel, aliique captivi christianam fidem apud Bulgaros inserunt.

7. De eadem Adrianopolis obsidione Curopalates, quem Cedrenus exscripsit, agens, addit. Inter captivos inde abductos *Manuel etiam Archiepiscopum in Bulgariam transtulit. Eo igitur tempore cum aliis parentes quoque Imperatoris (Basilii scilicet Macedonis) lac adhuc sugentem secum ipsum deferentes in Bulgarorum regionem abducti sunt. Ubi & ipse inclitus Archiepiscopus, & Imperatoris parentes incorruptam fidem servantes, Bulgarorum plerosque ad Orthodoxam fidem traduxere, cum nondum gens illa ad verum Dei cultum adducta esset, & in plurimis Bulgariæ locis Christianæ doctrinæ semina jecere &c.* Sicque (quod alias contigerat) barbarorum incursiones, evangelicæ propagationi Deus, qui ex tenebris lumen splendescere jubet, inservire fecit, ibique evangelii semina, sanctorum martyrum sanguine aspersa, in multam segetem crevere, ut sequentibus annis dicturi sumus.

Theophanes historiam suam absolvit, ejus.

8. Usque ad Adrianopolis expugnationem historiam suam, sive chronographiam perduxisse Theophanem adnotavimus, eamque, ut idem in proemio admonet, Georgii Ab-

Abbatis, & Syncelli Tarasii Patriarchæ, qui compendiariam, ut ait, historiam ab Adamo, usque ad Diocletiani tempora perduxerat, exhortatione excitatus, scribendam susceperat, & ne opus imperfectum relinqueret, ab Georgio amico, dum moreretur, rogatus, res ab Diocletiani Imperio, usque ad Leonis Armeni Imperium, atque ad labentem annum historiam suam perduxit, ut idem in proemio adnotat. *Quocirca*, inquit, *ejus monitis morem gerere compulsi, molem robore nostro longe graviorem subire, ac pene dicam immensum laborem exhantblare suscepimus. Multis siquidem voluminibus diligentius exquisitis, & quantum facultas & ingenium dedit, examinatis, præsentem chronographiam a Diocletiani temporibus, ad Michaelis, & Theophilacti ejus filii Imperatorum, Reges insuper, & Patriarchas, nec non eorum gesta, & ætates, qua par fuit sedulitate, ex proprio penu nihil depromentes, aut conferentes in unum digessimus &c*, Theophanis vero historiam continuarunt Leo Grammaticus, quem Combefisius in notis ad ejus historiam ostendit, supparem illis fuisse, quorum res gestas prosecutus est. Præterea *Auctor incertus* coævus, qui narrat quæ tempore Leonis Armeni contingere, *Constantinus Porphyrogeneta*, qui sæculo sequenti Constantinopoli imperavit, quem *Auctor* alios *incertus* continuavit, *Symeon magister* & Logotheta, vulgo *Metaphrastes* appellatus, & *Georgius Monachus* qui in Constantino iterum imperante desinit. Hos omnes Historicos præter Leonem Grammaticum & priorem Auctorem incertum Combefisius e Græco in Latinum vertit, horumque opera annales ecclesiastici mirifice illustrantur, quos utpote nondum in lucem editos, Baronius consulere non potuit. De Theophanis autem pietate nonnulla ad annum 777. adnotavimus, cum inita ab eo pro pietate certamina sub Leone Copronymo exposuimus. De quo iterum sermo redibit, cum ab Leone altero idest Armeno, ad certamina revocatus, martyr etiam occubuit.

Jesu Chr. an. 813.

continuatores.

9. De Caroli Imperatoris gestis hoc anno acturi, primo se offert Leonis Papæ epistola ad eum, *tertio Idus Novemb. absoluta*, seu data, qua epistolam ab Duce Siciliæ Præfecto acceptam, de decennali cum Seracenis inito fœdere, misit, ac de iis, quæ ab missis ex Sicilia audierat, certiorem his verbis reddidit. *Tertio Idus Novembris suscepimus*

Leonis Papæ epist. ad Carolum de pace cum Seracenis facta.

JESU CHR. AN. 813. *pimus epistolam Gregorii Patricii Siciliensis, responsum scilicet Serenitatis vestræ epistolæ, quam illi per hominem nostrum emisimus. Vobis siquidem pro qua causa ignoramus, epistolam nomini vestro titulatam non emisit, illam tamen, quam nobis direxit epistolam, de qua vobis exemplar, aut postquam eam legeremus a nostro sigillo vestræ Imperiali potentiæ dirigere petivit. Nos pro vestra satisfactione, neque eam ad legendum aperuimus, neque quod in ea continetur cognovimus, nisi quod per illum Missum nostrum nobis in verbis direxit. Idest de illis Saracenorum Missis, cum quibus pactum confirmavit ipse Patricius in annos decem &c. Ac primum fractam ab ipsis Seracenis fidem non semel datam cum exprobrasset Patricius, eam se posthac servaturos fore dixerunt Seraceni. Deinde de Spanis vobiscum non respondemus, quia non sunt sub ditione regni nostri: sed in quantum valemus eos superare, sicut vos, ita & nos contra illos in mare dimicare permittimus: & si soli nos non valemus, nos a parte nostra, & vos a vestra Christianorum finibus eos abjiciemus. Post hæc vero convenit illis, & confirmavere in scripto inter se pactum in annos decem, & dedit eis Missum nomine Theopistum notarium, & reddidit illis quantos habuit comprehensos de ipsis Saracenis, ut illos Christianos, quos de suis partibus prædaverant, reddidissent. Et postquam jam dictum pactum inter se firmaverunt, & missus ab ipso Patricio absolutus est, invenit in catena unum hominem, ab nimia velocitate ad Patricium nunciare festinans, quod septem navigia Maurorum prædaverunt unum vicum in Regio, & duæ naves ex eis post eos ad littus exierunt vacuæ. Nam & hoc nunciavit nobis ipse missus noster, quod audisset ab hominibus Saracenorum missis, quod isto Junio mense transactæ sextæ indictionis voluissent cum aliis centum navibus ad Sardiniam peragrare, & dum venissent prope Sardiniam subito aperta est maris vorago, & subglutivit illa centum navigia, & postmodum sic cum magno timore reversi sunt ipsi Saraceni, qui hoc dicebant in Africam, & nunciaverunt ad familiam de illis qui submersi sunt. Dumque ipse missus noster talia audisset, interrogavit illum notarius, qui eum custodiebat si veritas esset, quæ ab illis Saracenis audierat: & dixit ipse notarius quod ita esset, & ipse ore proprio legisset ad Patricium illam epistolam, quam ei unus Christia-*

stianus amicus suus ab Africa direxerat, in qua de submersione de prædictis centum navigiis continebatur. Et hoc factum est mense Junio, quando illud signum igneum tamquam lampadem in cælo multi viderunt. Ipsi vero Missi Saracenorum in navigiis Venecicorum venerunt, & sic veniendo combusserunt igne navigia quæ de Spania veneбiant. Ecce quod per hominem nostrum audivimus Serenitati vestræ intimare curavimus, sed precamur Serenitatem vestram, ut postquam ipsa epistola Gregorii Patricii relecta fuerit a vobis, nobis eam dirigere non dedignemini. Quod vero ad eum non scripserit Patricius Siciliæ, hanc habuisse causam Leo Papa suspicatur. *Quia sine consultu Leonis Imp. sui non ausus est vobis adhuc epistolam suam dirigere &c.*

Leonis epist. altera ad Carolum de gestis CPoli.

10. Alteram paulopost ad cumdem Carolum Leo Papa dedit epistolam septimo Kal. Decembris, qua multa de iis, quæ CPoli Michaelem inter, & Leonem Imperatorem contigerant, Carolo prout fama acceperat, nunciavit, quæ nihilominus falsa ut plurimum erant, unde nonnulla idem Pontifex epistola eadem retractavit. *Postmodum vero*, addit, *conjunxit ad nos* (idest pervenit) *unum hominem Gregorii Patricii, qui dixit nobis, quod neque Patriarcham occiderunt, neque uxorem Leonis Imp. exorbaverunt*, seu excœcarunt, *sed neque filius ejus interfectus est &c.* Hæc & alia, *quæ Serenitati vestræ intimare curavimus* ait Pontifex, atque hæc inter Leonis tertii epistolas ad Carolum datas, ultima est.

Carolus legatos CPolim mittit.

11. De gestis autem Caroli hoc anno Eginhardus in Annalibus, hæc summatim capite undecimo refert. *Imperator Aquisgrani hyemavit, & incipiente verna temperie Amalharium Trevirensem Episcopum, & Petrum Abbatem Nonantulæ propter pacem cum Michaele Imp. confirmandam CPolim misit*. At Caroli legati post Michaelis exauctorationem CPolim ingressi sunt, & a Leone accepti, anno sequenti cum legatis suis dimissi sunt, ut suo loco dicetur.

Lodovicum filium Imp creat.

12. Deinde *habito generali conventu, evocatum ad se apud Aquisgrani filium suum Ludovicum Aquitaniæ Regem, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis consortem fecit, Bernardumque nepotem suum Pippini sui filium, Italiæ præfecit, & Regem appellari jussit*. Quem anno proximo in Regem Italiæ designatum, vel etiam missum, ut ibidem diximus,

JESU CHR. AN. 813. mus, hoc anno in publico conventu, iterum confirmavit. Sed quæ Ludovici coronationem præcesserint, aut comitata fuerint his verbis narrat Theganus coevus scriptor in commentario de gestis Ludovici Imp.. *Supradictus vero Imperator cum jam intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui (senuerat enim valde) vocavit filium suum Ludovicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis: habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani Palatio, pacifice & honeste admonens, ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes a maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, idest, Imperatoris, filio suo Ludovico tradidisset. Illi omnes responderunt, Dei esse admonitionem illius rei, quo facto, in prima die dominica ornavit se cultu Regis, & coronam capiti suo imposuit, incedebatque clare vestitus & ornatus, sicut eum decuerat. Perrexit ad Ecclesiam, quam ipse a fundamentis construxerat, pervenitque ante altare in eminentiori loco constructum ceteris altaribus, & consecratum in honorem Domini nostri Jesu Christi, super quod coronam auream aliam, quam ipse gestabat in capite suo, jussit poni.* Et facta ad filium exhortatione, ut Deum timeret, ecclesiam diligeret, fratres, & sorores adjuvaret, Sacerdotes honoraret, &c. tandem ut sibi coronam ex altari sumptam imponeret, jussit. *Quo facto audientes Missarum solemnia, ibant ad Palatium. Sustinuit enim filius patrem eundo & redeundo quamdiu cum eo fuerat filius. Non post multos dies magnificis donis honoravit eum pater suus, & dimisit eum ire in Aquitaniam, antequam divisi essent, amplexantes se, & osculantes propter gaudium amoris flere cœperunt.* Hactenus de coronatione Ludovici Theganus.

Carolus concilia in Galliis celebrari jussit.

13. His pro Imperii tranquillitate gestis, ecclesiæ quoque utilitati consulens Carolus. *Concilia quoque ejus jussu super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt*, ait Eginhardus, *quorum unum Mogontiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillonis, quintum Arelati congregatum est, & constitutionum, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo conventu habita, quas qui nosse voluerit, in supradictis quinque civitatibus invenire poterit, quamquam, & in ArchivioPalatii exemplaria illarum habeantur.* Eademque Theganus in vita Ludovici, hæc

hæc autem concilia tunc celebrata collectores conciliorum exhibent, ac Arelatense sub die sexto idus Maii celebratum dicitur, Rhemense ineunte mense Majo, Mogontinum quinto idus Junii, Turonense, & Cabillonense eodem fere tempore, etsi neque diem, aut mensem præferant. Quis in hisce conciliis ordo servaretur, quive iisdem interfuerint, docet præfatio concilii Mogontiaci, qua habetur in tres turmas adstantes distributos fuisse, quarum primam constituebant Episcopi malorum remedia in sacris Scripturis & Ecclesiæ Canonibus quærentes, in alia turma consedere Abbates *Regulam Sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter qualiter Monachorum vitam in meliorem statum, atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent*, in tertia Comites, qui in eam curam sedulo incumbebant, ut leges sæculares examinarent, cuique ut jus suum tribuerent, *vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitiam terminantes*. Denique canones ecclesiasticos a se editos Carolo obtulerunt, ut eos si ita visum fuerit, confirmaret, vel si in aliquo displicerent, emendaret. *Hæc igitur*, ajunt Episcopi in concilio Arelatensi congregati, *quæ emendatione digna perspeximus, quem brevissime adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur, si quid secus, quam se ratio habet, ejus Judicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio Divina opitulante clementia perficiatur*. Præfatio autem concilii Moguntini hæc est: *quatenus ea quæ paucis perstrinximus capitulis a vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit, & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra in eis Imperialis dignitas jubeat emendare &c.*

14. De loco ubi hæc celebrata sunt concilia, quotve in iis canones editi sint, hæc adnotare sat erit, Arelatense in Basilica S. Stephani martyris habitum fuisse, in eoque canones viginti sex editos. Mogontinum in atrio basilicæ Sancti Albani martyris habitum, canones quinquaginta sex vulgavit, ubi Episcopi triginta, Abbates vigintiquinque sederunt, Remense in basilica Metropolitana canones quadragintaquatuor edidit. Turonense canones quinquagintaunum ex-

Quot canones iis in conciliis editi sint.

JESU CHR. AN. 813. hibet, ac in Urbe Turonica conveniſſe ajunt. Cabillonenſi concilio totius provinciæ Lugdunenſis canones ſexagintaſex inſcribuntur.

Conciliorum canones Carolus confirmat.

15. Conciliorum canones præſente ſe in generali Aquisgranenſi conventu, ubi Epiſcopi cum Proceribus, & Abbatibus convenerant, examinari juſſit Carolus, eoſdemque utpote eccleſiaſticæ diſciplinæ, vel monaſticæ reſtaurandæ aptiſſimos, vel rectæ juſtitiæ in Imperio ſuo adminiſtrandæ utiles, auctoritate ſua confirmavit, ac vim legis habere juſſit, ut Annales Eginhardi, & Annaliſta Moſſiacenſis teſtantur. Extatque ejuſdem Caroli capitulare hoc anno, poſt prædictas ſynodos, vulgatum, atque in capita vigintiocto diſtinctum; quo de Epiſcoporum, ac Presbyterorum officio agit, ſicuti & de monaſtica diſciplina ſervanda, vel juſtitia recte adminiſtranda. Huic vero duo altera addit Baluzius hoc eodem anno vulgata, quorum primum in capita 20. diſtinctum, de juſtitiis faciendis ex lege Salica inſcribitur, ſecundum capitula 46. continet, quibus Comites, vel judices, qua ratione juſtitiam adminiſtrare debeant, edocet, ut ibidem videre eſt.

De peregrinationibus ad loca sancta abuſus tollendi.

16. Cum plura, ut diximus, iis in ſynodis ad eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam ſtatuta ſint, ea ſicuti ſingulatim in medium proferre longum eſſet, ita nonnulla tantum adnotare juvabit, inter cetera, cum plerique peregrinationibus ad Romana limina Apoſtolorum, vel ad alia ſanctuaria abuterentur, ut abuſus in iis corrigerentur, Cabillonenſis ſynodus hæc ſtatuit. *A quibuſdam, qui Romam, Turonumque, & alia quædam loca ſub prætextu orationis inconſulte peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyteri, & diaconi & cæteri in clero conſtituti, qui negligenter viventes, in eo ſe purgari a peccatis putant, & miniſterio ſuo fungi debere ſi præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant ſe impune peccare, aut peccaſſe, qui hæc loca oraturi frequentent. Sunt quidam potentes, qui aquirendi cenſus gratia ſub prætextu Romani, ſeu Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod ſola cupiditate faciunt, orationum, ſive ſanctorum locorum viſitationis cauſa ſe facere videri affectant; ſunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi, de quorum numero ſunt illi, qui circum-*

qua

quaque vagantes illo se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes, ut putent se sanctorum locorum sola visitatione a peccatis purgari, non attendentes quod ait B. Hieronymus, non Hierosolymam vidisse, sed Hyerosolymis bene vixisse, laudandum est. De quibus omnibus domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Quænam vero, quorumve sit peregrinatio proficua, Patres ibi ita definiunt. *Qui vero peccata sua sacerdotibus in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum invisere desiderant: horum est devotio modis omnibus collaudanda.* Abstinuerunt tamen Episcopi de peregrinis illis quidquam decernere absque Caroli ipsius scientia, eo quod scirent in colligendis hujusmodi peregrinis eumdem Carolum fuisse studiosissimum, de cujus propensissimo studio in his fovendis ista habet Eginhardus. *Amabat perigrinos, & eorum suscipiendorum magnam habebat curam, adeo ut eorum multitudo non solum palatio, verum etiam Regno non immerito videretur onerosa, ipse autem pro magnitudine animi hujuscemodi pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incomoda laude liberalitatis, ac bonæ famæ mercede compensaret*, ait Eginardus. Hujusmodi autem otiosos lucri causa peregrinantes cohibere jussit Carolus, hæc decernens.

Mendicos peregrinantes Carolus cohibet.

17. *Item ut isti Mangones, & isti Cociones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram, non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia ire vagantes. Melius videtur, ut si aliquod inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pænitentiam agentes, secundum quod sibi canonice impositum sit.* Itemque de pauperibus ita vagantibus. *De mendicis, qui per patrias discurrunt, volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando: Et ubi tales inventi fuerint, qui sibi manibus non laborant: nullus eis quicquam tribuere præsumat:* Et quod rursum ad hospitalitatem spectat, dicta ab eodem Carolo ad clerum hæc accipe. *Ut de hospitalitate, &*

JESU CHR. AN. 813.

cura pauperum memores sitis: & propter quod res Ecclesiastic a fidelibus oblatæ, & ab Ecclesia receptæ sint, & eo modo illas distribuatis, ut ab illo, cui de his rationem reddituri estis, non damnationem, sed æterni gaudi mercedem accipere mereamini. De his item alibi, hortans omnes ad hospitalitatem. Unde Turonense concilium hoc anno celebratum canone 6. *Peregrini, & pauperes convivæ sint Episcoporum, cum quibus non solum corporali, sed & spirituali reficiantur alimenta*.

De communione corporis Christi pueris indiscrete non danda.

18. Canone autem decimonono Turonensis concilii, admonentur Presbyteri, ne cum Missas celebraverint, atque communicaverint, *Pueris, aut aliis quibuslibet personis adstantibus Corpus Domini indiscrete tribuant*. Ne forte gravioribus peccatis irretiti, damnationem sibi acquirant, ex quibus coniicit Nat. Alexander sacrificii reliquias in ecclesia Gallicana olim pueris datas fuisse, uti in ecclesia CPolitana factum fuisse Evagrius testatur, dum miraculum quoddam de puero Judæo enarrat, qui tempore Justiniani Imp. ecclesiam cum pueris ingressus, ac cum iis corporis fragmenta ignorans quid ageret, sumens, cum hæc patri in domum reversus retulisset, eum in fornacem furens parens conjecit, ubi multas post horas sanus & illæsus, a matre inventus est: hanc porro consuetudinem in Galliis viguisse constat, tum ex supracitato canone concilii Turonensis, cum ex concilio Matisconensi secundo anno 588. celebrato eumdemque usum ad seculum usque duodecimum viguisse idem Natalis adnotat, ac testatur Guibertus Abbas lib. 1. de pignoribus sanctorum cap. 2. idemque confirmat Gibertus Porretanus in epistola ad Abbatem S. Florentii a Dacherio in notis ad Guibertum recitata. Odo vero Parisiensis, qui vivebat anno 1175. in statutis synodalibus communium præceptorum capite 39. Presbyteris præcepit, ne hostias licet non consecratas pueris distribuerent. De quibus plura dabit Cardinalis Bona lib. 2. rerum Liturg. cap. 19. num. 2.

JESU CHRISTI AN. 814. LEONIS TERTII PAPÆ AN. 20. LUDOVICI IMP. 1. LEONIS ARMENI IMP. 2.

Caroli Magni obitus.

1. Hujus anni initio Carolus vivere desiit, de cujus ad Deum transitu hæc narrat Eginhardus.. *Cum Aquisgrani hjemaret, mense Januario febre valida correptus decubuit. Qui statim (ut in febribus solebat) cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum posse depelli, vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quam Græci pleurisim vocant, illoque adhuc inediam retinente: neque aliter corpus quam rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacra communione percepta, decessit anno suæ ætatis septuagesimo secundo, ex quo regnare cœperat quadragesimo septimo, quinto Kalendas Februarii, hora diei tertia.* Sed quibus præviis ad salutem remediis Carolus Imperator curarit animam, accipe ab auctore ejus temporis, monacho monasterii Engolismensis, qui ejus vitam per annos singulos scripsit, dum hæc adnotat. *Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, & Viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace, anno octingentesimo quarto decimo ab Incarnat. Domini nostri Jesu Christi.* Hæc ipse. Sed & quæ de ejus ad Deum transitu Theganus ejus temporis testis adducit in medium, recitemus, ait enim; *Septimo die postquam laborare cœpit, jussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei sacramenta Dominici corporis, & sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret. Quo facto, laboravit in infirmitate diem illum, & noctem sequentem. In crastinum vero, luce adveniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera, virtute qua poterat signum sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignavit. Novissime autem colligens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus, clausit oculos, psallens hunc versum leniter. In manus tuas commendo spiritum meum. Statim post hæc in senectute bona plenus dierum perrexit in pace.*

Caroli sepultura, & Epitaphium.

2. De sepultura autem hæc idem Theganus addit. *Corpus ejus aromatizatum est, & in sede aurea sedens positum est in curvatura sepulchri, ense aureo accinctus, Evangelium au-*

Jesu Chr. an. 814.

aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis, humeris in cathedra, & capite honeste erecto ligato aurea catena ad diadema, & in diademate signum Sanctæ Crucis positum est. Et repleverunt sepulchrum ejus aromatibus, pigmentis, & balsamo, & muscho, & thesauris multis in auro. Vestitum est corpus ejus vestimentis Imperialibus, pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum autem, & scutum aureum, quod Leo Papa consecraverat, ante eum posita sunt dependentia. Et clausum & sigillatum est sepulchrum ejus. Nemo autem referre potest, quantus planctus & luctus pro eo fuerit per universam terram; etiam inter Paganos plangebatur quasi pater orbis. Hactenus is auctor: eadem die, qua obiit sepultum fuisse, cum hac inscriptione addit Eginhardus. *Sepultus est eadem, qua defunctus die, arcusque super tumulum deauratus cum imagine, & titulo instructus, & titulus ille hoc modo descriptus est*. Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli, Magni atque Orthodoxi Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos 47. feliciter tenuit. Decessit septuagenarius, anno Domini 814. Indictione VII. V. Kalend. Februarii. Notabile est quod scribit Eginhardus, *Carolum* eadem die & mortuum, & sepultum, inde enim discimus, quo tempore exequiæ primis octo Ecclesiæ sæculis de more fierent. Certe Pontifices Romanos, de quibus hactenus locuti sumus vel eadem, qua decesserant, die, vel uno, aut altero post mortem die, tumulatos fuisse scimus.

Caroli forma corporis.

3. Nec animi tantum dotibus exornatum fuisse Carolum, sed *corpore etiam amplo & robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet, nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse mensuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari, unde formæ auctoritas & dignitas tam stanti, quam sedenti plurima inerat. Quamquam cervix obesa & brevior, venterque projectior videretur: tamen hæc cæterorum membrorum celabat æqualitas, incessu firmo, totaque corporis habitudine virili, voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conveniret, valetudine prospera, præterquam antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripie-*

piebatur, ad extremum uno etiam pede claudicaret. Hæc Eginhardus, qui (ut diximus) ei a secretis erat, vitamque ejus conscripsit. Jesu Chr. an. 814.

4. Optimi Principis laudes coevi, posterique scriptores certatim prosequuti sunt, cujusque Epitaphium versibus conscripsit Agobardus Lugdunensis Episcopus, cui Christiana fides ab eodem inter barbaras gentes propagata, ecclesiastica, & monastica disciplina ejusdem opera restituta, & illustrata, ut capitularia ejus probant, multum debent, uti etiam Franci, cum Imperium, quod virtute sua eousque dilatavit, ut nuspiam gloriosius fuerit, quare si quis eum Constantino, Theodosio, Marciano æquaverit, vel etiam prætulerit, a vero non aberrabit. In epistola ad Valdonem Sancti Dionysii Abatem, dum adhuc viveret Carolus, hæc in ejus laudem adnotat Dungalus. *Qui omnibus æqualiter omnium bonorum operum, & virtutum, & honestarum disciplinarum doctor præcipuus, & perfectum habetur exemplar rectoribus ad suos subjectos bene regendos militibus ad suam exercendam legitime militiam, Clericis ad universalis Christianæ religionis ritum recte observandum, Philosophis, & Scholasticis ad honeste de humanis philosophandum & sapiendum, reverenterque atque orthodoxe de divinis sentiendum atque credendum. Denique hoc tantum veraciter dicimus, quod omnes uno ore conclamant, quia in ista terra, in qua nunc, Deo donante, Franci dominantur, ab initio mundi talis Rex, & talis Princeps numquam visus est, qui sic esset fortis, sapiens, & religiosus, sicut noster Dominus Augustus Karolus &c.* cujus laudes prosequi longum esset. Caroli elogium.

5. Itaque non mirum eum, ob tantarum virtutum splendorem, inter sanctos in Aquisgranensi ecclesia recenseri. Ipsum post annos 166. tempore Friderici Imp. Paschalis Papa, seu Anti-Papa, sanctorum catalogo inscripsit, ejusque cultus ad alias etiam ecclesias Belgii, atque Germaniæ propagatus est, ac breviaria plurima se vidisse narrat Bollandus, in quibus quinto Kal. Febr. Caroli memoria, cum officio trium, vel etiam novem lectionum recolitur, quem fortasse Martyrologium Romanum recepisset, nisi eum conjugalis continentia, aliquando deseruisset, uti alias adnotavimus. Sed de Caroli obitu, gestis, & cultu ha- De cultu Caroli memoriæ exhibito.

Jesu Chr. an. 814. hactenus; ad Ludovicum filium ejus, ac in Imperio, & in Regno Francorum successorem se oratio nostra transferat.

Ludovicus Imp. patris thesauros distribuit.

6. Post Caroli obitum, Ludovicus ex Aquitania Aquisgranum veniens, ait Theganus in vita Ludovici, eo superstite scripta; *Suscepit omnia regna, quæ Deus tradidit patri suo sine ulla contradictione (qui est annus Incarnationis Domini octigesimus decimus quartus, qui est primus annus Regni ejus) post patrem sedit in supradicto palatio. Et in primis cum magna festinatione jussit ostendi sibi omnes thesauros patris in auro, in argento, in gemmis pretiosissimis & in omni supellectili. Dedit sororibus suis partem earum legalem, & quicquid remanserat dedit pro anima patris. Maximam partem thesauri misit Romam temporibus B. Leonis Papæ. Et quicquid super hoc remanserat, sacerdotibus, & pauperibus, advenis, & viduis, orphanisque omnia distribuit, nihil sibi reservans præter unam mensam argenteam, quæ triformis est in medio, quasi tres clypei in unum conjuncti: ipsam sibi retinuit ob amorem patris, & tamen eam dato pretio redemit, quod pro patre tradidit. Hoc facto, Legati venerunt ad eum ex omnibus Regnis & provinciis, & ex cæteris nationibus, & omnes, qui sub ditione erant patris sui nuntiantes pacem & fidem erga eum observare, & spontaneum obsequium non coacti obtulerunt. Inter eos venerunt Legati Græcorum cum Amalario Trevirensi Episcopo, qui erat Legatus piæ memoriæ Caroli ad Principem Constantinopolitanum, cujus nomen modo non occurrit* (Leo iste erat) *illi venientes in solio patris collocatum Dominum Ludovicum invenerunt, quia sic Deus ordinavit. Ille benigne eos suscipiens & dona eorum cum gratiarum actione accipiens, & colloquium familiare, interim quousque cum eis erat, habebat. Non post multos autem dies magnis honoribus decoravit eos, & dimisit ire ad propria, & ante eos misit Missos suos præparare eis quicquid desiderabant ad opus eorum, quousque forent in Regno. Eodem anno jussit supradictus Princeps renovari omnia præcepta, quæ sub temporibus fratrum suorum gesta erant in Ecclesiis Dei, & ipse manu propria ea cum subscriptione roboravit*. Eademque de legatione ex CPoli ab Leone Imp. missa, ut cum Carolo pacem firmaret narrant Annalista Cæsa-

fa.

sareus a Lambecio editus ad annum primum Ludovici, & Eginhardus in annalibus, additque cum Amalario Trevirensi Episcopo, & Petro Abbate Nonantulensi Christophorum Spatharium, & Gregorium Diaconum ab Leone missos fuisse, quos benigne acceptos, ac dimissos, cum iis legatos suos CPolim misit Ludovicus Norbertum Rhegiensem Episcopum, & Richvinum Pictaviensem Comitem *ad renovandam secum amicitiam, & prædictum pactum confirmandum*.

Lotharius Rex Bavariæ, & Pippinus Aquitaniæ dicitur.

7. Tres porro ex Hildegarde uxore filios susceperat Ludovicus, quorum primum Lotharium Bavariæ Regem hoc anno dixit, alterum seu Pippinum in Aquitaniam, ut eam regeret, misit. *Tertium vero Ludovicum adhuc puerilibus consistentem in annis secum retinuit*, ait Eginhardus, ac addit. *Bernhardum Regem Italiæ nepotem suum ad se evocatum, muneribus donatum in Regnum dimisit, cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo & pater, scilicet ut Beneventani tributum annis singulis, septem millia solidorum darent*.

Adelardus cum Vala fratre in exilium missus.

8. Bernardo Italiæ Regi, utpote adolescentiori, consiliarios dederat Carolus Adelardum Corbejæ Abbatem, & Patruelem suum, utpote ex Bernardo Caroli patruo genitum, virum vitæ integritate, morumque probitate præclarum, cujus consiliis summa tranquillitas hactenus in Italia floruerat, justitiaque viguerat in Italico Regno. Hoc autem tempore Romam perrexerat, ait auctor libelli de novæ Corbejæ constructione. *Non solum orationis causa, sed etiam ut cum venerabili viro Leone Papa conferret de necessitate Regia, & plebis, ibi cum moraretur, atque simul de profectu adolescentis* (Bernardi Regis scilicet) *gauderent, subito venit nuncius pennigero volatu afferens epistolam luctuosam nimis de morte Caroli Imp., qua perlecta mœstus nimis venerabilis pater Adelbardus, illo de loco abscessit, statimque ad proprium monasterium perrexit*, Corbejense scilicet, ac inde paulo post abstractus in exilium ad Heri insulam missus est. Nam cum summo in honore tam Adhelardus, quam Vala ejus frater, inter laicos clarissimus apud Carolum essent, eo defuncto, Aulicorum invidia apud Ludovicum successorem, pium quidem Principem, sed levioris ingenii, & ad fovendas suspiciones proclivum, Adhelhardus, ejusque frater Vala in

Jesu Chr. an. 814.

in suspicionem adducti sunt. Quam ob causam Adhelardus in Heri insulam missus est, ubi septennio perseveravit, ut ait Paschasius Ratbertus in ejus vita, annoque 821. Corbejensi monasterio restitutus fuit, ut narrat Eginhardus. Vala autem frater ejus Principis iram præveniens, Aulicorumque invidiam declinans, seculo abdicato, monasticum habitum in Corbejensi monasterio, unde frater ejus Adhelardus ejectus fuerat, suscepit; eamdemque fortunam Bernarius fratrum alter Corbejensis monachus Lerinum relegatur. Gundrada etiam eorum soror, quæ in Palatio hactenus vitam duxerat, solaque fere inter delicias, pudicitiæ palmam ferre meruerat, in Pictaviense monasterium relegata est, ac sola Theodrada sororum altera, quæ post nuptias, in Svessionense monasterium jamdiu se incluserat, tamquam innocens, ibidem relicta est, ut in vita Adhelardi narrat Paschasius, qui etiam de Adhelardi, & Valæ fratris laudibus plura addit, tum de animi constantia, qua fortunæ acerbitatem tulerunt, ut in iis cum Apostolis gaudere viderentur, cum de utriusque gestis in monasterio, ita ut Valam S. Benedicto monachorum parenti, & celeberrimis in Ægypto monachis eum comparare non dubitaverit. De quorum præclare gestis plura in Annales suos Mabillonius derivavit, ut ibidem videre est.

Ludovicus Imp. Missos per regna mittit, ut justitiam exerceant.

9. Sicuti in propinquorum suorum vexationibus, ingenii sui levioris non dubia indicia dedit Ludovicus, ita pietatis etiam reliquit, inter cetera, Imperii sui initio. *Habito Aquisgrani generali populi sui conventu, ad justitias faciendas, & oppressiones populorum sublevandas legatos ad omnes Regni sui partes dimisit*, ait Eginhardus. His addit Theganus, quod Regii missi provincias ingressi *invenerunt innumeram multitudinem oppressorum aut ablatione patrimonii, aut expoliatione libertatis, quod iniqui ministri, Comites, & loco-positi per malum ingenium exercebant. Omnia supradictus Princeps destruere jussit acta, quæ impie in diebus patris sui per iniquorum Ministrorum ingenia facta fuerant. Patrimonia oppressis reddidit, injuste ad servitium inclinatos absolvit, & omnibus præcepta jussis facere, & manu propria cum subscriptione confirmavit*. Hæc Theganus, ex quibus quam difficile sit optimo etiam Principi, subditos ab Procerum tyrannide, & injuria vindicare, aperte patet. Nam si sub Carolo hæc fie-

fiebant, qui singulis fere annis, cum Episcopis, & Proceribus conventus agebat, Missos in provincias delegabat, leges pro justitia administranda vulgabat, quid non tentabunt iidem pauperum oppressores, subditorumque tyranni, cum nullam, aut vix aliquam in Reipublicæ administratione sibi partem vindicat Princeps, deliciis tantum deditus, Spectaculis, ludis, venationibus, ludricisque rebus intentus, vel populo, cui Regem puerum, aut effœminatum Deus in ira sua dederit; ex his sane non erat Carolus, ut ipsius legum Codex, seu capitularia testantur, atque ad ea, quorum supra mentionem fecimus, alia quinque exhibet Baluzius, quorum annus, quo vulgata sunt, ignoratur, quæ ut plurimum ad ecclesiæ disciplinam, immunitatem, aut Episcoporum, & Presbyterorum vitam laudabiliter agendam spectant, digna sane ut annalibus inserantur; Ne tamen longiores simus, unum tantum in capita 59. distinctum damus, quorum primo hæc Carolus statuit. Ut eorum, qui ad ordinandum veniunt fides, & vita & scientia prius ab Episcopo discutiatur. 2. Ut fugitivi Clerici, & peregrini a nullo recipiantur sine commendatitiis litteris. 3. Ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri clerici mulierem extraneam in domo sua non habeant. 4. Ut monachi, & Clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa. 5. Ut ignota angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur. 6. Ut mulieres ad altare non ingrediantur. 7. Ut canonici libri tantum legantur in Ecclesia. 8. Ut nullus per pecuniam ordinetur. 9. Ut monachus, vel Clericus ad secularia negotia non transeat. 10. Ut Clerici de civitate ad civitatem non transeant. 11. Ut nullus absolute ordinetur, idest qui ecclesiæ servitio non mancipetur. 12. Ut Clerici, & monachi in suo proposito permaneant. 13. Clerici inter se negotium habentes a suo Episcopo dijudicentur, non a secularibus. 14. Ut Clerici, & Monachi insidias contra pastorem suum non faciant. 15. Ut loca quæ semel Deo dedicata sunt in perpetuum maneant, nec possint ultra fieri secularia habitacula. 16. Ut nullus Presbyter contra suum Episcopum superbire audeat. 17. Ut Clerici ecclesiasticis ordinis, si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur, non apud seculares. 18. Ut qui commodaverit pecuniam accipiat, Si speciem aliam, eam-

JESU CHR. AN. 814.

JESU CHR. AN. 814. dem speciem quantum dederit accipiat. 19. Ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur. 20. Ut Virgines Deo sacratæ simul habitantes invicem se custodiant, nec passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem. 21. Ut falsa nomina Martyrum non venerentur. 22. Ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore. 23. Ut ecclesiastica jejunia sine necessitate rationabili non solvantur. 24. Ut nullatenus Presbyter ante trigesimum ætatis suæ annum ordinetur. 25. Ut nulli Sacerdotum liceat ignorare sanctorum canonum instituta. 26. Ut nullus Episcopus ad Clericatus officium servum alterius sine domini sui voluntate promovere præsumat. 27. Ut Episcopi, & reliqui Sacerdotes canones bene intelligant & secundum canonicam institutionem vivant. 28. Ut Episcopi diligenter discutiant per suas Parochias Presbyteros eorum fidem, baptisma, & Missarum celebrationes, & ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intelligant, & ut psalmi digne secundum modulationes versuum modulentur. 29. Ut fides catholica ab Episcopis, & Presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur, et dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat quid petat a Deo. 30. Ut omnis populus Christianus fidem catholicam, & dominicam orationem memoriter teneat. 31. Ut inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique seu majores seu minores personas pax sit & concordia, & unanimitas, quia nihil Deo sine pace placet. 32. Ut Abbates canonici canones intelligant & canones observent, & Clerici canonici secundum canones vivant. 33. Ut Abbates regulares & Monachi regulam intelligant, & secundum regulam vivant. 34. Ut Abbatissæ canonicæ, & sanctimoniales canonicæ secundum canones vivant, & claustra earum rationabiliter composita sint. 35. Ut Abbatissæ regulares sanctimoniales in monachico proposito existentes regulam intelligant, & regulariter vivant, & claustra earum rationabiliter disposita sint. 36. Ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur. Et non sit domus Dei, & altaria sacra pervia canibus. Et ut secularia ne-

negotia vel vaniloquia in Ecclesiis non fiant. 37. Ut Presbyteri, & Diacones, vel reliqui Clerici arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis. 38. Ut quibus data est potestas judicandi juste judicent, nec munera accipiant, quia munera excœcant corda prudentium. Et ut Judices jejuni causas judicent & discernant. 39. Ut omnes caveant perjurium, non solum in sancto Evangelio, vel in altare, seu in sanctorum reliquiis, sed etiam in communi loquela. Et ut qui in sanctis jurare vult, hoc jejunus faciat in omni honestate & timore Dei. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec in sua causa, nec in alterius jurator existat. 40. Ut nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet vel ad auguria intendat; nec sint malefici, nec incantatores, nec phytones, nec cauculatores, nec tempestarii, vel obligatores. Et ubicunque fuerint emendentur vel damnentur. 41. Ut observationes, quas stulti faciunt ad arbores vel petras, vel fontes ubicumque inveniuntur, tollantur & destruantur. 42. Ut homicidia infra patriam nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi non faciant. Et non occidatur homo nisi lege jubente. 43. Ut furta, & injusta connubia & illicitæ causæ prohibeantur. 44. Ut æquales mensuras, & rectas & pondera justa & æqualia omnes habeant. Et qui antea dedit tres módios, modo det duos. 45. Ut Mangones, & cociones, & nudi homines qui cum ferro vadunt non sinantur vagari & deceptiones hominibus agere. 46. Ut opera servilia diebus dominicis non agantur. Et ut dies dominica a vespera ad vesperam celebretur. 47. Ut omnes fidelitatem promittant Domno Imperatori. 48. Ut Comites, & Judices confiteantur qua lege vivere debeant, & secundum ipsam judicent. 49. Ut beneficia Domni Imperatoris, & Ecclesiarum considerentur, ne forte aliquis alodem suum restauratus beneficia destruat. 50. Ut beneficia Saxonum in Fraucia considerentur qualiter condirecta sint. 51. Ut liberi homines pauperes a nullo injuste opprimantur. 52. Ut omnes parati sint quandocumque Domni Imperatoris jussio venerit. 53. Ut Missi ad domnum Imperatorem venientes, & ab eo directi honorabiliter suscipiantur. 54. Ut hi qui in mundeburde Domni Imperatoris sunt, pacem & defensionem ab omnibus habeant. 55. Ut inquiratur si aliquis homo propter justitiam domni Impera-

JESU CHR. AN. 814. ratoris annuntiando occisus sit, vel aliquid mali passus sit. 56. Ut hi qui per beneficium domni Imperatoris ecclesiasticas res habent, decimam & nonam dare & Ecclesiarum restaurationem facere studeant. 57. Ut bannus quem per semetipsum domnus Imperator bannivit sexaginta solidos solvatur. Ceteri vero banni quos Comites, & Judices faciunt, secundum legem uniuscujusque componantur. 58. Ut omnes bonos & idoneos Vicedominos, & Advocatos habeant & Judices. 59. Ut Missi nostri, undecunque necesse fuerit, tam de justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & ceterorum hominum inquirant & perficiant, & quodcumque ad emendandum invenerint emendare studeant in quantum melius potuerint, & quod per se emendare nequiverint in præsentiam nostram adduci faciant, addit, eademque fere in sequentibus quatuor aliis capitularibus leguntur, ita ut eadem semel & iterum Episcopis, Presbyteris, clericis, monachis, Comitibus, & Missis suis jubere satis non fuerit.

Adelardi Abatis placitum pro monasterio Farfensi.

10. Dum adhuc in Italia esset Adelardus, quin antequam Romam hoc anno pergeret, ubi Carolum obiisse didicit, uti supra diximus, placitum Spoleti in regio Palatio habuit in causa Benedicti Abbatis Farfensis, de donatione quadam ab Leone Reatino cive Farfensi monasterio facta, quam eo defuncto, parentes in dubium vocabant. Cum itaque in Spoletano palatio resideret *Adalbard Abbas, missus Domini Imperatoris Caroli* una cum Sigualdo, Gradigiso, & Hisemundo Episcopis, Leone judice Domini Regis, Fratello Abbate, aliisque Gastaldis, & Scabinis ad causam audiendam, cum biduo causa ventilata esset, pro Farfensi monasterio sententiam judices dixerunt, anno 40. Caroli in Italia regnantis, & Bernardi ejus nepotis anno quinto, indict. 7. mense Februarii, ac proinde paulopost Caroli obitum, cujus nuncium ad notitiam Adalhardi nondum pervenerat, quem Romæ subsistens didicit. In eodem Farfensi Archivo, Regii Palatii descriptionem cum invenisset Mabillonius, Annalibus suis dignam judicavit, eamdemque Muratorius in suos transtulit, quorum exemplo hoc loco exscribimus, loca itaque regii Palatii Spoletini describens, adnotat. *In primo Proaulium, idest locus ante aulam, in secundo Salutatoriorum, idest locus salutandi officio depu-*

ta-

tatus, juxta majorem domum constitutus. In tertio consistorium, idest domus in palatio magna & ampla, ubi lites & causæ audiebantur & discutiebantur, dictum consistorium a consistendo, quia ibi, ut quælibet audirent, & terminarent negotia, judices vel officiales consistere debent. In quarto trichorum a triabus choris, idest tribus ordinibus comessantium. In quinto Zetæ byemales, idest cameræ biberno tempori competentes. In sexto Zetæ æstivales, idest cameræ æstivo tempori competentes. In septimo epicaustorium & triclinia accubitanea, idest domus, in qua incensum & aromata in igne ponebantur, ut magnantes odore vario reficerentur, in eadem domo tripartito ordine considentes. In octavo thermæ, idest balnearum locus calidarum. In nono gymnasium; idest locus disputationi, & diversis exercitationum generibus deputatus. In decimo coquina, idest domus, ubi pulmenta & cibaria coquuntur. In undecimo columbem, idest ubi aquæ influunt. In duodecimo hypodromum idest locus cursui equorum in Palatio destinatur.

JESU CHR. AN. 814.

11. Hoc anno Amalarium Trevirensem Episcopum obiisse tradunt eruditorum plurimi, qui sane gestis magis quam scriptis claruit, etsi ob librum de ceremoniis baptismi ad Carolum Augustum datum, inter ecclesiasticos quoque scriptores recenseatur. At libri de ecclesiasticis officiis, & de ordine Antiphonarii Amalario Episcopo passim inscripti, Amalario Metensi ecclesiæ Diacono inscribendos esse docent post Sirmondum citati supra auctores historiæ litter. Franc.. Hic autem Trevirensis Episcopus inter Alcuini discipulos recensetur, monachus in monasterio Medolacensi fuit, ac inde abstractus Trevirensem sedem obtinuit, qua dignitate auctus, ad Translabianos Saxones in fide Christi edocendos, vel ad eam revocandos a Carolo missus, ecclesiam ibidem Hamburgensem erexit; ad Carolum reversus, CPolim missus est, ut pacem cum Michaele Græcorum Imp. confirmaret, qua legatione dum fungeretur, vivere desiit, ac Hettim in Trevirensi sede successorem habuit, ut Mabillonius, aliique narrant.

Amalarii Trevirensis Episc. obitus, ejus gesta, & scripta.

12. Hoc etiam anno Chrumnus Bulgarorum dux victoriis elatus, iterum ad urbem regiam expugnandam ingentem exercitum duxit, ait auctor, qui Theophanis historiam prosequutus est. Arabesque, & ex Sclaviniis cunctis copias

Chrumnus Bulgarorum Dux miserrime periit.

Jesu Chr. an. 814.

pias eduxit. Instrumenta etiam, machinasque ad urbes expugnandas præparavit, quod ut Leo Imp. cognovit, ad urbis regiæ defensionem necessaria collegit, murumque altum ad Blanchernas cœpit ædificare altam, latamque fossam hostibus opposuit. Quæ dum ex utraque parte agerentur, necdum instante vere, Deus qui Principum consilia reprobat, omnia in irritum reddidit. Nam circa feriam quintam magnam, idest ante Paschatis festum, *Bulgariæ Princeps Chrumus ille celebris, qui urbem occupare destinabat, vitæ finem persensit, invisibili virtute jugulatus, qua sanguinum rivos ore, naribus, & auribus emisit, atque ita in malis animam deposuit.* ait idem auctor.

Leo Imp. sacris imaginibus bellum indicit.

13. Tanto periculo ereptus, & adversario liberatus Leo Imp. longe abfuit, ut Deo pro accepto beneficio gratias ageret, quin eo dementiæ, seu potius temeritatis abreptus est, ut suæ virtuti victoriam tribueret, ac *per urbes omnesque regiones, missis sacris*, seu litteris, *nunciavit*, Bulgaros sua virtute vicisse, eorumque ducem sua manu confodisse. *Postmodum occasione capta ecclesiam depopulari cœpit*, ait idem auctor. *Anno Imperii secundo Dei judicia curiose prescrutatus Leo sensus ejusdem consortibus quibusdam dicit: Cujus causa gentilibus inferiores evadunt Christiani? Quod adorentur imagines, nec alterius ergo, ut mihi quidem videtur: quare illas deturbare est animus. Videte quippe, ajebat, quotquot Imperatores susceperunt & adoraverunt illas, perierunt: Hi quidem solio dejecti, alii bello profligati: qui non adoraverunt soli, morte suavi retento Imperio vita functi sunt, & cum honore in Imperatorum sepulchris ad Apostolos elati. Eam ob rem imitator eorum imagines tollam, ut ego, & filius meus in multos annos vivamus, & nostrum stet Imperium ad quartam & quintam generationem: in quo equidem misellus mentitus est, hoc scelere frustra admisso, ut Syngraphen propriam cui crucem cum comitibus affixit, despiceret, & proculcaret.* Exinde quotquot iuvenire poterat suæ hæresis infectos inquirere cœpit, ac sollicitare, ut sibi ad imagines evertendas opem ferrent, quorum cum plurimos invenisset, ex his Joannem quemdam lectorem Pancratii Schiastæ filium *qui a puero dæmonem inhabitantem habuerat incompositis moribus agitatus, mentisque consortio privatus.*

14. Hunc

14. Hunc itaque Imperator, spe potiundæ sedis Patriarchalis illectum, ut delendis imaginibus adjutricem manum præberet, sollicitavit, qua spe animatus monasteria undequaque excursare cœpit, ut libros suæ hæresi faventes inquireret, cumque inquisitio votis suis non responderet, tandem synodum Iconomachorum sub Constantino Isaurico habitam invenit, ex qua uberiorem intento suo messem se reperiisse gloriatus, locis in ea adnotatis, quibus Iconomachi imaginum cultum illicitum esse probare conati fuerant ad Leonem Imp. reversus est. *Et veteribus libris non adorandas imagines reperimus*, ait; cui Imperator jussit, ut virum ecclesiastica dignitate exornatum sibi consentientem reperiret, & *Episcopum repererunt quemdam Constantinum Presbyteri artificis sutoris filium, & Gazimatam grammaticæ professorem, & legis peritum quemdam ad Phoracii ædes diversantem ludimagistrum, qui criminum sibi objectorum pœnam fugiens, in monasterium diverterat, & detonsus nomen acceperat Antonii, deinceps in monasterium Metropolitanum nomine præpositus fuerat institutus*, vir quidem levissimus, inopem, & inhonestam vitam ducens. *Qua ratione postmodum Dei permissu factus fuerit Episcopus Sylæi penitus ignoro*, ait idem auctor; hunc itaque hominem cum invenissent Imperatoris legati, ad se vocatum Leo Imp. interrogavit, num adorandas esse imagines legisset, is vero, nullibi id quidem scriptum esse respondit, verum ex antiqua traditione cultu dignas esse ab imaginum cultoribus tradi addidit. *Contendebant igitur in veritatem a Pentecoste qui Joannem, & Hililam sequebantur coacervare libros*, quibus probarent imagines non esse venerandas. *Julio vero mense socium adjunxerunt Antonium* (Sylæi Episcopum), *& deinceps ad Decembrem occultum gerebant dolum*, auctoritates scilicet ex libris coacervantes, quibus hæresim confirmarent.

JESU CHR. AN. 814. Leo Imp. hæresi suæ patrocinatores quærit.

15. His autem fraudibus occulte paratis, circa mensem Decembrem, Imperator Patriarchæ significat. *Imaginum causa populus offenditur, dicentes, perverse adoramus illas, & propterea Gentiles nostri dominantur; Condescende inquit modicum, & moderamen ad populum habe, & quæ sunt objecta rescindamus, si non assentiaris exhibe, & persuade cujus gratia scriptura, hæc diserte nullibi asserente, adoratis imagines*. His respondit Patriarcha, imaginum cultum ex

Leo Imp. Nicephorum, & monasteriorum Præpositos, ut hæresi faverent, tentat.

Jesu Chr. an. 814. ex his dogmatibus esse, quæ ecclesia ab Apostolis didicerat. *Utrum scriptum, vel non scriptum sit non decet inquirere*, subdit, *plura namque scripto non tradita, quæ dicantur dogmata per Sancti Spiritus inspirationem successivis temporibus a sanctis ejus famulis ac servis ordinata ecclesia excepit*. His auditis, jussit Leo, ut Patriarcha, monasteriorumque Præpositi cum iis disputarent, qui cultum imaginum respuebant, idest cum Joanne, & Antonio. At id CP. Patriarcha, & Monachorum præpositi renuerunt dicentes rem in synodo, Nicæna scilicet secunda, definitam esse. *Quare illis contemptis plura Leo minatus discedere imperavit, & adversus rectam fidem exsibilare perseverans, quæ animo conceperat, exequi moliebatur*. Cumque Patriarcha cum clero populo, & monachis in vigiliis orando perseverarent, *ut Deus eorum consilium dissiparet, deprecantes*. Sceleratis hominibus jussit Imperator, ut Jesu Christi imaginem ad Palatii portam, cui Chalces, sive Æreæ nomen erat, lapidibus tunderent, lutoque fœdarent. Deinde quasi ipse innocens esset, *Deponamus*, inquit, imaginem, *ne forte milites eam aspernentur & contemnant*. *In hoc Leonem Isauricum imitatus, & æquales Imperii ejus annos studens consequi*. Post hæc cum jam non clam, sed aperte sacris imaginibus bellum indictum esset, Episcopi, & monachi, qui CPoli erant, in Patriarchium convenientes, scripta patrum consulebant, ut renascenti hæresi, eorum se auctoritate tutarentur, eosque Nicephorus Patriarcha, ut in catholica fide tuenda constantes perseverarent, hortatus est. Quod una voce non solum omnes promiserunt, sed etiam propria subscriptione confirmarunt.

Nicephorus Patriarcha Leonem, ne ecclesiam turbaret, hortatur.

16. Imminentibus interea festis Natalis Domini, Imperatorem rogavit Nicephorus, ne ecclesiam iterum turbare vellet, addiditque. *Si propter me adversus sinceram fidem oriantur scandala, ejicite me, & si quem alium desideratis Patriarcham institute, tantum fidem sartam tectam custodite. His vero versute & dolose, qui Chamaleontis nomen merito gerebant, respondit, & dixit ecquis audet deponere Patriarcham patrem nostrum aut ejicere, vel ecclesiæ statum immutare? Modicum quid sane investigavimus propter eos, qui superfluis sermonibus indulgent. Ceterum ut credit ecclesia, ita credo ego: eductamque sinu imaginem gerentem ma-*

manu Crucem coram omnibus adoravit; *Istud vero gessit, non ut veritatem testaretur, sed ut festi celebritatem facilius perageret*, ne scilicet in die festo Natali, ab ecclesia arceretur, & sanæ solemni cum pompa. *In Christi Natalitiis procedens ecclesiam ingressus est, & coram altari ex Imperatorum consuetudine stetit & Corporale, sacra D. N. J. Christi nativitate in eo depicta adoravit, & osculatus est*, eaque fictione dolum & versutiam suam abscondit. At *Luminum festo*, idest Epiphaniæ, *æquali modo processit, & ingressus non adoravit*, ait idem auctor, cum jam pietatis larvam deposuisset, & imaginum hostis factus, aperta vi adversus imaginum cultores agere cœpit, ut anno sequenti dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 814.

Synodus CPolitana Antonium Sylei Episc. anathematizat.

17. Dum hæc CPoli adversus imaginum cultores molirentur, apud Nicephorum CP. Episcopum Episcopos plurimos, monachorumque præpositos congregatos fuisse, ex supracitato auctore, qui ad Theophanis chronographiam Leonis Armeni gesta addidit, audivimus, quo in congressu quid gestum sit, narrat epistola synodica Episcoporum aliquot Orientalium ad Theophilum Augustum a Combefisio publicata, & in collectione conciliorum inserta, eaque scimus Nicephorum synodum Episcoporum collegisse, qua Antonium Syllæi Metropolitam utpote sacrarum imaginum eversorem, anathematizavit. Joannes vero, ne Patriarchæ sententia anathemati subjiceretur, pœnitentiam petiit, & obtinuit. At Imperator Antonium Sylæi Metropolitam ad se vocatum, Patriarchalem sedem ei promisit, si consiliis suis in imaginum eversione adjutor esse vellet, quod cum Antonius promisisset, id tamen paulopost coram Patriarcha se promisisse, negavit. Cumque Joannes, & Antonius adversus imagines oblatrari non cessarent, ac Leonem, ut eas everteret, hortarentur, tandem Nicephorus Patriarcha, una cum Episcopis 270. CPoli congregatis anathematis sententiam in utrosque tulit, quibus adstans populus conclamans ac consentiens, novo Ario Pauliciani errori affini, anathema dixit, ut fusiori stylo ibidem narratur, iisque gestis, *venerandam Christi imaginem in Ærea porta existentem, stercoribus, molli luto petentes*, scelerati homines ab Imperatore excitati, *inque ejus faciem expuentes, disruptam solo dejecerunt*: atque hæc acerbioris persecutionis adversus ima-

F 2 gi-

JESU CHR. AN. 814.

S. Platonis obitus:

ginnm cultores excitatæ præludium fuere.

18. Antequam apertum imaginibus bellum inferret Leo Imp., hoc, vel proximo elapso anno ex hac vita migravit Sanctus Plato monachorum celeberrimus, cujus egregia pro pietate inita certamina supra exposuimus. Triennio autem postquam ab exilio redierat anno 812. eum e vivis abiisse narrat Theodorus Studita in ejus oratione funebri. De cujus obitu hæc inter alia adnotat. *Post hæc*, cum ab exilio rediisset, *non amplius inclusus vixit Pater, neque enim vires erant, vel ad hoc ut corporeis necessitatibus faceret per se satis, sed partim lectulo recumbens, solabatur sese retributionem Asceticorum, & Athleticorum laborum, partim in sedili requiescens, aut Psalmos davidicos vocaliter recitabat, aut mentaliter precabatur Deum, aut aliquid conferebat ad utilitatem fraternitatis &c.* Octuagenarium pene obiisse narrat, cujus vitæ seriem sic distribuit. *Numera certamina, & invenies annos quadraginta octo*, quibus monachus, vel monachorum præpositus fuit, deinde bis duodecim, *ante abrenunciationem seculi actos*. Idest in vita seculari, *junge aliis quatuor annis, quos in persecutionibus, & tribus* (postremis,) *quos in infirmitates traduxit, & invenies virum venerabilem obiisse anno ætatis unde octigesimo*, & in vita S. Theodori Studitæ legitur; *Ex hac vita excessit sanctissimus Plato octogesimum ætatis annum uno minus agens.*

Nicephorus Patriarcha Platonem in infirmitate visitat.

19. Nec prætereundum est, ad eum in infirmitate detentum advenisse Nicephorum CP. Patriarcham, cum quo olim, ut diximus, gravia intercesserant dissidia. Cumque ad eum venisset, ait Theodorus. *Ejus orationum se participem fieri postulavit, quarum compos factus, amplexus illum fuit. Itaque omnis discordiæ suspicio remota est, cum olim tristia illa, quæ inter eos acciderant impedimento fuissent, quominus id credi posset. Omnes igitur admonuit, pro omnibus Deum oravit, universis veniam dedit, qui inimice se in illum gesserant qui eum persecuti fuerant, & molestiis affecerant. Hæc fecit divinus ille vir, qui Christum ipsum etiam moriens imitatus est.* Quem non solum dum viveret, in perfectæ reconciliationis signum, visitatione sua solatus est Nicephorus Patriarcha, sed mortuum etiam coluit, ut his verbis narrat Michael in vita Theodori. *Patriar-*

triarcha charitatis suæ vim, animique recte compositi specimen exhibuit. Accurrens ipsemet una cum clero ad monasterium, & moribundo sancto adstitit, totus in illum defixus membra ejus omnia complectans, suaviterque singula deosculans. Cui quidem tamquam patri patrum, cum innumeris luminibus, & thuris suffitu justa persolvisset, ægre tandem corpus sepulturæ condidit, multis undecumque confluentibus, ejusque depositionem pro virili probibentibus, ut qui ne mortuo quidem sancto privari vellent &c. ait Michael, qui cum ceteris Platonis discipulis præsens esse potuit, ac subdit secutam mox Leonis Armeni in monachos Studitas, & in Theodorum ejusdem monasterii Præfectum, persecutionem excitatam, unde iterum exulare coacti sunt. De quibus infra. JESU CHR. AN. 815.

JESU CHRISTI ANNUS 815. LEONIS 3. PAPÆ AN. 21. LUDOVICI IMP. 2. LEONIS ARMENI IMP. 3.

1. De persecutione adversus imaginum cultores ab Leone Imp. hoc anno excitata, in ejusdem Imp. vita narrat Georgius monachus. *Post alterum annum ad impietatem deficiens, ac quam rectæ fidei professionem scripto ediderat irritam faciens*, post annum alterum, a data fidei professione, *furore accensus, actusque rabiæ adversus pietatem, divinum Nicephorum, a quo corona donatus erat, exilio mulctavit*, ideft hoc anno; rem gestam enucleatius Theophanis continuator exponit his verbis. *Peractis festorum solemnibus*, ideft Natalis domini, & Luminum, seu Epiphaniæ, *cœpit agredi velut Pharao Israelem, & Episcoporum quosdam blanditiis, promissisque susurrabatur & qui ipsi morem gesserunt ex eo quem habebant ad præsens seculum affectu quippe prius juramento interposito, & Crucibus appositis pro veritate morituros se affirmabant, singuli ferme conversi sunt in partem adversam*; ideft Episcopi, qui anno proximo cum Nicephoro Episcopo, in Patriarchio congregati fidem suam subscriptione, & juramento promiserant, in imaginum cultu tuendo, usque ad mortem certaturos, ut ibidem diximus. Leo adversus cultores imaginum persecutionem excitat.

2. *Eam ob rem per desertores Episcopos Patriarchæ significat. Condescende modicum nobis & futilia quæque resecabimus: si nolueris, in throno te residere non permissuros scito. His spretis tanquam perjuris & Cruciculcis Patriarcha* Nicephorus Patriarcha Episcopatu privatus in exilium ejicitur.

JESU CHR. AN. 815. *cha Imperatori denunciavit: Quod lubet exequere, dogmatibus quippe a Patribus pie definitis nunquam nuncium remittam, neque contrarium sentientibus adstipulabor. Hæc dum gererentur, in infirmitatem decidit Patriarcha, adeo ut diebus paucis salus ejus a medicis desperaretur: cujus Imperator certior factus, de vi facta non nihil remisit, eo mortuo, cuncta pro voluntate facilius executurum cogitans.* At divina virtute paulo post recreatus, aperta vi eum Imp. aggreditur, & missis nocturno tempore militibus, ab Ecclesia, & Patriarchali domo eum inde abduci jussit, cum ei *Thomas Patricius, & bis exconsul dixisset. Si eum jusseris expelli domine, non opus multis. Tantum homines duos mitte, aliosque qui afferant, non enim invalescente ægritudine a se potest procedere, atque ita discedet. Id ita fecit summissis nocte, qui Patriarcham ejicerent ecclesia. Erat porro jejuniorum initium,* quod hoc anno die undecima Febr. Græci auspicati sunt. *Quare qui missi fuerant, lectica Patriarcham abducentes medio Millii foro steterunt, ut eum militum quidam occiderent. Erat porro profunda nox, somnoque cunctis depressis, nullus se ipsum movit. Post mediam vero noctem in nullo, quorum erat molimen proficientes,* ut eum scilicet a sententia sua revocarent, *tulerunt eum inde, & in arcem abduxerunt, lintreque impositum trans fretum ad Crysopolim projecere,* cum annos novem, uno dempto mense CP. ecclesiam gubernasset, ordinatus scilicet die duodecima Aprilis anni 806. & die 13. Martii hujus anni, quæ in dominicam sexagesimæ incidebat, cum Quadragesimale jejunium auspicarentur Græci, sua sede dejectus. In Proconesum vero, quæ parva insula est in Propontide sita, eum relegatum fuisse Curopolates, & Cedrenus in vita Leonis Armeni narrant. At ut adnotat Pagius ad *Iteni* sinum, idest ad augusti freti sinum, quod CPolim inter, & Chalcedonem erat, in monasterio, quod ipse ædificaverat, Bovi nomine, seu potius *Boni* dictum, relegatum fuisse probat, tum ex Niceta, in vita Ignatii Patriarchæ CPolitani, cum ex Ignatio Nicephori Patriarchæ vitæ scriptore apud Bollandum die 13. Martii, ubi numero 72. hæc narrat. *Mare dorsa explicans in lintra excepit justum,* idest Nicephorum, *ad monasterium, quod ipse extruxerat bovi nomine,* seu boni ablegatum, ubi exul per annos quatuordecim

decim mansit, ibique clarus meritis diem ultimum obiit.

Nicephori Patriarchæ aliorumque Episcoporum fides tentatur.

3. Multis vero modis Nicephori Patriarchæ, aliorumque Episcoporum, & monasteriorum Præpositorum fidem tentatam fuisse, cum præcipue eos in Palatio congregavit Leo Imp. ut cum sacrarum imaginum eversoribus disputationem inirent, narrant scriptores Græci Theosterictus scilicet in vita Nicetæ monachi Medlciensis in Bithynia, & Michael in vita Theodori Studitæ, de quibus hæc summatim adnotat Leo Grammaticus in Chronographia, Leonis Armeni gesta compendio referens. *Leo post Imperii annos duos in amentiam versus. . . . Imitatus detestandæ hujus hæreseos ducem, ejusdem nominis, morumque exemplar*, idest Leonem Isauricum, *hæresim ipsam profiteri cœpit, ejusdemque sacrilegii consciis conquisitis, Joannem dictum Grammaticum, magis autem Joannem alium, vel Simonem divinationibus ex pelvi, præstigiis, & spurcitiis celeberrimum, aliosque sensus ejusdem consortes invenit*. Atque ex iis inter Episcopos Antonius Sylei, fuit, ex Monachis Leontius, & Zosimus, ut in vita Nicetæ adnotat Theosterictus. Hos itaque, aliosque cum sibi consentientes Leo Imp. invenisset, *Nicephoro laude digno Patriarchæ* (sequitur is auctor) *& qui cum ipso erant Episcopis coram Senatu vocatis, ait, nullatenus vos latet emersisse quosdam imagines non adorandas asserentes*, quæ cum audissent catholici Episcopi summa cum libertate Imperatorem admonuerunt, ne ecclesiam catholicam hisce quæstionibus iterum conturbaret. Ex iis præcipui fuere, ait idem auctor, Euthymius Sardium Episcopus, & Theodorus Studii Præpositus, quibus auditis *Tyrannus furore accensus, leonum more cum Simius esset infremens, cunctos evomitis injuriis ejecit, magnumque Nicephorum civitate pulsum, & Theodorum pariter Studii Præpositum in exilium ejecit. Theodotum vero Cassiteram Patriarcham ordinari præcepit*, virum ut supra dixerat *illiteratum, & supra pisces voce carentem*, de cujus ordinatione, & gestis infra.

Nicephorus CP. Patriarcha aliique Episcopi fidem catholicam libere profitentur.

4. De his autem, quæ in eo conciliabulo, seu Sinagoga Satanæ actum est, plura referunt, tum in vita Theodori Michael, cum Theosderictus in vits Nicetæ. *Post hæc omnem monachorum multitudinem cum Episcopis, & Metropolitis ad sanctissimum Nicephorum Patriarcham coegit, qui per totam noctem in magna Ecclesia pernoctarunt. Mane vero ipsos*

JESU CHR. AN. 815. *ipsos ad se Imperator accersivit. Habebat autem secum intra palatium occultos quosdam fallaces homines, & malorum magistros, quos veluti gallina quædam in regia domo fovens & animans, eisque dona promittens: jubebat nihil metuere. jussit autem & Patriarcham solum in primis ad se introire, ignorans quænam inter ipsos seorsum dicta fuerant. Deinde omnes accersivit. Itaque ante illum stetit Patrum caterva lectissimorum hominum ac sanctorum, qui Angelis similes erant ac divini. Aderant & Imperatoris Optimates, & totus Senatus. Sanctissimus igitur Nicephorus eos, qui gradus dignitate præstantes erant affatus: Agite, inquit, dicite mihi: Potestne cadere quod non est?* casui expositum scilicet: *At illi cum ad ejus interrogationis obscuritatem ambigerent, & nihil responderent, sed se vicissim intuerentur: rursus Patriarcha ab eis quæsivit: Nam Leonis & Constantini Isaurorum tempore sanctæ imagines cecidissent? Illi vero cum capitu deorsum inclinassent, & nutu verum esse quod Patriarcha quæsierat, significantes, quod satis erat ad eorum quæ private inter se dixerant propositum confirmandum: tum Patriarcha: Quomodo, inquit, quod non stat potest cadere? Ad hæc nihil respondit Imperator, sed ad Patres conversus ait: Scitote Patres, me idem sentire quod vos, simulque effigiem quamdam, quam in sinu gestabat extulit & per simulationem illam adorans, sentio, inquit, quod vos, ut videtis, neque a vobis diffideo. Verum quidam surrexere, qui aliter docentes, eam viam rectam esse dicunt, quam ipsi tenent. Prodeant igitur coram vobis, & materia hæc inter vos inquiratur. Et si quidem vobis persuaserint, quod ipsi recte dicant, neque vos quod bonum est impediatis. Si vero ipsi a vobis persuasi fuerint, quod res novas doceant, desistant a prava doctrina, & recti dogmatis sententia vigeat, ut antea. Nam si de alia aliqua re minoris momenti ad me relatum esset, neque ita deceret me eam rem tacitam præterire: Quomodo de ecclesiastica quæstione tacuerim?* Atque his ad fallendos eos subdole ab Imperatore dictis omnium primus Æmilianus Cizici Episcopus Imperatori dixit, si de quæstione ecclesiastica agitur, in ecclesia, non in Palatio tractanda est, eique consentiens Michael Sinnaculorum Episcopus addidit impietatis auctores ab eo in Palatio detineri, quibus loquendi, disputandique facultas erat, dum neque in angulis contra

tra eos loqui auderent, edictis ejus perterriti. Imperator autem eos ideo disputationem refugere dixit, eo quod quid responderent non invenirent; At ii multa quidem habere dixerunt, quibus licitum, sanctumque imaginum cultum probare potuissent. Post Theophilatum, Petrus Niceæ Episcopus dixit, cum Manicheis se decertare non posse, cum eorum ipse Imperator propugnator esset : liberiore etiam oratione utens Euthymius Sardensis Episcopus dixit, per octingentos & ultra annos imagines Christi in tota ecclesia pictas, & adoratas fuisse. Quamobrem adversus eos, qui eamdem hæresim docuerant, Nicæna synodus sub Irene, & Constantino Imp. anathema dixerat, quibus se subscribere testatus est.

Theodori Studitæ ad Imperatorem oratio pro imaginum cultu retinendo.

5. Cum hæc, aliaque, quæ fusiori stilo in actis Theodori Studitæ, & Nicætæ a Michaele, & Theosdericto narrantur, dixissent Episcopi, Theodorus ipse Studitarum Præfectus, Imperatorem ne ecclesiæ statum dissolveret, admonuit; adnotans, in ecclesia a Deo constitutos esse Pastores, ut eam regerent, non Reges. *Tibi quidem Imperator civilis status, & exercitus commissus est, hæc igitur cura. Ecclesiam autem pastoribus, & doctoribus, ut ait Apostolus, derelinque. At si non vis hæc facere: si quis pervertendæ fidei nostræ causa de cœlo nobis aliquid annunciaverit, ipsum non audiemus, tantum abest, ut te audituri sumus. Tunc Imperator furore admodum exardescens, & quod recte dictum fuerat, velut injuriosum quiddam accipiens, omnes ejecit. Theodorum vero in exilium misit &c.* Hæc Theocterictus, nonnulla præteriens, quæ Theodori exilium præcesserant, utpote scopo suo minus necessaria, ea tamen Michael in ejus vita adnotavit. Inter cetera Imperatorem admonuisse adversus imaginum cultum inaniter ea objici, quæ in veteri testamento adversus Idola scripta sunt, nam simulachrorum prohibitio Judæis facta, eam tantum gentem, ad Idolatriam proclivem spectabat. Nonnulla tamen simulachra Judæos quoque habuisse probat, cum in Tabernaculo, & Propitiatorio Cherubin imagines Dei jussu positæ fuerant. Hinc Jesu Christi imagines, ad memoriam tanti beneficii hominibus collati, vel ab ipso ecclesiæ nascentis exordio, in usu, & veneratione fuisse addidit, exemplisque confirmavit, ac Christum ipsum vultus sui imaginem in lineo velamine expressam

 Abga-

JESU CHR. AN. 815.

Abgaro Edessenorum Regi misisse narrat, Lucam vero Evangelistam Christi imagines pinxisse, quos sane Idola dicere, ut ab Iconoclastis fiebat, summæ impietatis esse addidit. Ac mirari se, ait, quod cum Crucem Sanctam adoratione dignam judicarent, Christi imagines, vel Beatæ Virginis, & Sanctorum veneratione indignas esse effutirent, vel tamquam Idola execratione digna haberent. Cumque hæc, aliaque dixisset, ira fervens, seu furens Leo Episcopos omnes, & monasteriorum præpositos insalutatos e conspectu suo ejecit, nil de iis tunc decernens, ad alia certamina reservans.

Theodorus edicto Imp. ne de fide disputarent, resistit.

6. Vix unusquisque domum redierat, cum iis allatum est Imperatoris edictum, quo jubebat, ut nemo imposterum de fide dispntaret, aut docendo sermonem haberet, cumque Imperatoris edicto nonnulli monachorum præfecti subscripsissent, Theodorus nefas esse dixit, in fidei causa silere. *Omnibus congruentia incunctanter suggerebat*, ait ejus vitæ auctor, *illos audiens, alios litteris confirmans, abjectosque, & prostratos animos erigens verbisque excitans*, nec verbis tantum id effecit, sed scriptis litteris. *Videns monachorum Præfectos silentio victos, lingua vinctos, atque edicto illo prostratos: sciens ejusmodi factum haud mediocrem ceteris monachis, immo & orthodoxis omnibus afferre ruinam, mox ex adverso consurgens, ad tanta ecclesiæ illata damna reparanda festinans, exacuit stylum ad pugnam, litteras in facti detestationem conscribens*.

Theodori epist. ad Monachos.

7. Harum primam, tamquam encyclicam ad omnes monachos inscripsit, eaque monachos admonet, ne Præpositis suis, qui edicto Imperatoris subscripserant, atque ad servandum in causa fidei silentium promiserant, obedirent, cum id in fidei præjudicium, suæque ipsorum saluti esset, quoniam Christus dixit. *Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor ego coram Patre meo, & vicissim &c.* Ex his autem Theodori litteris constat Nicephorum ipsum CP. Patriarcham, etsi Imperatoris edicto non subscripsisset, nihilominus animo consternatum eousque fuisse, ut domi se contineret, & clam sacrificium offerret, unde in sui excusationem monachi ajebant. *Occulte dicitis*, ajebat Theodorus, *sacrificans Nicephorus clam offert, & Patricii omnes; ut ceteros omittam, sunt orthodoxi &c.* His autem ut mederetur Theodorus Nicephorum erigere. & in tuenda catholica fide confir-

firmare curavit. *Patriarcham imprimis frequentabat, consiliarium se illi ad omnia præbebat. Cumque illum afflictum admodum, & præ doloris magnitudine sui pene oblitum videret, saluberrimis monitis recreabat, & ad Dei optimi benignitatem recolendam hortabatur &c.* Quare Nicephorus Theodori exhortatione & exemplo confirmatus, cum imaginum cultum retinendum esse palam doceret, paulo post in exilium ejectus est, uti jam supra diximus, quem etiam in exilio positum litteris suis adiit Theodorus, ut cum eo in tribulatione posito gratularetur.

JESU CHR. AN. 815.

8. *Reliquisti turbam famulorum*, ait, *& oblectamenta Archiepiscopalia, & variis incomodis, confessorum more, exerceri maluisti, quam temporariis frui deliciis peccati . . .* & circa finem. *Hæc est gloria ecclesiæ tuæ, hoc insigne ac symbolum martyrii, quod sequens ætas excipiens, Deum in te sicut nunc, glorificabit &c.* Ejusdemque argumenti ad alios in exilio constitutos epistolas scripsit, veluti ad Theophilatum Nicomediensem Episcopum, cum idem ipse in exilio, quin in carcere esset. Dum autem adhuc CPoli hoc anno esset, Nicephoro ejecto, & orthodoxis Presbyteris, cum passim nullo prohibente sacræ imagines dejicerentur, ac frangerentur, omnique contumeliarum genere afficerentur. Theodorus die festo Palmarum, zeli sui circa imaginum cultum non obscurum dedit indicium, nam Christi imaginem, solemni supplicatione circa Studitarum monasterium circumferri jussit, ut in ejus vita narrat Michael cap. 48.

Theodori epist. ad Nicephorum CP. Patriarcham in exilio.

9. Hæc de gestis CPoli usque ad Paschatis festum, quo adstante, Nicephoro Patriarcha in exilium acto, *Joannem Pancratii filium, quod sibi adhæsisset ad istiusmodi dignitatem promovere studebat* Leo Imp. ait Anonymus auctor apud Theophanem, at a Patriciis admonitus, quod juvenis, & ignobilis esset, cui eos se subjicere non decebat. *Eamobrem Theodotum Michaelis Patricii Melissini, Constantini Imperatoris Caballini ob tertiam ejus conjugem filium elegit. Istum inquam Theodotum Spatharo candidatum opinatis ejus consentientem, maritali nuptiarum corona notatum tonderi jussit, & Patriarcham consecrari. Celebrata est ordinatio ejus. Paschatis festo, hominis, inquam, qui nihil spirituale calleret, nulla scripturæ parte foret eruditus, nisi forte levissima, qui nullam erga Deum pietatem ostenderet, tantum*

Theodotus CP. Patriarcha ordinatur.

 quod

JESU CHR. AN. 815. *quod, mansuetudinem praestaret, & bonus hominibus appareret, commendabatur. Hic cum Patriarchalem dignitatem subiisset, opipara meridiana, serotinaque carnibus appositis coepit agitare convivia, Clericosque, & Monachos, nec non Episcopos a juvenili aetate carnium esu abstinentes, continentiam abrumpere, & ad ingluviem comedere compulit: & ubi primum pietas plurima, honestas, continentia, & virtus enitebat, ibi risus, lusus, turpiloquia haberi, absque disciplinae cujuscumque jugo vidisses.*

Iconomachorum concilium CPoli celebratur.

10. His gestis Theodotus CP. Pseudo-Patriarcha ordinatus, Leonis Imp. voluntati, tamquam vilissimum mancipium obsequens. Post Pascha concilium CPoli in ecclesia Sanctae Sophiae congregavit, & Theodoto velut Patriarcha sedere jusso, cum nonnullis aliis Episcopis. *Cruces, & juramenta adversus veritatem figere deposuit.* Atque *hoc pacto tomum illum a Pseudosynodi, quam septimae synodi ad Blanchernas decretum vocaverant, defensoribus editum coram legerunt, & Orthodoxos Patriarchas nostros anathematis haeredes, anathemate percusserunt*, ait Anonymus apud Theophanem, idest, ut in epistola ad Patriarcham Hierosolymorum, & Antiochenum narrat Theodorus. *Synodus facta est, veterem illum impiam confirmans*, (ab Iconomachis ad Blanchernas olim habitam) *& orthodoxam anathemate condemnans.*

Catholici Episcopi in synodo praedatoria varie vexati.

11. Metropolitas vero, & Episcopos Orthodoxos ad praedatoriam synodum per vim tractos, & in medium projectos, *pedibus conculcaverunt*, ait idem auctor, *& proprio sanguine infectos militibusque traditos in custodias, & carceres detruserunt: ibique diebus aliquot detentos rursum eductos & examinatos morem dictis suis gessisse non reperientes, Imperatore mendacii auctore de iis monito in exilium misërunt, quos insuper in exilio positos missis tortoribus, variis suppliciis affecit.* De quibus plura narrant Ignatius in vita Nicephori Patriarchae, Michael in vita Theodori, & Theosterictus in vita Nicetae, nunc cum Ignatio adnotare sufficiet. *Tunc Clericos ludibria, atque verbera expertos firmissimis undequaque ergastulis detineri. Nazareos nostros verberibus, fame, siti, diuturnis carceribus ac laboribus maceratos, ad extrema usque pericula inter cruciatus perseverare, & horum quidem alios gladio vitam amittere, alios culeis in-*

inclusos, vinctosque saxorum more alto pelago demergi. Fœminas vero viris spectantibus denudari, ac velut reas eculeo distendi ac cædi, omnia, virili sensu, Christi causa perferentes. Ex Episcopis, qui in Synodo Imp. restiterunt, eaque de causa exilia & verbera perpessi sunt, hos præcipue Græcorum Menæa ad diem octavam Martii celebrant, Theodorum CP. Patriarcham, Emilianum Cizicensem, Euthymium Sardiensem, Josephum Thessalonicensem, Michaelem Sinodensem, Eudoxium Amoriensem, Theophilatum Nicomediensem.

Imagines ubique deponuntur, & effringuntur, vel turpantur.

12. Post hæc subdit is auctor, Imperator *Imagines per ecclesias ubivis erectas deposuit, & combussit, sacraque vasa cœlatis imaginibus insignia contrivit. De his obmutire ausis, linguas abscidit, istos contulit verberibus, alios delatoribus, & impiis hominibus institutis, ut ubicumque aliquos sibi non communicantes reperirent, accusari permisit. Repertos autem verberibus intolerandis subjiciebat, facultates publico addicebat, & in exilium pellebat, non viros solum, sed & mulieres. Quid malorum illorum caliginem memorare necesse est? fideles enim transgressores decretorum suorum in alienas regiones missos a locorum dominis gentilitate detentis comprehendi novus Antichristus factus curabat; ex quo Episcopos, & monachos plures ea detentos occidit; & exilio mulctatos Episcopos maris insulis inclusit, variisque modis vexavit &c.* Hucusque is auctor, quibus de gestis Leonis Armeni finem facit, cum cetera non sine historiæ damno desint. At ad totius tragœdiæ seriem exponendam alia plurima veterum scripta supersunt: Unus præceteris Theodorus Studita, qui de eadem persecutione plurima scripsit, ac graviora pertulit, eamdem historiam persequentibus quamplurima subministrabit.

Theodorus monachos synodo adesse prohibet.

13. Cumque eum non solum sui monasterii, sed aliorum etiam Præpositi consuluissent quid agere deberent, ac an indictæ ab Iconomachis synodo adesse possent, aut deberent, ne sæpius etiam vocati adessent, admonuit. *Multi e monachis ad illum eo tempore confluebant*, ait in ejus vita Michael, *sua quisque, tamquam apud communem patrem deponentes, & quid in re præsenti facere debeant, interrogantes: Quave ratione ad Patriarchium vocati, vocationem defugere ac vitare possint. Vocabant enim illos impietatis duces*,

JESU CHR. AN. 815.

ces, ut in erroris societatem pertraherent. His ille omnibus utilia pariter & congruentia persuadebat, optimum ducens penitus abstinere: neque eo ire, ac ne sermonem quidem conferre cum hæreticis, unde nulla esse posset utilitas, litterisque excusationem proferre, cujus rei gratia vocatis adire non liceat. Rogabant autem illum, ut litteras ipse dictaret, & quod vellet, suis verbis exprimeret. Itaque præscribit ipsorum nomine epistolam, duobusque monachis deferendam tradit his verbis: Nos legimus divinis Ecclesiasticisque canonibus obsequentes, qui manifeste sic sanciunt, nihil præter Episcopi sui sententiam dicere, aut agere oportere, aut de his quæ ad Fidei dogma, vel ad aliam quempiam divinam controversiam spectant investigare aut penitus inquirere: nec venire, absente Patriarcha, possumus, nec vocantibus vobis parere, ne reos nos ipsi faciamus, violatæque legis culpam sustineamus. Est enim talium vindex Deus, minime inultos sinens eos, qui ejus mandata despiciunt. Quare ignoscite nobis, quod adventum refugimus, quem noxius nobis fore scimus. Quid enim respondere vobis, aut omnino loqui possimus, proprio capite destituti, cui tamquam membra copulati omnes sumus, & sine quo reliquum corpus operari non potest? Parvus enim pariter & magnus, in universum omnes ac singuli privatim Patriarchæ nostro colligati sumus, ab eoque pendemus, & pendebimus perpetuo. Hucusque Theodori epistola apud Michaelem ad Pseudosynodum datam nomine monachorum, extatque adhuc longiori stylo exarata inter ejusdem epistolas, cum hac inscriptione. *Iconomachicæ synodo, tamquam ex persona omnium Præpositorum*; cujus summa est, se absente Nicephoro Patriarcha adesse non posse, & ne plura addamus, epistolæ initio ajebat. *Cumque ab auctoritate vestra semel atque iterum ad talia evocaremur, ausi non fuimus præter ea, quæ statuta sunt agentes, accedere, ut qui sub sacra manu Nicephori sanctissimi Patriarchæ divino spiritu constituti sumus &c.*

Nicetas, & alii ob fidei confessionem in carcerem, dein in exilium missi.

14. In ea tamen synodo una cum Episcopis, monasteriorum quoque præpositos adfuisse ac etiam Iconomachis testitisse scimus. Hinc narrat Theostericius in vita Nicetæ, quod ejectis ab synodo, & conculcatis catholicis Episcopis. *Jussi sunt introire insignium monasteriorum duces. Itaque omnes introierunt, è quorum numero unus fuit Nicetas,*

quos

quos cum primum blando sermone in suam sententiam trahere conati essent, nihilque profecissent, in diversos carceres eos conjecerunt. Ex his Niceta in carcere maleolente & sordido clausus fuit, ait idem auctor, ut hæc etiam gravioris suplicii locum teneret, in quo cum per multos dies fuisset, *Tunc Imperator in orientis partibus illum exulem esse jussit, & in castello quodam servari, quod Musaleon dicebatur*, hæc autem anno desinente contigisse adnotat, cum ait: *Erat autem medium hyemi tempus, itaque licebat videre sanctum illud corpusculum frigore ac nivibus e superiore parte affligi ex inferiore, vero cum terra ipsa humorem emitteret, & multam difficultatem afferret, multomagis affligebatur. At hæc eum is, qui virum sanctum ad exilium ducere jussus fuerat, natura esset immitis, divinum illum patrem ita urgebat, ut per septem dies, qui eo tempore brevissimi erant, totam viæ illius longitudinem transfegerit*. Hæc de Nicetæ, & sociorum exilio Theosterictus.

JESU CHR. AN. 815.

15. Præ ceteris vero in Theodorum Studitam Imperatoris ira exarsit, qui sicuti ceteros sapientia, ita fidei ardore superabat, ac omnes voce, & scriptis ad imaginum cultum pro viribus retinendum excitabat. Itaque omnes quidem Imperator ejecit; *Theodorum vero in exilium misit, ac jussit quandiu Imperator ipse viveret, in urbem Bizantium non reverti*, ait auctor vitæ S. Nicetæ. At de his audiendi sunt tum Michael in vita Theodori, cum auctor anonymus vitæ S. Nicolai Studitæ, qui cum Theodoro eadem passus est, ac etiam in Præfectura monasterii Studitarum, post Theodorum, successor fuit, quam Combefisius vulgavit, atque inprimis ait Michael. *Nesciens quo se verteret tyrannus, cum hominis libertatem*, idest Theodori, *ac fiduciam ferre amplius non posset, Bizantio expelli, atque in exilium duci, cercerique tradi jussit. Hanc enim vivam quasi vitalem scintillam superesse videns, illam ipsam orthodoxis eripere properabat, ne quem postea sententiæ suæ repugnantem haberet*. Eo accepto decreto omnes sui monasterii monachos ad se vocatos, ut unusquisque inde egrederetur, jussit, ac ut in fide catholica perseverarent, admonuit, hisque valedicens, *eum vicinus Apolloniæ locus in castro, quod epaludis regione Mosopa noncupatur, custodiæ traditum excepit*. Atque his addit Theodorum in vinculis

Theodorus & socii in exilium missi, quid ibidem passi fuerint.

Jesu Chr. An. 815. culis positum, cum verbum Dei in eo non esset alligatum litteris suis undequaque scriptis, tum eos, qui in exilio, vel in carceribus detinebantur, vel sponte extorres erant, persecutionem vitantes, ut in fidei confessione persisterent, excitavit: harum plures ex manuscripto Columnensi acceptas annalibus suis Baronius inserens, dignas quidem publica luce merito dixit, utpote quæ monilibus quibusdam auro, gemmisque, nempe catenis, plagis, vibicibus, sacrisque Christi stigmatibus gloriosæ, ac Apostolico spiritu, & stylo exaratæ. Ex his prima se offert ea, quam catachetica, sive dogmatica dicitur, inscripta, *Omnibus ubique propter Christum dispersis fratribus, & iis, qui in carceribus, & exiliis detinentur.* Eaque imagines tam Jesu Christi, quam Deiparæ, & sanctorum retinendas, venerationeque dignas esse docet, atque ut in catholici dogmatis defensione perseverarent, excitat. Quæ, & quanta ob eam dicendi, scribendique libertatem Theodorus pertulerit, dicemus sequentibus annis, nunc de sociis passionum ejus pauca subdimus.

Theodori epist. de martyrio Thadæi. 16. Speraverat tyrannus Theodori discipulos, ab eo divulsos, in suam sententiam facile se trahere posse, ac ab catholica fide divelli; atque ad id exequendum Barda propinquo suo usus est, ut in Theodori vita narrat Michael. Is vero vir sævus, & Leone crudelior, idest Bardas, cum in Studitarum monasterium advenisset, Thadæum monachum ibi inventum, tandiu, ad aliorum terrorem, flagellis verberari jussit, ut inter verbera spiritum emiserit, quæ ut Theodorus in exilio didicit, Neucratio scribens, se duplici animi sensu affici testatus est, mœrore scilicet, ob discipuli obitum, & lætitiæ ob victoriam ab eo, & martyrii coronam adeptam. *Quem sensum miser capiam in iis, quæ acciderunt*, ait: *Gaudium mihi, & dolor, jubilatio & luctus . . . Verumtamen vincit, qui Satanam vincit & Principes, & tortores hujus seculi. Morti pro Christo datus est Christi agnus flagellis concisus, Thadæus ramus meus, viscera mea, filius obedientiæ . . . . & quoniam mihi abiisti beate fili*, ait post aliqua *ubi tam cito exaltatus es in martyrum album inscriptus. O fortem tuam: O generositatem tuam: O prudens consilium tuum. Uno die infinita secula promeruisti, per cruciatuum tormenta inexplicabilem lætitiam adeptus es, centum*

tum & triginta verberum suffragio plenam laboris mercedem a Sancta Trinitate cum martyribus accepisti &c. Ac iterum Thadæi exemplo proposito, aliorum ignaviam deplorat, qui in ea persecutione victas dederant manus. *Hoc de Jacobo dixerim, & Luciano,* inquit, *quorum alter quidem decertavit, & utinam usque in finem decertasset cum Dorotheo & Bessarione, alter propter peccata mea naufragium fecit cum sui similibus? O quomodo ceciderunt in medio luminum infelices &c.* Hæc, & alia ibidem Theodorus, qui egregium anno sequenti fidei tuendæ specimen exhibuit, ut ibidem dicturi sumus.

Ludovici Imp. decretum pro Hispanis.

17. Jam ab anno 812. edicto suo Carolus M. Hispanorum incolumitati consuluerat, qui ut Seracenorum durissimum jugum aufugerent, in Septimaniam, seu Catalauniam Francis subditam confugerant, eoque jusserat, ut terras, quas excolendas acceperant, sui juris essent, ab omni etiam censu, seu tributo liberæ, cumque præcepta Caroli hactenus dilata fuissent ipse Ludovici clementiam Hispani profugi implorarunt, quos benigne exceptos, sub sua protectione esse, proposito edicto declaravit, iisdemque privilegiis uti voluit, quibus ceteri Franci utebantur, ejusdemque decreti tria exempla apud eos servari jussit, apud Episcopum scilicet, apud Comitem, & tertium apud ipsos Hispanos ibidem commorantes, quartum vero in Imperiali Palatio. *Ut ex illius inspectione, si quando ut fieri solet, aut ipsi se reclamaverint, aut Comes, vel quilibet alter contra eos causam habuerit, definitio litis fieri possit &c.* subscriptum sua manu decretum, Durandus Diaconus vicem Helicharii Cancellari gerens, recognovit, ac datum est. *Kal. Januarii, anno Christo propitio primo Imperii domni Ludovici pii Aug. indict.* 8. In eademque re biennio post, seu anno 817. alteram sanctionem edidit, cum apud eum iterum querelas deposuissent iidem ex Hispaniis profugi in Francorum ditionem translati, eo quod ex agris, & habitationibus ab Caroli pietate acceptis, potentiorum injuria ejicerentur quod ultra fieri Ludovicus prohibuit. *Quorum neutrum justum, aut rationabile nobis esse videtur, & ideo per hanc nostræ præceptionis auctoritatem decernimus, atque jubemus, ut hi, qui vel nostrum, vel Domni & genitoris nostri præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de de-*

Jasu Chr. an. 815. *ferto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Ceteri vero, qui simul cum eis venerunt, & loca deserta occupaverunt, quidquid de inculto excoluerunt, absque ulla inquietitudine possideant, tam ipsi quam illorum posteritas, ita dumtaxat, ut servitium nostrum cum illo, qui ipsum praeceptum accepit, pro modo possessionis, quam tenet facere debeat &c. Hi vero qui postea venerunt, & se aut Comitibus, aut Vassis nostris, aut paribus suis se commendaverunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperant, tali eas in futurum & ipsi possideant, & suae posteritati derelinquant &c.* Quousque autem Francorum dominatio in Hispaniis se extenderet, his verbis indicat Ludovicus, dum septem hujus constitutionis exemplaria fieri jussit, quorum unum in Narbona, alterum in Carcassona, tertium in Rosciliona, quartum iu Empuriis, quintum in Barcinona, sextum in Gerunda, septimum in Bitteris haberi praecepit. Alterum etiam in Archivio Palatii nostri, ac datum dicitur hoc praeceptum quarto Idus Febr. anno Imperii Ludovici Aug. tertio, indictione nona.

Ludovicus conventum Paderbonae celebrat.

18. Patris vestigiis inhaerens Ludovicus frequentiores cum Episcopis, & Regni Proceribus conventus habuit, ut tum ecclesiasticis negotiis, cum Politicis consuleret. Hoc anno Imperii sui secumdo. *Suum placitum cum Francis in Saxonia ad Phaderbrunem habuit*, ait Annalista Caesareus a Lambecio, editus, *& illuc venit filius ejus Hludharius*, sive Clotarius, *Rex Bojariorum, & alius filius, idest Pippinus Rex Equitaniorum*, seu Equitanorum, *Bernhardus quoque filius Pippini Rex Longobardorum, & erat illud placitum Kal. Julii mensis*. Ejusdemque conventus meminit Eginhardus in annalibus, additque. *Ibi ad eum Orientalium Sclavorum Primores & legati venerunt, sed antequam illuc veniret, & cum adhuc domi esset, allatum est ei quosdam de Primoribus Romanorum, ad interficiendum Leonem Papam in ipsa urbe conspirasse &c.* Ex his autem scimus Romanos adversus Leonem Papam ante Kal. Julii, qua die Ludovicus Paderbonae erat, conspirasse, de quibus nunc agendum.

Conjuratio Romanorum in Leonem Pontificem.

19. Immane Romanorum scelus adversus Leonem Pontificem admissum, anno 799. adnotavimus, idem autem facinus hoc anno tentatum fuisse narrant Annales Francorum, Egi-

Eginhardus scilicet, & auctor vitæ Ludovici Astronomus passim dictus, cum iterum in Pontificis vitam nefarii homines conspirarunt. Mortuo quippe Carolo, qui Romanam ecclesiam, Romanosque Pontifices in sua hactenus tutela receperat, quidquid audendi licentiam nacti, quod anno 799. perficere nequiverant, ut scilicet Leonem Papam interficerent, hoc anno exequi tentarunt. Cum adhuc domi esset Ludovicus, antequam Paderbonæ pergeret, *Allatum est ei quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipsa Urbe Roma conspirasse, ac deinde cum hujus causæ judicium ad Pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores ipsius jussu fuisse trucidatos. Quod cum moleste ferret, ordinatis tunc Sclavorum & Harioldi rebus, ipsoque in Saxonia dimisso, cum ad Franconofurt palatium venisset Bernhartum Regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse secum in Saxonia fuerat, ad cognoscendum, quod nuntiabatur, Romam mittit. Is cum eo venisset, ægritudine decubuit, res autem quas compererat, per Gerboltum Comitem, qui ad hoc ei Legatus erat datus, Imperatori nuntiavit. Quem Legati Pontificis Joannes Episcopus Silvæ candidæ, Theodorus Nomenclator, & Sergius Dux subsequuti, de iis quæ domino suo objicebantur, per omnia Imperatori satisfecerunt.* Et post nonnulla: *Cum autem Romani Leonem Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu, omnia prædia, quæ in singularum civitatum ditionibus sive territoriis noviter extruxerat, primum diripiunt, deinde immisso igne cremant, tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur, violenter auferre. Quo comperto, Bernhartus Rex missa manu, per VVinigisum Ducem Spoletanum seditionem illam sedavit, & eos a cœpto desistere fecit. Quæque erant gesta per Legatos Imperatori nunciavit.* Hucusque auctor, idest Astronomus in vita Ludovici, cur autem hæc Anastasius in vita Leonis Papæ præterierit, divinare non possumus.

20. Ad hæc tempora refert Agnellus in vitis Episcoporum Ravennatium, quod cum Leo Papa Martinum Ravennatem Episcopum ordinasset circa annum 810., dum adhuc Pippinus Italiæ Rex viveret, temporis tractu, idest hoc tempore accidit, ut adversus Martinum Episcopum querelas Leo Papa, nescio quas recepisset, fortasse simoniæ insimulatum, nam ut auctor est idem Agnellus, idem Episcopus, dum

Leo Papa Martinum Ravenn. Episc. Romam ad judicium vocat.

Jesu Chr. An. 815. adhuc juvenis esset, monasterium sanctæ Mariæ ad Blancernas, ducentis datis aureis acceperat, itaque ut Martinum Romam adesse cogeret ad subeundum judicium, legatum suum Leo Papa ad Ludovicum Imp. miserat, is vero Joannem Arelatensem Episcopum Ravennam misit, ut Martinum vel invitum ad Leonem Papam perduceret, & sane cum itineri se commisisset Martinus, *ac ad Novas, ubi olim fuit civitas, nunc distrupta*, pervenisset, ad sua regressus est, idest Ravennam, cum se ægrotare dixisset, seu potius finxisset, cui auxilium præbuisse, ut Leonis judicium declinaret, Joannem Arelatensem Episcopum muneribus, & donis ab Martino Episcopo non tam placatum, quam corruptum, verosimile est. Et sane nil ultra in ea causa actum fuit, cum graviores paulo post turbæ in ipsum Leonem Papam excitatæ fuerint, qui anno sequenti vivere desiit.

Agobardus Episc. Lugdunensis ordinatur.

21. Hoc tempore, sub initiis Imperii Ludovici Pii, Agobardus Lugdunensis ecclesiæ Chorepiscopus, ejusdem ecclesiæ Archiepiscopns ordinatus est, cum Leiradus Lugdunensis Archiepiscopus in Svessionense monasterium se recepisset, ut his verbis narrat Ado in chronico. *Imperator Carolus Aquisgrani moritur & sepelitur, Bernardus Viennensis Episcopus erat, & Lairadus Lugdunensis, qui initio Imperii Ludovici Imp. Svessionis monasterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejusdem ecclesiæ Chorepiscopus consentiente Imperatore, & universa Gallorum Episcoporum synodo, Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eumdem venerabilem Agobardum a tribus Episcopis in sede Lugdunensi, jubente Lairado, fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est, in una civitate duos Episcopos non esse, nec vivente Episcopo successorem sibi debere eligere*, Ejus autem ordinatio etsi ab omnibus non probaretur, jubente Lairado, & Imperatore consentiente peracta fuit. Hoc unum in ea fortasse reprehensione dignum occurrebat, quod Lairadus successorem sibi delegisset. Nam quo ad alterum caput, duos, scilicet, ejusdem sedis Episcopos tunc fuisse dici vix poterat, cum eidem Sedi Lairadus in monasterium secedens, renunciaverit; Agobardus vero antequam a tribus Episcopis ordinatus esset, & Leirado in Lugdunensi sede succederet, tamquam Chorepiscopus nulla insignitus ordinatione ejusdem coadjutor fuit. Hinc ex Chorepiscopis quorum frequens

in

in historiæ decursu occurrit mentio, alii cum ordinatione Episcopali coadjutores Episcopis dabantur, cujusmodi generis in nobilioribus ecclesiis frequentiores hac ætate, præcipue in Germania sunt, ubi Suffraganei, seu Chorepiscopi titulo Episcopatus in partibus Infidelium ordinati, Episcoporum, quibus dati sunt, vices gerunt, antiquitus tamen, cum Chorepiscopi ordinarentur, absque ullo ecclesiæ titulo ordinabantur, sed Chorepiscopus, sive coadjutor ejusdem ecclesiæ, cui destinabatur, dicebatur. Non deerant tamen hac, & sequenti ætate Chorepiscopi, tum in urbibus, cum in pagis, qui solo Chorepiscoporum titulo contenti, Episcoporum vices sibi delegatas gerebant, atque ex his Agobardum fuisse diximus, qui Lugdunensis Archiepiscopus hoc tempore ordinatus, longo tempore eam rexit ecclesiam, usque ad annum circiter 840. varia tamen fortuna, cum aliquandiu ea dejectus, exulare coactus fuerit, ac tandem suæ sedi restitutus ibidem vitæ finem accepit. De quibus infra suo loco sermo fiet. Quousque vero Lairadus, qui in Svessionensi monasterio hoc anno secedens, Lugdunensis ecclesiæ sedem Agobardo cessit, superstes fuerit, obscurum est ait Mabillonius, ejus autem memoria in Necrologio Lugdunensi quinto Kal. Januarii recolitur. JESU CHR. AN. 816.

JESU CHRISTI AN. 816. STEPHANI PAPÆ 4. AN. 1. LUDOVICI IMP. AN. 3. LEONIS ARMENI AN. 4.

1. Ex factiosorum insidiis Leo Papa anno proximo ereptus, naturæ necessitatem evadere non potuit, e vivis hoc anno revocatus. *Postquam sedem Romanam, & Apostolicam annos viginti, menses quinque, & dies sexdecim gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus, ad æternam migravit requiem*, ait Anastasius, & paulo post. *Sepultus vero est in basilica B. Petri Apostoli pridie idus Junii indict. nona, & cessavit Episcopatus dies decem*. De ejusdem obitu nuncium Ludovico Imp. Aquisgrani commoranti, octavo Kal. Junii perlatum fuisse narrat auctor vitæ ejusdem Imp.. Leone autem tertio e vivis erepto Cleri, populique consensu Stephanus hujus nominis quartus ordinatus fuit; Quanta autem Leonis Pontificis fuerit in restaurandis exornandisque in urbe, & extra urbem ecclesiis, & monasteriis, nonnulla supra adnotavimus, cetera exscribere bre- Leonis Papæ obitus.

Jesu Chr. an. 816. brevitatis propositum prohibet, apud Anastasium, vel Baronium, qui singillatim hæc ex Anastasio descripsit, tum insedis ejus exordio, tum etiam cum ex Germania Romam rediit, reliqua vero hoc anno de ejusdem obitu agens, hoc unum sane mirari lubet, tantam auri, argentique copiam eum habuisse, ut tot, tantaque perficere potuerit, plurima tamen tum ex Caroli M. liberalitate, cum ex peregrinorum ex toto Occidentali orbe ad Apostolorum limina confluentium muneribus collegisse, dubitari vix potest.

Leo tertius interSanctos adscriptus. 2. Tanta Leo Papa apud posteros sanctitatis fama inclaruit, ut inter sanctos adscribi meruerit, ac in Vaticana Basilica uno sub loculo cum Leone primo, secundo, & quarto condi meruit, ut a Pasquale secundo inscriptus lapis docet. *Sub hoc altare sunt corpora SS. Leonum I. II. III. & IV. Pontificum, & Confessorum*, hujus tamen Leonis tertii nulla in martyrologio Rom. mentio fit, sed tantum aliorum trium, quorum distincta occurrit memoria. Eademque sacra lypsana iterum elevata, & recognita fuerunt, cum in novam B. Petri Basilicam, recondita fuerunt, ut apud Henschenium die undecima mensis Aprilis, quo Sanctus Leo magnus colitur, videre est, ubi ex manuscripto catalogo ecclesiæ S. Petri hæc refert. Capsa rubro serico tecta, continet reliquias SS. Leonum primi, Secundi, Tertii, & Quarti Summorum Pontificum, quorum sacra corpora in Vaticana Basilica requiescunt: Quæ quidem Reliquiæ in magno involucro serico albo asservantur, & in libro Rerum memorabilium Vaticanæ Basilicæ ad annum 1575. hæc habentur. *Instauratio Altaris, seu Oratorii dictorum Sanctorum apertio sepulcri, & inspectio corporum eorumdem die prima Augusti anno* 1570. *Gregorio XIII. Summo Pontifice, &c. Multisque Prælatis presentibus*. Tum de translatione Leonis Primi hæc narrantur. *Sacrum ipsum corpus, una cum ossibus aliorum Leonum, Secundi, Tertii, & Quarti, solemni ritu in novum Templum translatum fuit, memorata die* 27. *Maii, Dominica infra Octavam ascensionis* 1607. *post cantatas Vesperas. Huic Translationi præsentes fuerunt &c. Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa V. voluit videre corpora eorumdem Sanctorum, viditque illa multo animi sui solatio &c.* Cumque Alexander Papa septimus, novum Leoni primo seu Magno altare erigendum curaverit, ejusdem S. Pontificis effigiem At-

Attilæ Hunnorum Regi occurrentem ex marmore egregie fcalpro Equitis Algardi expreffam poni juffit, cujus Archetypum gypfeum, ad ornatum fcalæ majoris domus noftræ Vallicelanæ idem Pontifex donavit. Opere autem abfoluto ad idem altare corpus Leonis M., a fociis Leonibus divulfum, Clementis undecimi Papæ juffu fub altari fuo folemniter translatum fuit: Utriufque translationis hiftoriam refert clariffimus Dionyfius bafilicæ S. Petri Præbendatus, in egregio opere de Vaticanis cryptis infcripto.

Jesu Chr. an. 816.

3. Juftis Leoni Papæ perfolutis cum ceffaffet Epifcopatus dies decem; *Stephanus natione Romanus ex patre Marino fedit annos feptem, dies tres*, non vero *annos feptem, menfes feptem*, ut in vulgatis Anaftafii Codicibus legitur, ac die 22. menfis Junii, quæ in dominicam cadebat, confecratus fuit. Hic vero nobili profapia, & clariffimo genere ortus, a primœva ætate in Patriarchio Lateranenfi educatus, divinis, humanifque litteris excultus fuit, Subdiaconus a Leone tertio primum, deinde ad Diaconatus ordinem evectus fuerat, eoque defuncto, *ad facrum Pontificatus culmen electus*. Qui omnes uno affectu, parique amore *eum ad ecclefiam B. Petri Apoftoli perducentes, Dei ordinante providentia, Papa orbis confecratus*, ait Anaftafius, ac fubdit. *Hic fanctiffimus vir in Pontificatu jam pofitus, pro confirmanda pace, & unitate fanctæ Dei Ecclefiæ, Franciæ arripuit iter ad piiffimum & fereniffimum Domnum Ludovicum Imperatorem. Qui cum in Franciam perveniffet, tanto honore atque exaltatione a prædicto piiffimo Principe atque Francorum populo fufceptus eft, quantum vix lingua narrare poteft. Et tantam gratiam largitus eft ei Dominus, ut omnia, quæ ab eo popofciffe dignofcitur, in omnibus impetrarit, in tantum ut idem fereniffimus Princeps pro illius amore in finibus Franciæ fuper omnia dona quæ ei largitus eft curtem de fuo proprio Fifco B. Petro Apoftolo perpetuali ufu perceptionis paginam conceffit. Idem vero facer Antiftes exemplum fumens Redemptoris noftri, qui pro nobis de cœlis dignatus eft defcendere, & de captivitate diaboli nos eripere, omnes exules, qui illic captivitate tenebantur propter fcelera & propter iniquitates fuas, quas in fanctam Romanam Ecclefiam, & in Dominum Leonem Papam gefferæ, pro pietate Romam reduxit*. Hæc de eo Ana-

Stephanus quartus Pontifex ordinatur, ejus iter in Gallias.

fta-

Jesu Chr. an. 816.

Quo honore Stephanus Papa a Ludovico Imp. exceptus fuerit.

stasius, quibus hæc alia addimus ab eo prætermissa, sed ab aliis ejusdem ætatis scriptoribus narrata.

4. Auctor coevus vitæ Ludovici Imp. quo honore ab eodem Imp. exceptus fuerit his verbis narrat. *Vix duobus exactis mensibus*, ab ordinatione sua, *summa cum festinatione ei occurrere festinavit*, Stephanus Papa, *præmisit tamen legationem, quæ super ordinatione ejus Imperatori satisfaceret. Imperator autem ejus adventu præcognito, Bernartho quidem nepoti eum comitari jussit. Sed & appropinquanti alios missos, qui cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem adventum ejus Rhemis sustinere statuit. Cui etiam obviam Hildebaldum, Archicapellanum sacri Palatii, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Joannem Arelatensem, aliorumque ministrorum Ecclesiæ copiam procedere jussit, infulis indutos sacerdotalibus. Ad ultimum Imperator milliarium, equo excepit, & Ecclesiam intrante manu propria sustentavit, præcinentibus pro tanta exultatione variis Ecclesiæ ordinibus: Te Deum laudamus, & reliqua. Quo hymno finito, laudes Imperatori debitas clerus Romanus conclamavit, quarum finem Dominus Apostolicus oratione complevit. His expletis intra domus penetralia concessum est, expositisque causis sui adventus, & benedictioni panis & vini simul participata, Imperator ad civitatem rediit, dominus Apostolicus ibidem remansit*. Hæc ille; de quibus hæc etiam narrat alius ejusdem temporis, rerumque a Ludovico gestarum scriptor Theganus scilicet Trevirensis Chorepiscopus, de cujus fide ne quid dubites, habes Walfridi Strabonis, qui eidem operi præfationem præposuit, testimonium, cum hæc adnotat: *Hoc opusculum in morem Annalium Thegam natione Francus, qui eidem operi præfationem Ecclesiæ Chorepiscopus quidem & breviter potius quam tepide composuit, &c.* Idem igitur auctor Theganus rem gestam sic aggreditur. *Stephanus statim postquam Pontificatum suscepit, jussit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico*. Id ea de causa, ut tumultuari soliti Romani in Romanum Pontificem (ut vidimus in Leone) eo saltem modo coerceri possent: Sed pergit auctor, *et dirigens legatos suos ad supradictum Principem, nuntians ei, ut libenter eam videre voluisset in loco ubicumque sibi placuisset. Quod audiens, magno tripudio repletus cæpit gaudere. Et confestim jussit missos*

sos suos obviam ire sancto Pontifici cum salutationibus maximis, & servitia præparare. Perrexit post Missam dominus Ludovicus obviam supradicto Pontifici obvians ei in campo magno Rhemensium. Descendit uterque de equo suo. Et Princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus salutavit Pontificem istis verbis, dicens: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Es respondit Pontifex: Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum David Regem videre. Amplexantes enim se & osculantes pacifice perrexerunt ad ecclesiam, qui cum diu oraverunt, erexit se Pontifex, & excelsa voce cum clero suo fecit ei laudes regales. Postea Pontifex honoravit eum magnis honoribus & multis, & Reginam Irmingardam, & omnes Optimates, & ministros ejus. Et in proxima die Dominica in Ecclesia ante Missarum solemnia coram clero, & omni populo consecravit eum, & unxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum apportaverat, posuit supra caput ejus: & Irmingardam Reginam appellavit Augustam, & posuit coronam auream super caput ejus. Quamdiu ibi erat beatissimus Papa, quotidie colloquium habebat de utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ. Post quod Dominus Imperator eum honoravit magnis & innumeris donis tripliciter, & amplius quam suscepisset ab eo, sicut semper solebat agere, magis dare quam accipere. Dimisit eum ire Romam cum Legatis suis, quibus præcepit ubique in itinere suo honestum exhibere servitium. Hæc idem auctor de gestis Stephani Papæ usque ad reditum in urbem, ejusque obitum post menses tres, ut anno sequenti dicturi sumus. JESU CHR. AN. 816.

5. Inter Stephani Papæ gesta in Galliis pallium Theodulpho Aurelianensi Episcopo datum recensetur, cujus Theodulphus in carmine ad Medoinum Episcopum Augustodunensem, hoc disticho meminit, quod quintum est libri quarti

Stephanus Papa pallium Theodulpho Aurelianensi Episc. tribuit.

> *Solius illud opus Romani Præsulis extat,*
> *Cujus ego accepi pallia sancta manu.*

Accepto pallio deinceps Theodulphus Aurelianensis Archiepiscopus dictus est, ut patet ex diplomate Ludovici Pii hoc

 anno

Jesu Chr. an. 816.

anno a Cointio in Annalibus Francorum num. 20., recitato, quod quidem pallium, etsi Archiepiscopis tantum ut plurimum tribueretur, non desunt tamen exempla, quibus probatur illud ante, & post Theodulphi tempora concessum fuisse Episcopis, qui Metropolitani non erant, ait Pagius.

Ludovicus Imp. conventum Aquisgrani celebrat.

6. Dum Stephanus Papa Romam rediit, Ludovicus Imp. Compendium profectus, ait Theganus, inde vero post dies viginti circiter Aquisgranum transiit, ubi etiam hyemavit, quo cum esset; *Factum est concilium magnum in Aquisgrani mense Augusto*, ait annalista Cæsareus a Lambecio editus, *& præceptum est, ut monachi omnes cursum S. Benedicti cantarent ordine regulari, & duo Codices scripti sunt unus de vita clericorum, & alter de vita Nonnarum*, idest Sanctimonialium &c. Ludovicus etenim pietatis paternæ, æque ac regnorum hæres, ut patris pietatem emularetur, ac ecclesiasticam disciplinam in clero, & monachis utriusque sexus in pristinum decorem restitueret, conventum hoc anno ex Episcopis, Proceribus, & Abbatibus congregavit, quo capitula plurima vulgata sunt, quibus Episcopi, & Presbyteri primum excitantur, ut muneri suo facerent satis, sancteque viverent. Deinde pro canonicis, seu clericis, qui uno sub tecto vivebant, regulæ vulgatæ sunt, sicuti & pro Sanctimonialibus, de quibus singulis nunc agendum.

Aquisgranensis concilii decreta pro Episcopis, & Presbyteris.

7. Ad Episcopos itaque, ex sanctorum Patrum scriptis, ecclesiæque canonibus collecta capitula triginta inscripta sunt, quibus de eorumdem electione, vitæque institutione, & officiis agitur, ac ne quoslibet sine examine vel ad tonsuram, vel ad majores ordines promoverent, admonentur, ac præcipue ut ab exactionibus, & muneribus in clericorum ordinatione exigendis, vel accipiendis abstinerent. Hinc *de Episcopis in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta, & munera contra divinam, & canonicam auctoritatem accipere, vel exigere soliti erant., modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat, quia juxta sacros canones uterque a gradu proprio talia facientes decidere debent*. His alia addita sunt, de raptoribus puellarum puniendis, de illicitis nuptiis prohibendis, de ecclesiis restaurandis, deque bonis earum non distrahendis, & ne quilibet imposterum Crucis examinationem facere præsumeret. *Ne Christi passio, quæ glorificatio est, cujuslibet temeritate contem-*

temptui habeatur. Ideſt ne quilibet in rebus incertis, vel dubiis ad Crucis judicium confugeret.

De inſtitutione Canonicorum liber.

8. Duo etiam libri in eodem conventu vulgati ſunt, primus de Canonicorum inſtitutione inſcriptus, alter de inſtitutione ſanctimonialium. Prioris præfatio his verbis concepta eſt. *Cum in nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis chriſtianiſſimus, & glorioſiſſimus Hlodovicus ſuperno munere Victor Auguſtus, anno Incarnationis D. N. J. C. 816. indict. 19. Anno ſiquidem Imperii 3. Aquiſgrani Palatio generalem ſanctumque conventum convocaſſet &c.* Eaque narratur Ludovicum pro innata ſibi pietate, ad tollendos abuſus, qui in eccleſia irrepſerant, ac præcipue inter eos, qui clero adſcripti erant, juſſiſſe, ut ex S. Patrum ſcriptis, eccleſiæque canonibus certæ exponerentur regulæ, quibus Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumque ex clero, ac ii præcipue, qui Canonici dicebantur, vita moreſque exprimerentur. Quare Epiſcopi ibidem congregati, *Vigilanti ſtudio eamdem inſtitutionis formam colligere ſtuduerant, in qua pleniſſime continetur, qualiter & Prælati vivere, & ſubjectos regere, eisque eccleſiaſticos ſumptus adminiſtrare, & in ſervitio conſtringere, bene operantes quoque ad meliora provocare, protervos quoſque & negligentes debeant corripere. Cum igitur hujus inſtitutionis formam coram memorato principe glorioſo prolatam ſacer conventus laudibus extuliſſet, & eccleſiaſtica auctoritate fulcitam, laudeque dignam, ac ſanctæ eccleſiæ utillimam atque proficuam conſona voce prædicaret, nihilque in ea reprehenſionis ab iis qui ſanum ſapiunt, reperiri poſſe profiteretur, ab eodem victorioſiſſimo principe, & ab omnibus qui aderant, Deo gratias acclamatum eſt &c.* Et ut omnes eam impoſterum, diligenterque tam Prælati, quam ſubditi obſervarent, hortati ſunt, ut ibidem videre eſt. Huic vero inſtitutionis formulæ, ſimilem alteram pro ſanctimonialibus, in eodem conventu, vulgatam fuiſſe hoc eodem anno, in præfationis fine narratur. Hæc autem prima de inſtitutione Canonicorum, capitibus 155. conſtat, quorum ſumma etiam capita referre longum eſſet. Hoc unum adnotare juvabit, omnia fere ex ſacræ Scripturæ teſtimoniis, vel SS. Patrum, & eccleſiæ canonibus excerpta fuiſſe, quorum loca ut plurimum indicantur. Hunc vero librum de vita clericorum, *Amalerius Diaconus ab Imperatore juſſus collegit ex diverſis*

 Do-

JESU CHR. AN. 816. *Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, ut ex ipsis ea, quæ viderentur congrua exciperet, & ita cum decretis Episcoporum, qui ibi fuerunt vita clericorum roborata est*, ait Ademarus in chronico ad hunc annum, & iterum. *Scripsit eidem Imperatori supradictus Amalerius librum de divinis officiis, & de varietatibus eorum, & de ordine psalmorum juxta clericorum usum antiquum*. Per librum de divinis officiis, libros quatuor, qui de ecclesiastico officio inscribuntur Ademarus designat, & per librum de Ordine psalmorum, librum de ordine Antiphonarii indicat, quod utrumque opus Amalario Trevirensi Episcopo olim inscribebatur. Amalario vero Metensi Diacono restituendum esse scimus. Uti apud Mabillonium, aut apud auctores historiæ litterariæ Francorum, aliosque videre est. Metensibus quidem ecclesiæ suæ clericis, regulam, & ut in commune viverent, circa medietatem elapsi seculi dederat Grodegandus, sive Trodegandus Metensis Episcopus, eaque prima dicitur edita pro clericis regularibus, sive canonicis, qui juxta canonum regulas in commune viverent; Metenses tamen clerici, sive canonici primi non fuerunt, qui communem vitam sub Episcopi disciplina, juxta canonum sanctiones viverent, nam longe ante eos, seculo quarto ineunte S. Eusebius Vercellensis una cum ecclesiæ suæ clericis vivebat, ejusdemque exemplum S. Martinus Turonensis Episcopus in Galliis, & in Africa S. Augustinus, ut alios prætereamus, secuti sunt; at nullam Eusebius, Martinus, aut Augustinus regulam pro clericis suis scripserant, quibus Episcopi exemplum, & auctoritas regulæ locum tenebant. Quousque Metenses canonici Grodegangi regulam servaverint, vel quas in ecclesias translata fuerit, non constat. Hoc unum scimus, quod cum in Aquisgranensi concilio hujus anni de tradenda clericis, sive canonicis ecclesiarum regula actum est, eam patres ibidem congregati nequaquam adoptarunt, nec etiam ejusdem mentionem fecerunt, neque eadem usus est Benedictus Anianensis Abbas, in sua regularum concordia, quam anno sequenti, pro monachorum disciplina instauranda, in vulgus emisit, ut ibidem dicturi sumus. Grodegangi regulam exhibent tum conciliorum, cum regularum collectores, Eusebius Amort iu suo de veteri & nova disciplina canonica, & Thomassinus, de veteri & nova ecclesiæ disci-

disciplina, & Labbeus tom. 7. conciliorum pag. 1446.

JESU CHR. AN. 816.

Concilii Aquisgranensis regula pro Sanctimonialibus.

9. Post editam pro canonicis regularibus regulam, alteram pro fœminis sanctimonialibus edidit idem Aquisgranense concilium, atque ut eam ubique servarent, eisdem tradiderunt, eaque capitibus vigintiocto constat, ex scriptis scilicet SS. Patrum, & ex conciliorum decretis digesta. Sex prima capita primam institutionis partem continent, transcriptaque sunt ex Epistola S. Hyeronomi ad Eustochium, ad Demetriadem, ad Furiam, ex Epistola Sancti Cypriani de habitu Virginum, ex Sermone Sancti Cæsarii Sanctimonialibus directo, ex Sermone Sancti Athanasii ad Sponsas Christi. Post sex illos articulos hæc addunt Aquisgranenses Patres: *Diligenter itaque eorumdem Sanctorum Patrum sententiis prælibatis, dignum & necessarium judicavimus per singula capita distinguere, quid Prælatis, quidve subditis observandum sit. Et quoniam subditarum vita Prælatarum est exemplis informanda, primum quales debeant Abbatissæ constitui, qualiter eis vivendum, qualiter subditas gubernandum, qualiterve in Monasteriis residendum, & instanter Domino tota mentis & corporis devotione serviendum, dein quid subiectis specialiter observandum sit, ponendum censuimus*. Et postea sequuntur capita 7. 8. & reliqua. *Canonicas* illas voto paupertatis adstrictas non fuisse, docet cap. 9. & caput 21. ancillas etiam, seu vernulas, quæ Deo dicatis fœminis inserviebant, extra claustra viventes, habuisse constat.

Ludovicus Imp. vulgatam regulam a Canonicis, & Sanctimonialibus observari jubet.

10. Utramque regulam, Canonicorum scilicet, & Sanctimonialium in singulas provincias Ludovicus Imp., datis ad singulos Metropolitanos litteris, misit, iisque jussit, ut ipsi eas ubique vulgari, servarique curarent, ac ad singulos suæ Metropolis Episcopos mitterent, extantque adhuc ejusdem Imperatoris epistolæ tres in eam rem datæ, ad Sicharium Burdigalensem Archiepiscopum, ad Magnum Senonensem, & tertia Arnoni Salisburgensi. Quid vero in iis jusserit, ex epistola Magno inscripta his verbis docet. *Sicut vobis nuperrime in sacro conventu, quem Deo annuente Aquisgrani celebravimus, ubi multa favente Christo ecclesiastice, immo catholice acta sunt; meminimus nos missos nostros Ermenfredum videlicet, & Haymonem formulam canonicæ institutionis, quam idem sacer conventus ex sanctorum patrum spar-*

JESU CHR. AN. 816. *sparsim digestis sententiis colligere, atque in unum congerere studuit. Quam quia vobis transcribendi angustia temporis facultatem denegavit, studii nostri fuit eam diligenter transcribi jubere, ut absque nulla depravatione aut detruncatione, textus ejus ad vos usque incolumis perferretur. Proinde has litteras ad tuam direximus sanctitatem, per quas jubemus, ut memor admonitionis nostræ suffraganeos tuæ diœceseos loco & tempore competenti ad te convocare studeas, ut eamdem institutionem per singula capitula coram ecclesiasticis ordinibus prælegi facias, & qualiter eam sacer conventus ob emolumentum animarum instruere salubriter curaverit, patenter edoceas: & his qui canonicæ professionis censentur nomine, secundum ministerium sibi divinitus collatum, & nostræ auctoritatis præceptum, coram memoratis missis nostris observandam percenseas.* Eorum *autem, qui tardioris sunt ingenii, & eam forte plene intelligere nequeunt, tuo, sive comprovincialium tuorum Episcoporum dono scientiæ pollentium studio ejus notitia sensibus perfundatur. Nam & tuam nihilominus providam volumus esse beatitudinem, ut eam solerti cura prædicti missi nostri omnes, prout insinuaveris, transcribere absque ulla depravatione & detruncatione præmoneant, quoniam qualiter diligenter studioseque, distincte & aperte transcribatur, illos satis instituimus. Cujus nempe exemplar idcirco in armario palatii nostri recondi fecimus, ut per hoc nosse & inquirere possemus, utrumne ab aliquo negligenter transcripta fuerit: quia ut comperimus, dum in eodem sacro concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem concilio prolata, & necdum mensura cibi, & potus plena statuta fuisset, invidi magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsulte ex ea transcripserunt. Unde necesse est, ut si aliquem in tua diœcesi tale fecisse repereris, hujuscemodi factum coram provincialium tuorum Episcoporum conventu, & coram præscriptis missis nostris frustreris, & hanc authenticam, ut præmisimus diligenter, sicut missi nostri eis insinnaverint, transcribi percenseas*, ac se anno proximo missos suos missurum esse denunciat, ut prævideant, & examinent, an fideliter hactenus jussa singuli impleverint, & hæc quæ hactenus de regula a clericis servanda imperavit, eadem, inquam, de regula Sanctimonialium missa repetit, ac post multa, de panis, & potus mensura a clericis, & sanctimonialibus

bus servanda subdit. *Direximus praeterea tibi pondus, & mensuram, secundum quam clericis, & sanctimonialibus panis & potus aequaliter tribuenda sunt*, ac ut cuncta ipse servaret, ceterisque servanda praeciperet, hortatur. JESU CHR. AN. 816.

11. Quem hæc Ludovici Imp. & Episcoporum sollicitudo in reformanda Canonicorum, & Sanctimonialium disciplina, sortita sit effectum, non constat. Hoc unum scimus, ex hac regula, canonicos regulares hac præsertim ætate, idest clericos sub regula in commune viventes originem habuisse, etsi alia sit Pennotii, aliorumque sententia, qui Canonicorum regularium originem ab ipsa Apostolica ætate repetendam esse censuerunt. Hinc etiam factum, ut monachorum plurimi, monastica contempta regula, ad hujus, utpote laxioris, normam transierint, unde monachi æque, ac Canonici dicebantur, uti aliquot ante annos Turonensibus monachis exprobrabat Carolus M. in epistola ad Alcuinum *aliquando monachos, aliquando canonicos, aliquando neutrum vos esse dicitis*, uti jam supra adnotavimus. Origo Canonicorum regularium.

12. Eadem autem regula in quamplurimis Galliarum, & Germaniæ Cathedralibus, & collegiatis ecclesiis adoptata longo tempore in usu fuit, effecitque ne temporis lapsu, clericalis disciplina penitus deperiret; eamdem nihilominus, acriori stilo insectatus est seculo undecimo Petrus Damiani, speciali edito opusculo contra Canonicos regulares edito, quo clericali ordini ignominiosam dicere non dubitavit, ejusdem laxitate, seu potius pro temporis natura discretione offensus, ob id præcipue, quod etsi in commune, & ecclesiæ stipendiis viverent, pecuniam nihilominus, aliaque bona privatim possiderent, quod sane iisdem ex Aquisgranensi regula concessum erat, victus præterea ac potus copia, quæ canonicis regularibus, eadem regula permittebat, abundantior Petro Damiano videbatur. Nec minus acris est utriusque regulæ, Canonicorum scilicet regularium, & Sanctimonialium censura concilii Romani sub Nicolao Papa secundo, ubi referente Ildebrando Romanæ ecclesiæ tunc Archidiacono, postea Romano Pontifice in utramque regulam hæc adnotat. *Et sane hujusmodi Sanctimonialium institutionem usque nunc tota Asia, Africa simul, & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ nec scivit, nec recepit, quam quot-* Aquisgranensis regula pro Canonicis ab Petro Damiano aliisque improbata.

quot

Jesu Chr. An. 816. *quot receperunt a tempore præfati Ludovici recepisse comprobantur. Unde constat ante illum Sanctimoniales ubivis terrarum habuisse quam sequerentur regulam a B. Benedicto aliquibus dictionis a virili sexu ad fœmineum translatis, quam utique in sui regni provinciis inventam, nec Ludovicus mutare qualibet ratione debuit, aut potuit sine auctoritate & consensu sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis: quia quamvis Imperator & devotus, tamen erat laicus. Sed nec monachorum quisquam, quia non est illorum novam in ecclesia proprio suo monasterio, vel arbitrio regulam introducere, insuperque illi contrariam, quam Beatus Gregorius testatur discretione præcipuam, & sermone luculentam &c.* Idest Benedictinam, cujus loco alteram a Canonicis, vel monachis etiam adoptatam fuisse, idest Aquisgranensem hoc anno vulgatam, ferre non poterat Romanum concilium. Cumque hæc regula ab Romana ecclesia nequaquam probata fuerit, in oblivionem abiisse mirum non est. Nam ut in præfatione ad Codicem regularum adnotat eruditus editor, vel ipsi Canonici regulares, quorum tot sunt in orbe Christiano species, quot fere provinciæ, eam servant regulam, quam sibi peculiariter, vel ex Grodegangi, & Aquisgranensi propriam sibi nonnullis additis, vel demptis adoptarunt, de quibus plura dabunt Mabillonius in Annalibus sui ordinis, Amort de veteri, & nova disciplina canonica, & Thomassinus de veteri ecclesiæ disciplina.

Synodus Anglicana in Celichyht.

13. Eodem restaurandæ disciplinæ, zelo, & monasteriorum quieti, & incolumitati consulendi ductus Vifredus Dorovernensis Archiepiscopus synodum in Merciorum provincia, ac in loco, qui Celichyth dicebatur, hoc anno celebravit, anno scilicet, ut in actis legitur, *Dominicæ Incarnationis* 816, *indict.* 9. *sexto Kal. Aug. Kenulphi Regis Merciorum anno* 20. Synodo Rex cum Proceribus, & Abbatibus præsentem fuisse dicitur, qua canones undecim vulgati sunt, quorum primus catholicam fidem ab omnibus servandam esse jubet. 2. Ut cum nova ædificatur ecclesia, eam Episcopus benedicat, in eaque sacrificium offerat, Sanctosque in pariete depingendos jubeat, quibus ea dicata est. 3. Ut concordia servaretur, admonet. 4. Ut in monasteriis Abbates cum familiæ monasticæ consensu, ab Episcopis eligerentur. 5. Nemo Scotos ad ministerium, vel sacrificium cele-

lebrandum admittat, antequam ubi, & a quibus ordinati sint, cognoscatur. 6. Episcoporum judicia, synodali decreto confirmata nemo spernat. 7. Episcopi, Abbates, vel Abatissæ bona monasteriorum distrahere prohibentur. 8. Monasteriorum quieti, & possessionibus consulitur, ne scilicet secularibus tradantur, vel in iis laici habitare præsumant. 9. Ea quæ in synodis decreta sunt, ab Episcopis describantur, eademque apud se conservent, sibi posterisque profutura. 10. Cum Episcopus obierit, decima pars bonorum eius, pro refrigerio animæ ejus, & redemptione peccatorum, pauperibus distribuatur. Undecimo tandem cautum est, ut Episcopi sua diœcesi contenti, alienam non invadant: Presbyteri vero majora negotia Episcopo inconsulto non tractent, nemini tamen baptismum petenti, illum denegent, dumque infantes baptizant, non eos aqua tantum aspergant, sed aquis immergant. *Sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, qui ter in undis Jordani mersus est*. Atque de his hactenus.

Leonis Imp. persecutio adversus monachos instauratur.

14. Excitatam anno proximo adversus Episcopos, & Monachos imaginum cultores persecutionem, hoc anno Leo Imp. auxit, ac primum Monachorum constantia exilio frustra tentata, eosdem CPolim uno Theodoro excepto, revocavit, & blanditiis, minis, ac verberibus aggressus in suam sententiam trahere conatus est, id unum ab eis exigens, ut semel cum Theodoto Patriarcha communicarent, data post hæc singulis libertate ad sua monasteria redeundi, & quam voluerint circa fidem, & imaginum cultum sententiam retinere, qua fraude decepti, monachorum plurimi, atque ex his Nicetas, non tam sua sponte, quam aliorum monachorum precibus exoratus, cum iis conjunctus est, ut in ejus vita narrat Theoderictus. *Quamobrem*, post multa, ait, *omnes ad ea, quæ Oratoria dicuntur, quæque ut antea picturis exculta erant, ascenderunt, communicaruntque cum Theodoto manum illi dantes*. At ille ut eos in suscepto proposito confirmaret, ac in sua communione retineret, aliqualem se imaginum cultum retinere fingens, inquit. *Qui non adorant imaginem Christi anathemati subiiciantur*. Sic decepti cum reliqui Archimandritæ in sua monasteria rediissent, solus Nicetas facti sui pœnitens in aliam regionem proficisci statuerat, ut ibidem privatim

JESU CHR. AN. 816.

errorem emendaret, cumque jam omnia sua in navim conjecisset, in Proconesum usque navigavit, ubi cum esset, animo recogitans, nequaquam sat esse peccatum publicum, privata pœnitentia diluere, CPolim rediit.

Nicetas ob fidei confessionem in insulam relegatur.

15. Quod cum Imperatori nunciatum fuisset, eum ad se vocatum, *Nostro edicto cedens*, ait Leo, *in monasterium tuum redi, sin minus ærumnas tibi afferam, quas perferre non poteris &c.* His vero tranquillo vultu, submissaque voce respondit Nicetas, se ad omnia perferenda paratum esse *Certo scias*, inquit, *me nullam vobiscum habere communionem, sed in traditione permanere, quam ab initio accepi, fac igitur quidquid libet, nihil amplius a me te auditurum speres*. Quare Imperator Zachariæ cuidam eum custodiendum tradidit, qui cum vir pius esset, nullam sancto viro molestiam intulit, paulo post tamen in Insulam quamdam, quæ Glyceria dicitur, in exilium ejectus est, cui cum Anthemius quidam vir sacrilegus, & crudelis præesset, quem incolæ Caipham nominabant, sanctum virum in carcerem conjecit, variisque vexavit modis, *Sperans viro sancto persuasurum quod volebat*. Sed fefellit eum spes sua nam sanctus vir, usque ad Leonis obitum in sua sententia perseveravit, sexennio in eo ergastulo, & diuturno martyrio perseverans, ut pluribus in ejus vita narrat Theoderictus, quæ brevitatis causa prætermimus.

Theodorus Studita lapsorum ruinam deplorat.

16. Cum monachorum Archimandritas ab exilio CPolim revocasset Imperator, unum præteriit Theodorum, quem sciebat, ceteris ferventiorem, ac propositi sui tenaciorem, ne CPoli præsens exemplo suo, & adhortationibus ceteros etiam ab ineunda cum Theodoto Patriarcha hæretico communione deterreret. In exilio autem positus, cum hæc didicisset, scriptis ad Josephum Thessalonicensem Episcopum, & fratrem suum, & ad Neucratium litteris, Archimandritarum, & Monachorum lapsum graviter deploravit, ac in epistola ad Josephum fratrem, Monachorum præpositos, atque ex his Photinidem, Heracleotem, Mediciotem, Milianum, Hypolichiotem, Guleotem, ac etiam Phylubutenum, post Satanam abiisse adnotat. *Semel atque iterum cum impiis communicantes, qua de causa benevole dimissi in errorem suum instabiles impellunt. Quin etiam, ut apparet, Nicænus quoque in ruinam positus est Episcoporum: revocantur enim de exiliis,*

liis, ut talia faciant. Quare fratem suum admonet, ut sibi caveret, neve eorum exemplum, & prævaricationem imitetur: in altera ad Neucratium epistola, idem retractans argumentum, Josephi Presbyteri impietatem redarguit, qui cum olim adulterorum copulator fuisset, seu ut ait, Mechozeuctes, nunc Christempactes, seu Christi illusor effectus, ad ruinam ceteros impellebat, quare ut forti animo pro fide & veritate certaret, longiori stylo excitat, & ut hanc epistolam aliis, qui cum eo erant, ostenderet enixe rogat. *Orate & pro me obsecro*, ait, *circa epistolæ finem*, *ut detur mihi fortitudo, robur, & sermo propter vos, quamvis divina gratia indignus sim, ut unanimiter in uno spiritu glorificetur Deus in corpore, & spiritu nostro. Mitte ad Archiepiscopum egregium Dionysium, saluta Petrum, Ignatium, & Titonem Abbates, & ostende illis hanc epistolam. Porro accingere, & paratus esto cum ceteris, & cum iis maxime, quos scripsi, quoniam cum lapsi sint, qui vicini erant, fieri nequit, ut relinquamur ab illis ipsis delati. Det autem dominus vires, robur, intellectum, oculum, prudentiam &c.* ut *omnia in gloriam* Dei agantur: Et sane uti præviderat, accidit, nam anno sequenti Neucratius, ejusque socii in judicium ea de causa vocati cum impiorum consiliis non aquievissent, in carcerem conjecti, verberibus etiam affecti sunt, ut ibidem dicturi sumus.

Theodorus Studita, & Nicolaus ejus socius flagellantur.

17. Cumque datis litteris Theodorus constantes ad perseverantiam excitaret, lapsosque ad pœnitentiam revocaret. *Fieri non potuit*, ait auctor vitæ ejus, *quin ultro, citroque commeantes in hunc modum litteræ, ac sermones, ad ipsam quoque aulam pervenirent, atque ipsi Imperatori innotescerent*. Quare Imperator Leo rabie furens, Nicetam misit, ut eum longius in exilium ejiceret, ad locum *Bonita* dictum, *ibique clausum ita coerceat, ut neminem videre, neminem alloqui possit*. His etiam addidit Imperator eidem Nicetæ, ut diras plagas illi inferret, & carnem verberibus minutatim concideret, & totum vibicibus cruentaret, cujus jussa idem Nicetas, pro tanti viri reverentia cum spernere non auderet, pia fraude delusit, nam ut idem narrat auctor, cum solus carcerem ingressus esset, ovinam pellem humeris sancti viri imposuit, & ut dirissime se eum flagellasse monstraret, lanceola venam sibi aperuit, ac ex pro-

JESU CHR. AN. 816. prio sanguine flagella aspersit, ut cunctis fidem faceret, se usque ad multum sanguinem sanctum virum flagellasse. Cumque eamdem dicendi, scribendique libertatem Theodorus retineret, ac clericum quemdam ex Asia ad se advenientem, ex hæresi Iconoclastica, ad catholicum dogma revocasset, alium post alium ex carnificibus Leo Imp. misit, ut sanctum virum in carcere dirissime flagellarent, quorum postremus. *Suis manibus sanctum virum flagellat centum illi verberum ictus incutiens semianimem humi jacentem derelinquens. Tum obscuro tetroque carcere inclusit, unaque ejus discipulum, Nicolaum qui magistro assiduus comes erat, & numquam ab ejus latere discedebat, custodibus præcipiens, ut fame ambos, aliisque incommodis vexarent, ut si quid vitæ illis adbuc superesset, hoc ipsum brevi absumeretur*. Quas vero ærumnas, & molestias, toto triennio, in tenebroso carcere sustinuerit, *Sola dicere potest experientia, nec ulla ad declarandum, satis esse potest oratio*, ait idem auctor, hæc fusiori stilo prosequens; hoc unum addimus, quod cum victus parcitate eos fame perimere studerent carceris custodes, solo Christi corpore, & sanguine Theodorus contentus fuit, socio passionis suæ Nicolao relinquens victus particulam, quæ ei dabatur, deinde addit virum quemdam illustrem illac transeuntem, misericordia in sanctum virum motum, ut ad vitam necessaria præberentur, jussisse, *nec contemptos imposterum, neglectosque sine cura destitui. Atque ita Dei benignitate viribus confirmatis, mortem illam aufugit &c.* Hæc, & alia de iis, quæ toto triennio Theodorus cum socio, & discipulo suo Nicolao, in carcere toleravit. Eademque fere in vita Nicolai ab anonymo coevo scripta narrantur, quibus quæ hactenus de Theodoro diximus, confirmantur.

Nicolaus Theodori passionum socius.

18. Inter cetera. *Cum Theodorus nedum vicinos, verum etiam multo locorum intervallo dissitos, qui post impiam hæresim abduci consensissent, ad pietatis iter per epistolas postlimino traheret; una quadam ex illis, incerto casu ac improvise in feri ac leonino pectore hominis manus incidente quam is ad Christi Confessores, Sanctarum Imaginum adorationem a principio describens, ejusque dogmatis plenam contentionis ac novitatis insaniam traducens scripsisset, furore accensus, ac pro nominis ratione Leonis instar, scelestus ru-*

rugiens, quam celerrime satellitem verbera illaturum mittit. Veniens ille fremens, ac minabundus, Sanctos e custodia educit, ac inique, iniquo ac scelerato Imperatore iniquior, insano furore actus, taureis centum in oculis Theodori Magnum Nicolaum cædit (sunt taureæ flagella ex taurorum coriis) *Illumque rursus totidem verberat, cumque pene voce defectos pari certamine beatos Viros in custodia ponit, ac ostium obstruens, jubensque fame enecari, relinquit.* His vero quæ passi sunt in carcere, addit. *Quis tantos illos agones, satis assequi queat, quis insidias, quas sunt passi a custodibus feritatemque, furorem, ac penuriæ necessitatem delineaverit*, cum vix. *Alternis, quaternisque diebus, quandoque per hebdomadam totam, vix modici panis frustum aliquod projicientes, quin & ipsam aquam scelesti homines eis denegabant &c.*

JESU CHR. AN. 816.

19. Ut vero intelligatur quousque in sanctos viros impii jussu Leonis Imp. sævierint, hæc addere juvat. *Cum nondum eorum corpora bene sana a prioribus plagis cicatrices haberent, en tibi malus alius impii Imperatoris impius magis nuncius, cædes spirans, ac furoris æstro quodam agitatus advenit, una secum librum inferens, apertoque carceris ostio, divinos Viros incondito clamore inde educit, ac monstrans epistolam, quam manibus teneret, ab eis adversus Imperatorem scriptam, cogebat edicere, quando, ac quomodo, & ad quos misissent. Vide ergo fortium pugillum pugnam aliam, ac certamen. Ut enim ab se compositam, missamque ac cujus causa factum sit, confessi fuissent, in furorem conversus execrandus homo, fortem illum Ecclesiæ adamantem, magnum imprimis Nicolaum confestim nudari ubet. Viris autem sublimen ab utraque manu pendentibus, alii dire taureis cædebant. Porro defluebat in terram sanguis Martyris, vidensque scelestus ad longum satis tempus vapulantem sine voce, animo exasperatus miserabilis, jubet sic nudum ac sanguine commaculatum sub dio frigore necandum relinqui. Erat siquidem tunc hybernum tempus, tertia nimirum Februarii mensis, cum hoc accidit Sanctis: Mox vero ira furens, Ecclesiæ columnam Theodorum adit, eumque rursum multis verberibus cædens, redit vicissim ad magnum Nicolaum, multaque instar hyemalium nimbrorum sermonum jaculis mittens carmina, conabatur abstrahere a pietate in patrem.*

Theodorus, & Nicolaus iterum flagellantur.

JESU CHR. AN. 816. *trem. Is autem eum observans, fovensque, pessimum hominem ab officio vetantem, in se provocabat. Enimvero ille quidem instar aspidis iræ præsens venenum labiis repositum ferens, jubet ejus cum brachia, tum ulnas iterum flagellis, quæ rhecas dicunt* (est flagelli genus hactenus parum cognitum) *cædi, sed & ab utraque manu carnivorus canis funes alligans, atque per horas plures tendens, Virum sanctum torquebat*. Ac inde confessorum constantia victus tyrannus abscessit. Hæc, & alia de sanctorum virorum certamine pro religioso imaginum cultu tuendo, Theodori, & Nicolai vitæ scriptores, quibus sævissimam hanc fuisse persecutionem constat.

Theodori epistolæ ad diversos.

20. Interea cum plurimi ex iis, quos per fraudem Iconoclastæ in suam communionem pertraxerant, scelus admissum detestantes, ut ad ecclesiæ communionem admitterentur, rogarent, plurimas ea de causa litteras Theodorus dedit, singulis prout ratio ferebat monita salutis præbens, sicque sacerdoti lapso, qui eum interogaverat, quid sibi agendum esset, ut peccatum suum dilueret, respondit ei, ut a sacris se abstineat, usquedum reddita ecclesiis pace, Episcopi, quid singulis conveniret, statuerint, eamdemque regulam a Naucratio rogatus tradidit, ut scilicet cujuslibet conditionis sit is, qui cum Iconomachis facto, verbo vel re consenserat, sive Episcopus, Presbyter, Monachus, vel laicus ab communione usque ad Episcoporum sententiam, & post redditam ecclesiis libertatem abstineret, in aliis vero pœnitentiæ operibus, pro criminis gravitate, personarumque varietate mitius agi posse declarat, ejusdemque argumenti est altera epistola ad Macarium monachorum Præfectum. Presbyterum vero catholicum, qui cum hæreticis in mensa tantum communicaverat, usque ad certum tempus, ut abstineret, admonuit, deinde ut sacris operaretur, permittit, & epistola altera ad Neucratium varias sibi propositas quæstiones circa lapsorum diversas circumstantias solvit, quidve singulis convenire possit, adnotat, idemque argumentum in epistola ad Basilium Præpositum, & ad exules pro fide pertractat, ubi pro vario lapsorum genere, diversam quoque pœnitentiam exigendam esse admonet.

Pro culpæ modo varia pœniten-

21. *Quidam propria sponte manus dedere, nemine per vim cogente, alii plagis, alii minis dumtaxat exter-*

territi, alii citra minas ac supplicia, solo metu alii ne exuerentur bonis: nonnulli autem per inscientiam. Hi si resipiscant, qua ratione sunt admittendi? Utique si dignos videlicet pœnitentiæ fructus omnes exhibeant. Qui sunt illi porro fructus? Dilata Eucharistiæ perceptio, cum fletu, & assidua deprecatione, primis quidem per triennium, secundis per annos duos, tertiis, quartis, & quintis, quemadmodum primis: sextis denique, unius annispatio. Quibus ubi perfuncti fuerint, qua ratione sunt habendi? Si quidem est ex sacerdotali ordine aliquis, nec subscripsit, nec fuit impiæ communionis particeps, in quo ordinatus est clero permaneat. Sin vero subscripsit idem, abstentus a re sacra facienda sit usque ad Synodum orthodoxam: communicet tamen sacris mystice iis. Hæc, & alia ibidem, quæ exscribere longum esset, sicuti & alias ab eo scriptas epistolas, quibus idem retractat argumentum, aut quibus e patrio solo exules, vel in carceribus detentos, vel exilio relegatos consolatur, ac ad cuncta hilari animo perferenda hortatur. Ex his una data est ad moniales triginta, quæ cum carcerem, & verbera pro pietate, & veritatis confessione pertulissent, cum eis gratulatur, & ut constanter in suscepto ptoposito perseverarent, excitat: his similes aliæ plurimæ occurrunt epistolæ catecheticæ, vel dogmaticæ, exhortatoriæ, & consolatoriæ, ac totus fere epistolarum ejus liber secundus, quo supra ducentæ continentur, exscribendus esset. Quotquot quidem habere potuit Baronius, annalibus suis inseruit, at quod in eo laude dignum fuit, cum nondum editæ essent, nunc multitudine sua lectores fatigarent.

Jesu Chr. An. 816. tia imponitur.

22. Quia vero hæretici ad frangenda catholicorum in eo certamine, ac in perferendis ærumnis constantiam, frustra hæc pati, aut martyrium sperare dicebant, ajentes aliud esse pro Christo certare, aliud pro imaginibus Christi, hos quoque ut refelleret, plures scripsit epistolas, quibus probat, unum idemque esse Christum abnegare, aut ejusdem imaginem spernere, cum cultus imaginibus exhibitus ad prototypon referatur. Hinc ajebat: *Ait Judeus, aut Ethnicus christiano nega Christum, nega Mariam, hoc ipsum ait & Iconomachus, imago enim Christi, & Deiparæ eodem nomine Christus, & Deipara nuncupatur. Quare qui imaginem negare jubet, eum cujus imago est, negare haud dub-*

Qui imagines Christi, vel Deiparæ spernunt Christum, & Deiparam negant.

JESU CHR. AN. 816. *dubie jubet*. Nam, ut post alia subdit idem Theodorus ad ejusdem argumenti comfirmationem, *in imagine quippe Prototypum repraesentatur sicut & in typo Crucis Crux ipsa vivifica, quatenus inseparabile est unum ab altero in adoratione, propterea & Archaetypi nomen obtinet imago, Crux enim Crucis typus appellatur*, quare post plurima. *Quid enim attinet, multa loqui & hic, qui manifeste pro Christo decertat, martyr non erit, ut miseri quidam affirmant? Martyr plane verus, nulla re discrepans ab illis, quos Ethnici, vel Judaei martyres fecerunt*, & iterum in eamdem rem, monachorum Praeposito, qui carceris labores, pro pietate sustinuerat, idem Theodorus ex suo ergastulo tardius scribens. *Impeditus ab ea custodia, quae me circunstat*, ait, & paulo post. *Neque enim aliud est pro imagine formae illius corporeae decertare, quam pro ipso martyrium facere, quandoquidem unum idemque est quoad representandi vim & imago, & is qui imagine adumbratur*, ac tandem in fine epistolae. *Imaginis enim honor, & contemptus in prototypum redit, ut magnus ait Basilius. Crucis similitudinem execraris, quam rem te execrari censes, nonne ipsam vivificam Crucem. Sic de regis effigie aut cujusvis hominis, sic & Christi, & Matris ejus, & sancti cujuslibet. Nunc Christus negatus, est, & persecutionem passus est, & despectui habitus est, & beatus es Pater cum dimicas, ac obniteris pro catholica fide*. Haec & alia plurima idem Theodorus, qui etsi exul & in carcere constitutus esset, supra ducentas tamen, pro fide tuenda epistolas scripsit.

De Theophane aliisque fidei confessoribus.

23. Inter illustriores monachos, seu monachorum Praefectos, qui in hac persecutione, pro imaginum cultu exilia & carceres perpessi sunt Theophanes monasterii Agrii, seu Singriani Abbas recensetur, quem usque ad Imperium Leonis Armeni historiam suam, seu chosmographiam perduxisse, supra diximus. CPolim autem vocatus cum reliquis Abbatibus, annis jam gravis, & infirma valetudine, cum petrae morbo laboraret, ita ut *Instrumentis per naturalem cuniculum in vexicam admissis, quae lapides insitos constringerent, humidis excrementis exitum praeberet, maximisque molestiis vexaretur, & in lectulo aegrotus assidue decumberet*, CPolim, inquam, revocatus, *navi tamen ad urbem regiam se*

se contulit, ait auctor vitæ ejus coevus quidem, sed incognitus, quo cum appulisset, ac nulla ratione adduci potuisset, ut sanctarum imaginum cultum abjiceret, *in Eleutherii Palatio includi eum Imperator jubet, adhibitis custodibus, ne quis humanitate ductus ei propter Christum patienti consolationem afferret*. Paulo post hæc subdit auctor capite tertio. *Duos annos acerbissimo defunctus carcere, in Samothracem insulam deportatur. Quod ipse mentis oculo prospiciens, ei qui sibi ministrabat, prænunciaverat, ubi cum tres supra viginti dies egisset, tamquam suavis hostia communi Domino oblatus est*, anno 819., cuius funus pii quidam viri prosequuti sunt, ac miraculis etiam claruisse idem adnotat auctor, Theophanis vitas duas exhibet Bollandus dies 12. Martii, eademque die a Latinis, & Græcis colitur. Theophani Stephanum Trigliensis monasterii Henegumenum addimus, cujus memoria die 27, Martii recolitur, qui etiam CPolim revocatus, ut sacrarum imaginum adorationem ejuraret, nullis oec minis, nec cruciatibus ad id adduci potuit, ideoque carceribus primum inclusus, ac demum in exilium ejectus, ærumnis ibidem confectus, animam Deo reddidit. Nec dissimilis fuit exitus certaminis, & obitus Cosmæ Chalcedonensis Episcopi, cujus vitam die 28. Aprilis, quo in ecclesia colitur, recitat Bollandus. JESU CHR. AN. 817.

JESU CHRISTI AN. 817. PASCHALIS PAPÆ AN. 1.
LUDOVICI IMP. 4. LEONIS ARMENI IMP. 5.

1. Hoc Christi anno 817. Stephanus Papa cum sedisset menses septem, & dies tres, octavo Kal. Febr. vivere desiit, & *sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli*, ait Anastasius, in cujus textu per errorem legitur sedisse annos septem, menses septem, nam ex Gallis scriptoribus constat, eum tertio post reditum in urbem mense, subita morte ereptum fuisse. *Tertio mense*, postquam e Francia Romam rediit, ultimum diem clausisse narrat auctor vitæ Ludovici pii, Eginhardus vero in annalibus. *Stephanus Papa*, ait, *tertio postquam Romam venerat mense, sed nondum exacto circiter VIII. Kalendas Februarii diem obiit, cui Paschalis successor electus, post completam solemniter ordinationem suam, & munera, excusatoriam Imperatori misit epistolam, in qua* Stephani 4. Papæ obitus, cui Pasqualis primus succedit.

 sibi

Jesu Chr. an. 817. *sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti Pontificatus honorem velut impactum asseverat. Missa tamen alia Legatione, pactum quod cum Prædecessoribus suis factum fuerat, & secum fieri & firmari rogavit. Hanc legationem Theodorus Nomenclator ei detulit, & ea quæ petierat, impetravit.* Ac multa ecclesiis dona tam brevi Pontificatus tempore contulisse Stephanum, adnotat Anastasius, ac addit. *Cessavit Episcopatus dies duos.* Quare ut conicit Pagius, Stephanus die 24. Januarii obiit, die sequenti, quæ cum Dominica incidebat sepultus est, eaque etiam Paschalis primus est ordinatus.

Paschalis Papa ordinatur, ejus origo, & gesta.

2. De Paschalis Papæ origine, & gestis usque ad Pontificatum hæc adnotat Anastasius, Paschalis natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses quinque, dies sexdecim, qui a primæva ætate divino cultui mancipatus, ac in Patriarchio Lateranensi divinis, humanisque litteris excultus, tam in Psalterio, quam in sacris paginis veteris, novique testamenti eruditus, Subdiaconus primum, deinde Diaconus, & Presbyter ordinatus fuerat. *Erat autem vir sanctus, castus, pius, innocens, magnanimus, loquela devotus, pudicitia plenus, & nimis hilariter jucundeque in eleemosinis pauperum cuncta, quæ habebat opportune distribuens.* Cui Leo Papa monasterium S. Stephani prope basilicam B. Petri Apostoli ad regendum commiserat, quo in officio constitutus, *Gratiam hospitalitatis in peregrinos, & claudos, qui ob amorem B. Petri Apostoli de longinquis regionibus ad ejus limina occurrebant, utiliter præparans necessaria subministrabat &c.* Cum itaque in Romano clero tot virtutibus clarus esset, mortuo Stephano, miro cleri, populique consensu, die altera, in ejusdem locum electus, & Romanus Pontifex consecratus est, quem cito legationem ad Ludovicum Imp. misisse ex Eginhardo audivimus, ut eumdem de ordinatione sua certiorem redderet, & ut pactum, quod cum prædecessoribus suis factum fuerat, cum eo renovaret, quod facile ab Ludovico pio obtinuit. Unde Theodorus Rom. ecclesiæ Nomenclator, Paschalis Papæ legatus, cito ad eum rediit, pacti vero cum Pippino, & Carolo M. ab Adriano primo, & Leone tertio initi summa hæc erat, ut Romanus Pontifex suo, & Romanorum nomine fidelitatem Francorum Regi, & Romanorum Imperatori juraret, salva tamen obedientia, quam Romanus populus Pontifici promiserat, salvisque juri-

bus

bus Romani Pontificis in Romanum ducatum, & in ceteras provincias Romanæ ecclesiæ ab Pippino, & Carolo M. donatas, ejusdemque donationis confirmationem petiit, & obtinuit, ut ex dicendis infra constabit. Jesu Chr. an. 817.

3. *Sub eodem anno*, quo Paschalis Papa Stephano successerat, ait auctor vitæ Ludovici, *quadragesimæ pene exacto tempore ultimæ hebdomadis feria quinta, qua Dominicæ cœnæ celebratur memoria, dum peractis omnibus, quæ tantæ diei solemnitas exigebat, Imperator ab Ecclesia in Regiam se recipere vellet, porticus lignea per quam redeundum erat carie, senioque confecta, & humectatione continua putrefacta, fatiscentibus inferioribus, sub Imperatoris pedibus, Comitumque illius collapsa, magnum fragore sui omni palatio incussit metum, verentibus singulis, ne ruinæ illius eventus Imperatorem oppressisset, sed a Deo, cui erat dilectus a præsenti discrimine est protectus. Nam cum viginti, vel eo amplius Comites cum eo ad terram usque deciderint, variasque incurrerint calamitates, ille nihil tristioris incurrit jacturæ, præter imi pectoris locum, cui illisus est capulus ensis, ultimaque auris cutis paululum expoliata, sed & crus illius juxta inguina cuidam ligno impactum, cui tamen citissime est subventum. Adhibito enim medicorum studio, quam brevi pristinæ saluti est restitutus. Viginti namque peractis diebus, Noviomagum venatum petiit.*

Ludovicus Imp. in vitæ discrimen adductus.

4. In Aquisgranensi conventu anno proximo celebrato, non solum de Canonicorum, & Sanctimonialium reformatione actum fuerat, quibus regulam ab iis imposterum servandam datam fuisse diximus, sed de monasticæ etiam vitæ reformatione. *Cujus rei gratia*, ut in prologo capitularis, seu jussionis tunc vulgatæ, ait Ludovicus ibidem. *Quarto anno Imperii nostri, accersitis nonnullis Episcopis, Abbatibus, Canonicis, & monachis, & fidelibus, obtutibus nostris, studuimus eorum consulta sagacissima investigare inquisitione, qualiter unicuique ordini, Canonicorum videlicet, & Monachorum, ac laicorum, juxta quod ratio dictabat, & facultas suppetebat, Deo opem ferente consuleremus &c.* Quare Canonicorum, & Sanctimonialium in eo conventu absoluta reformatione, regulaque iis tradita, Monachorum causa ad sequentis anni, idest labentis conventum dilata est, cum ad id exequendum non solum Benedictina regula discu-

Aquisgranensis conventus pro monachorum reformatione.

JESU CHR. AN. 817. tienda esset, ut eam omnes ubique servarent, sed aliæ etiam ab Asceticæ vitæ magistris vulgatæ, ut ex iis benedictina observantia suppleretur, vel saltem illustraretur. Unde Leo Ostiensis in chronico Cassinensi. *Ludovicus Imp., qui cognominatus est almus, vel Sanctus, hujus Caroli filius, quarto Imperii anno*, seu quinto, *Aquisgrani in Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus, religiosisque monachis conventum faciens, utilissima nostri ordinis observationi septuaginta & duo generalia capitula, constituit, quæ ita fere omnia apud nos, ac si Beati Benedicti regula observantur*, idest ea etiam, quæ extra, vel præter regulam addita fuerant, non aliter ac si ex Benedicti regula sumpta essent. Septuaginta duo capitula eamdem regulam habuisse, Leo Ostiensis ait, octaginta tamen Ludovici capitulare continet, cujus hæc est Prefatio. *Anno Incarnationis D. N. J. Christi* 817. *Imperii vero gloriosissimi Principis Hlodovici quarto, sexto idus Julias, cum in domo Aquisgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures una cum suis monachis resedissent, hæc quæ subsequuntur capitula, comuni consilio, & pari voluntate inviolabiliter a regularibus conservari decreverunt*. Capitula deinde pro monachorum vita recte instituenda sequuntur, ac primo admonentur Abbates, ut ad sua monasteria revertentes, a singulis sui monasterii monachis eorum observantiam exigerent, & ut monachi omnes, qui possent, regulam memoriter discerent, caput secundum jubet, cetera vero, quæcumque monachorum vitam, ministerium, victum, potum, vestitum, habitationem, & in rebus divinis exercitationes, singulatim præscribunt; omnis vero carnium usus monachis eousque prohibetur, ut capite nono legatur, *Nullus Episcoporum monachis volatilia comedere* permittat, quorum usus infirmis tantum conceditur, sed de his plura non addimus, quæ ibidem videri possunt.

Ludovici sanctio, qua servitia a monasteriis debita recenset.

5. Ut vero Monasteriorum quieti, indemnitatique consuleret, & ne præter jus fasque gravarentur, eodem in conventu Aquisgranensi, monasteriorum servitia Principi debita, prout justitia exigebat, in notula vulgata, & sanctione a Ludovico subscripta, annuloque suo signata, indicata sunt, ac distincta monasteria, quæ militiam, & dona debebant, ab aliis, quæ a militia exempta erant, & ad dona tan-

tantum tenebantur, ficuti alia, nec militiam, nec dona; ita ut unumquodque id tantum præftaret, quod debebat, ac qui dona tantum offerre debebant, ad militiam impofterum præftandam non cogerentur, neque ea, quæ ab militia, & donis exempta erant, ad id ultra adigerentur. Monafteriorum catalogum feu notulam tunc editam exhibet Balutius, atque ex iis, quæ dona, & militiam debebant, quatuordecim numerantur. Decem fcilicet in Francia, duo ultra Rhenum, & duo in Bavaria. Quæ dona fine militia dare debebant fexdecim funt, feptem in Francia, quatuor in Alemannia, quinque in Bavaria. Cetera vero, quæ a donis, æque ac ab militia præftanda immunia, omninoque libera erant, ultra quinquaginta numerantur: Anno 817. Dominicæ Incarnationis hæc gefta fuiffe præfixa præfatio docet, ac poft monafteriorum indicem, hæc addita funt. *Hic prædictis monafteriis præfatus Imperator ficut fupra dictum eft ftatutum fcribi fecit, atque manu fua firmavit, & annulo fuo Imperiali figillare fecit.*

De monafticæ vitæ reformatione Ludovici pii follicitudo.

6. Quod pro monafteriorum reformatione in toto Francorum Imperio hoc anno Ludovicus pius geffit, idem cum adhuc Aquitaniæ Rex effet, in fuo regno olim fufceperat, eodem hortante Benedicto Aniani Abbate, quo tunc ufus fuerat, ut Ardo monachus in vita Benedicti Anianenfis fcribit, *Gloriofiffimus Ludovicus tunc Rex Aquitaniorum, eum omnibus in Regno fuo monafteriis præfecit, ut normam falutiferam cunctis oftenderet*. De geftis vero in hoc conventu, hæc idem auctor addit. *Multa monafteria erant, quæ quondam regulariter fuerant inftituta, fed paulatim tepefcente vigore regularis pene deperierat ordo. Ut autem ficut una omnium erat profeffio, fieret quoque omnium monafteriorum falubris una confuetudo, jubente Imperatore, aggregatis cœnobiorum Patribus, una cum quampluribus Monachis per plures refedit dies. Omnibus ergo fimul pofitis Regulam ab integro difcutiens, cunctis obfcura dilucidans, dubia patefecit, prifcos errores abftulit, utiles confuetudines affectufque confirmavit. Judicia igitur regulæ cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus Regula pandit confuetudines, affentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitulare inftitutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno fuo pofitis Monafteriis obfervare*

Jesu Chr. an. 817. *vare praeciperet*, cui protinus Imperator assensum praebuit, atque ut designata monasteriorum reformatio effectum sortiretur. *Benedictum Abbatem*, (Aniani) *misit, & cum eo monachos strenuae vitae, qui per omnia monasteria euntes, redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris, quam sactimonialibus vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem*. Haec auctor vitae Ludovici pii, Astronomus dictus.

Benedictus Abbas Codicem regularum, & concordiam vulgat.

7. Ut vero injunctum sibi de monasteriorum reformatione opus facilius exequeretur Benedictus, Codicem regularum monasticarum, tum Orientis, cum Occidentis in unum collegit, cui etiam Graecorum, & Latinorum Patrum sermones, & exhortationes ad monasticae utriusque sexus vitae institutionem spectantes addidit. *Fecit librum de regulis diversorum patrum*, ait Ardo in vita Benedicti Anianensis Abbatis, ac de additis Sanctorum Patrum scriptis de vita monastica, subdidit. *Alium nihilominus composuit librum ex sanctorum Doctorum Homiliis*. Integrum regularem Codicem ab Anianensi tunc Abbate vulgatum, cum sua appendice sermonum, & exhortationum sanctorum Patrum ad vitam monasticam spectantium in lucem edidit Holstenius ex antiquo Codice manuscripto Monasterii S. Maximini prope Treviros, atque inde non semel editus, in novam omnium regularum collectionem ab Mariano Broikie monasterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonae monacho Priore translatus est, ac per totum primum tomum fere excurrit, ac in tres partes distribuitur, quarum prima regulas Orientalium Patrum continet, secunda Occidentalium, tertia regulas pro sacris virginibus scriptas, sequitur postremo appendix, quae exhortationes Patrum de vita monastica complectitur: Ex hac regularum collectione quotidie a monachis, ut aliqnid in capitulo legeretur, jusserat Benedictus, ut his exemplis excitati, in regulae observantia ferventiores evaderent, dum eadem ceteris monachis, quin etiam duriora, ab monachorum institutoribus imperata fuisse viderent, quae Sanctus Benedictus sui instituti monachis jusserat. Cumque monachorum nonuulli obmurmurarent, eo quod in iis ea legerentur, quae Benedictina regula, quam ipsi profitebantur, non continebat, ut iis quoque satisfaceret, aliud in eorum gratiam opus Benedictus Abbas suscepit, quod regularum concor-

cordiam inscripsit, ut in præfatione idem auctor testatur. Concordia vero regularum dictum est, eo quod ad singula Benedictinæ regulæ capita, ea addidit, quæ eodem de argumento, aliæ Sanctorum Patrum regulæ continebant, ut uno sub oculo cunctis constaret, Benedictinam regulam cum ceteris pene convenire, nec proinde ab eadem alienum esse dicerent, quidquid ceteræ regulæ monachis servandum jussérant. At de his plura dabit tum Mabillonius, cum auctor historiæ litterariæ Francorum in præfatione ad nonum seculum, vel in articulo Benedicti Anianensis Abbatis, & Holstenius, seu novissimus editor in præfatione ad Codicem regularum.

Ludovici pii sollicitudo pro reformatione cleri secularis.

8. Quam pro reformatione Canonicorum, Sanctimonialium, & monasteriorum sollicitudinem habuerat Ludovicus, eamdem pro clericis cujuscumque gradus gessit, atque in eodem Aquisgranensi concilio varios, qui in ecclesiam irrepserant, abusus emendare curavit, de quibus hæc vitæ ejusdem auctor. *Considerans etiam idem piissimus Imperator non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, sed multorum avaritia abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit, ut quicunque ex servili conditione, conciliante scientia, & morum probitate, ad ministerium altaris adsciisceretur, primum manumitteretur a propriis dominis, vel privatis, vel Ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induatur. Volens etiam unamquamque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per hujusce modi inopiam divini cultus negligerentur: inseruit prædicto edicto, ut per singulas Ecclesias mansus tribueretur unus cum pensatione legitima & servo, & ancilla. Hæc erat sancti Imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo ejus vita in sancta doctrina & operatione clarius eniteret, qui in pomparum sublimitate constitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula baltheis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus conaretur aspirare ad secularis gloriæ ornamenta.*

Ludovicus pius Imperium cum filiis partitur.

9. Cum tantam de rebus ecclesiæ sollicitudinem gereret Ludovicus pius, ut hactenus dicta, & dicenda inferius mon-

JESU CHR. AN. 817. monstrabunt, eamdem pro Imperii administratione habuisse dubitari vix potest; non eum tamen pia Ludovici sollicitudo sortita est exitum, quam sibi pius Imperator constituerat. Nam in deterius res tam ecclesiæ, quam Imperii, eo vivente, prolapsæ sunt, neque enim ea mentis acie, animique magnitudine præditus erat, ut quæ legibus seu capitularibus per singulos fere annos editis imperavit, opere, & re ipsa compleret, quin imprudentia sua domesticis dissidiis causam dedisse, vel ipsi Galli auctores tradunt, cum præcipue hoc anno in Aquisgranensi concilio Imperium inter tres filios suos partitus est, quorum primum, idest Lotharium Imperio sociavit, filiorum alterum idest Pippinum Aquitaniæ Regem dixit, tertium vero Ludovicum Bojariæ præfecit, qua præpropera Imperii divisione factum est, ut Bernhardus Italiæ Rex antea dictus, tamquam si injuria affectus fuisset, eo quod Lotharius in Imperii successione sibi prælatus esset, adversus Ludovicum hoc eodem anno rebellaret, uti infra dicturi sumus. Filii vero Ludovici, nominis tantum Imperatoris, vel Regum pertæsi, patrem ipsum imperio exauctorare conati sunt; de hac imperii divisione in eadem Aquisgranensi synodo, ait Eginhardus in annalibus, Ludovicus *Filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii sui socium sibi constituit, ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bojariæ præfecit.* Maturo quidem consilio, & implorato Dei auxilio id se perfecisse narrat Ludovicus in præfatione ad capitulare tunc editum, sanctasque filiis suis leges, in eadem Imperii divisione dedit, quibus jussit, ut in ecclesiæ, & imperii decorem, & pacem consilia sua dirigerent. Hæc autem in concilio Aquisgrani, dum propter Ecclesiæ, vel Imperii necessitates conventum ageret, anno Incar. 817. indict. 10. Imperii sui quarto, mense Julio peracta fuisse narrat Lodovicus Imperator his verbis. *Cum Fideles nostri commonerent, quatenus manente nostra incolumitate, & a Deo pace undique concessa, de statu totius Regni, & de filiorum nostrorum causa more parentum nostrorum tractaremus. Sed quamvis hæc admonitio devote ac fideliter fieret, nequaquam nobis, nec his qui sanum sapiunt visum fuit, ut amore filiorum, aut gratia unitas Imperii a Deo nobis conservati, divisione humana scinderetur, ne forte hac occasione scandalum in sancta Ecclesia oriretur & offensam illius*

illius in cujus potestate omnium jura regnorum consistunt incurreremus. Idcirco necessarium duximus, ut jejuniis & orationibus, & elemosynarum largitionibus apud illum obtineremus quod nostra infirmitas non præsumebat. Quibus rite per triduum celebritatis, nutu omnipotentis Dei, ut credimus, actum est, ut & nostra, & totius populi nostri in dilecti primogeniti nostri Hlotharii electione vota concurrerent. Itaque taliter divina dispensatione præcognita placuit nobis, & omni populo nostro ait Lodovicus, more solemni Imperiali diademate coronatum Clotharium consortem & successorem imperii, si Dominus voluerit, nobis constitui. Ceteros vero fratres ejus, Pippinum videlicet, & Hludouvicum filiorum alterum, communi consilio placuit regiis insigniri nominibus, & loca inferius denominata constituere, in quibus post decessum nostrum sub seniore fratre regali potestate potiantur juxta inferius aduotata capitula, quibus tamen inter eos hanc constituimus conditionem. *Salva in omnibus nostra potestate Imperiali super filios, & populum nostrum cum omni subjectione, quæ patri a filiis, & Imperatori ac Regi a suis populis exhibetur.* Deinde sequuntur capitula decem & octo, quibus non solum provinciæ Regibus adsignatæ indicantur, sed conditiones etiam, quas unusquisque filiorum servare debebat; præ ceteris, ut Reges fratri suo Imperatori debitum exhiberent honorem, ad quem etiam semel annis singulis convenire debebant, de recta Imperii totius administratione acturi, & ut sibi invicem in necessitatibus Imperii adjuvarent, & ne sine fratris Imperatoris consensu, extranearum gentium legatos admitterent, pacem firmarent, aut uxorem ducerent, ut ibidem videre est. Hoc unum ex Eginhardo, & Annalista Mossiacensi addimus. *Audiens autem Bernhardus filius Pippini Regis Rex Italiæ, quod factum fuerat, cogitavit consilium pessimum, voluitque in Imperatorem & in filios ejus insurgere, & per tyrannidem Imperium usurpare.* Hæc autem, ait Eginhardus, didicit Ludovicus, dum ex venatione ad hiemandum Aquisgrano, desinente hoc anno rediret, quare ad annum proximum hæc differimus, quo tota peracta est tragœdia. Lotharium etiam a patre Imperio sociatum fuisse, ac sibi ob eam dignitatem prælatum Pippinum, & Ludovicum fratres ægre tulisse. *Ceteri filii indignati sunt*, his verbis indicat Theganus.

JESU CHR. AN. 817.

 10. Theo-

Jesu Chr. an. 817. Lodovicus pius donationes Pippini, & Caroli Magni Romanæ Ecclesiæ factas confirmat.

10. Theodorum Romanæ ecclesiæ Nomenclatorem ad Ludovicum Imperatorem jam a Paschali Papa missum fuisse supra diximus; *Ut pactum, quod cum prædecessoribus suis factum fuerat, & secum fieri, & firmari rogavit, hanc legationem Theodorus nomenclator & detulit, & ea quæ petierat impetravit*, ait Eginhardus in annalibus, eademque ceteri Annalistæ Francorum, pactum vero cum prædecessoribus suis initum, cujus confirmationem petierat Paschalis Papa non aliud sane erat, quam confirmatio donationis factæ Romanæ ecclesiæ ab Pippino, & Carolo Magno, eamdemque solemni ritu, in Aquisgranensi conventu hujus anni, ab Ludovico pio confirmatam fuisse tradunt scriptores Itali, & Galli, extatque adhuc Ludovici decretum, cujus meminit Leo Ostiensis in chronico Cassinatensi his verbis. Hic, idest Ludovicus pius, cujus supra mentionem fecerat. *Hic pactum constitutionis, & confirmationis fecit B. Petro Apostolo, ejusque vicario Domino Paschali, parentes suos Pippinum, & Carolum imitatus, manusque suæ, ac filiorum subscriptione corroborans, decem Episcopos, octo Abbates, & Comites quindecim, Bibliothecarium, Mansionarium, & Ostiarium unum subscribere fecit, & per legatum Sanctæ Romanæ ecclesiæ Theodorum Nomenclatorem domno Paschali Papæ transmisit*; ejusdemque Ludoviciani diplomatis partem præcipuam in decretorum suorum collectione inseruit Gratianus, capite *Ego Ludovicus &c.* idemque diploma non solum ex optimæ notæ Codicibus, eruditorum plurimi vulgarunt, sed ex secretiori molis Adrianæ Archivio autographum edidit Antonellus tunc ejusdem Archivii Præfectus, postea Rom. ecclesiæ Presbyter Cardinalis, deinde alii plurimi, Cennius præcipue, & Georgius, qui illud ab suppositionis suspicione vindicarunt, cum non defuerint viri alioquin eruditi, qui illud in dubium vocaverint, aut etiam suppositititium dixerint. Ex his Muratorius ad hunc annum conjecturas aliquot, ac argumenta affert, quibus Ludovicianum diploma in dubium revocare conatur, aut saltem interpolatum demonstrare. Pagius vero ultra progressus Ludovicianam donationem, non semel ac Constantinianam suppositititiam esse scribit. Ne autem actum agamus, ad Cennium lectores nostros delegamus, adnotare contenti, ea, quæ ex varietate Codicum, aut ex concessione Ducatus Neapolitani,

ni, & Siciliæ, quæ adhuc sub Græcorum Imp. potestate erant, aliaque minoris momenti, quæ ingenuitati diplomatis Ludoviciani objici solent, tanti non esse, ut illud inter apocryphas merces, recenseri debeat. Nam etsi negari non possit Neapolitani Regni partem maximam, & Siciliæ insulam sub Græcorum Imp. potestate tunc fuisse, nil tamen prohibet hæc etiam Romanæ ecclesiæ donata fuisse, effectum suum sortitura, cum temporis tractu, inde Græci ejecti fuissent, quorum nomen ob hæresim Iconoclasticam invisum, ac intolerabilior dominatio Italis ubique erat; hanc itaque donationem ducatus Neapolitani, & Siciliæ, tanto probabiliorem credimus, cum de futura tantum spe, nondum de re possessa ageretur, cetera autem loca, urbes, castella recensita, eadem fere sunt, quæ vel Pippinus, vel Carolus M. Rom. ecclesiæ donaverant, cujus limites Mutinam usque extendebantur, ut ex divisione Regni a Carolo inter filios facta aperte constat. Pippino etenim, cui Italiam dedit, quæ & Longobardia dicebatur, his limitibus continebatur. *Ab ingressu Italiæ per Augustam civitatem accipiat Carolus Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regiensium, & ipsam Regium, & civitatem novam, atque Mutinam usque ad terminos Sancti Petri* idest usque ad territorium Bononiense, ubi ditionis S. Petri termini erant, hanc itaque portionem quam Pippinus dum viveret, habuit, *accipiat Carolus*; *quidquid autem a prædictis civitatibus* vel comitatibus Romam euntibus ad dextram jacet de prædicto Regno, quod Romanæ ecclesiæ donatum non fuerat, *idest portionem, quæ remansit de regione Transpadana*, quæ Venetiam complectitur, *una cum Ducato Tuscano usque ad mare Australe, & usque ad provinciam Ludovicus ad augmentum sui Regni sortiatur &c.* Donationis, & confirmationis diploma Baluzius, & Cennius aliique exhibent, quod sane Ludovici pietati, & ingenio apprime convenire nemo non videt, cui Avi, patrisque vestigiis inhærere summopere cordi fuit. Quare si paucos, vel immoderatæ critices auctores, vel Romanorum Pontificum majestatis, & gloriæ invidos, vel osores excipias, Itali æque, ac Galli scriptores hoc Ludovici diploma pro genuino habuerunt; ex his Mabillonius recensetur, qui de Paschalis Papæ itinere ad Ludovicum agens, adnotat. *Hic intelligen-*

JESU CHR. AN. 817.

M 2

JESU CHR. AN. 817.

gendum decretum confirmationis, quo Ludovicus Augustus donationes ecclesiæ Romanæ ab avo suo Pippino, & Carolo patre factas Paschali Papæ confirmavit, cui decreto tres filii ejus, Episcopi decem, Abbates octo, & Comites quindecim subscripsisse perhibentur.

Theodori Studitæ litteræ ad Patriarchas.

11. Eodem semper fidei catholicæ tuendæ ardore succensus Theodorus Studita, carceris squallore & silentio bene utens, litteras undique scribebat quarum unam ad Episcopos pro fide exules communem dedit, eos exhortans ut auctoritate sua, & exemplo, gregem sibi creditum confirmarent. Alteras hoc anno ad quatuor Patriarchas dedit, ad Paschalem Romanum Pontificem, ad Hjerosolymitanum Antistitem proprias, communem alteram ad Patriarchas Antiochenum, & Alexandrinum, iisque gravissimam persecutionem, quam Orientalis ecclesia sustinebat, exponit, opemque implorat: ad Romanum Pontificem data hanc præfert inscriptionem, *Prorsus sanctissimo luminari magno, Antistitum supremo domino nostro Domino Apostolicq Papæ, Joannes Theodosius, Athanasius, Joannes Theodorus minimi Presbyteri Præpositi eorum, qui apud Cathara*, loca monasteriorum, *Pigridium, Paulopetrium, Eugeriam, & Studium*, ubi Theodorus erat Abbas, & post præfationem de persecutione ecclesiarum, subdit. *Audi Apostolicum caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, janitor regni Cælorum, petra fidei super quam ædificata est catholica ecclesia, Petrus enim tu, Petri sedem exornans & gubernans, Lupi graves irruperunt in caulam Domini, portæ Inferi, ut olim, ruptæ sunt in ipsam. Quid hoc? Persecutionem patitur Christus cum matre & ministris, siquidem contra imaginum incursus, prototypi est persecutio hinc detentio Patriarchalis capitis, exilia & relegationes Archiepiscoporum, & sacerdotum, & monachorum, monacharumque compedes & vincula ferrea, tormentaque, & ad extremum mors. O horribilem auditionem. Veneranda Imago Salvatoris Dei nostri, quam etiam dæmones perhorrescunt, contumeliis affecta & ludibrio habita est, non solum in regia urbe, verum etiam in omni regione & oppido. Altaria deleta sunt, templa destructa, sacra prophanata, effusus est sanguis & effunditur eorum qui retinent Evangelium, persecutiones, & exilia eorum qui adhuc relicti sunt &c.* Ut opem ferat petit, ac tandem.

Pror.

Prorsus credimus & confidimus, quod misericordia miserationum flexus nostram tenuem epistolam accipiens, Christum imitatus, qui Deus cum esset omnium, non recusavit ab Agbaro epistolam accipere, & acceptæ rescribere. Hæc Theodorus suo, sociorumque passionum nomine de se umiliter sentiens, sed in Christo fortis; eademque fere continet tum epistola communis ad Alex., & Antiochenum Patriarcham, cum altera ad Hierosolymitanum, quibus etiam tractatum adversus Iconomacos a se editum misit, idest librum Antirretichum dictum, tribus libris distinctum, quo omnes Iconomachorum adversus imaginum cultum objectiones, confutat, ac dialogo inter Iconoclastam, & Orthodoxum instituto, adversariorum tela evertit. Eodem de argumento alias hoc anno litteras dedit ad Abbatem Lauræ S. Sabæ, & Lauræ Charitonis, & Eutymii, iisque acerbissimam, quam ubique in Oriente catholica ecclesia sustinebat, persecutionem lamentabili stylo prosequitur, sanctarum scilicet imaginum Christi, & B. Virginis eversiones, sanctorumque locorum profanationes. *Acerbiora sunt, quæ hic patimur*, ait ad Abbatem lauræ S. Sabæ. *Jam sicut Sodoma facti sumus, & sicut Gomorrha similes sumus. Hanc igitur ob causam sanctitatis vestræ auxilium humiles imploravimus velut uno ore omnium fratrum, qui pariter vexantur. Novimus enim quantum valeat justa vestra deprecatio assidua &c.* Eique tractatum suum contra Iconomachos scriptum misit. *Ut autem & vos vicissim intelligatis, viri venerabiles, qualia sint sacrilegarum impia dogmata, simul hæc cum litteris misi in quaternionibus, quæ indoctus licet confutare aggressus sum, proborum virorum hortatu &c.*

JESU CHR. AN. 817.

12. Tot litteris ab Theodoro undique vulgatis, vix ab uno Paschali Romano Pontifice consolationem, auxiliumque Orientalibus promeruit ecclesiis, ut idem in epistola ad Paschalem anno sequenti data testatur, idque etiam in altera ad Thomam Hjerosolymorum Patriarcham triennio post scripta confirmat; in epistola, quidem ad Paschalem Papam, non solum pro acceptis ab eo litteris, quæ deperditæ sunt, gratias agit, sed etiam eo quod Theodoti CPolitani pseudo Patriarchæ hæretici legatos Romam missos, in conspectum suum nequidem admiserit, laudat. *Respexit nos Oriens ex alto Christus Deus noster, tuam in Occidente beatitudinem, tamquam*

Paschalis Rom. Pontifex Orientales in fide confirmat.

JESU CHR. AN. 817. *quam facem quondam divinitus lucentem ad Ecclesiæ, quæ sub Cælo est illuminationem in Apostolica prima sede constituens. Etenim spirituale lumen percepimus, qui in tenebris & in umbra mortis improbæ hæresis tenebamur, & tristitiæ nebulam deposuimus, atque in spem optimam emersimus, cum didicissemus ex fratribus nostris & conservis quos misimus, qualia & quanta egerit, & dixerit sancta celsitudo vestra quando hæreticos quidem Apocrisarios, velut fures, ne in sacrum quidem conspectum admisit, sed cum procul adhuc essent, merito rejecit: nostris vero calamitatibus ex litterarum auditione, & missorum relatione compatiens indoluit atque ingemuit, Dei exemplo, tanquam propriis membris. Ac reipsa nos humiles cognovimus, manifestum Apostolorum Principis successorem Romanæ Ecclesiæ præsidere, certoque nobis persuasimus, Dominum Ecclesiam nostram minime deseruisse, cui unum solumque a vobis auxilium hactenus, atque ab ipso exordio, in occurrentibus molestiis, Dei providentia concessum est &c:* Hæc & alia ibidem Teodorus: hanc epistolam per Epiphanium monachum ad Pontificem, suo, & præpositorum nomine Theodorus misit, quem ad iter alacriter suscipiendum his verbis excitat. *Epiphanio filio. En dilecte fili mi, sicut alacri animo instituisti, solve in Occidentem, litteras istas laturus, quas dictavi. Misi epistolas duas ad Apostolicum, & ad domnum Metrodium, frater enim Dionysius Dei nutu & incolumis eousque pervasit, & spem optimam reportavit ad quam iteratas litteras addere opere pretium duxi. Scripsi autem non tamquam a me solum, sed sicut antea ex persona utrorumque præpositorum, quos indicat epistola &c.* Hæc Theodorus, ubi alteras ad Paschalem Papam, per Epiphanium direxit, cum jam primas, Romam Dionysius detulisset, quem ad iter iterum his verbis suscipiendum excitat. *Unde igitur egregie Epiphani, appare Occidenti nuncius fidelis, prudens, jam olim probatus, redde epistolam, & juxta ea, quæ divino instinctu impressa sunt in sancto Apostolico*, idest Paschale Pontifice, *suggestione verbisque sancti Methodii, & sancti Menembasiæ Episcopi simul intercede, & ora ut ad finem hæc perducantur Dei voluntate, qui potest & salvum te servare, & sistere sacro, & beato vertici &c.*

Thomas Hierosolym. 13. Theodori autem staditæ querelæ adversus Patriarchas,

chas, quas tum in epistola secunda ad Paschalem Papam, cum in epistola ad Thomam Hierosolymorum Episcopum ingeminat, fidei scilicet causam eos, uno excepto Romano Pontifice, deseruisse, ac tanquam pisces, tanta instante necessitate obmutuisse, de Alexandrino, & Antiocheno Patriarcha intelligenda præcipue sunt. Nam Hierosolymorum Patriarcha Thomas legationem ad Leonem Armenum misit, qua eum, ut ab ecclesiarum infestatione, & persecutione, desisteret admonuit, legati vero Thomæ Episcopi Theodorus fuit, Graptus dictus, ejusque frater Theophanes, ambo Lauræ S. Sabæ monachi, ambo fide spirituque ferventes, quorum gesta, & passiones CPoli fidei causa toleratas prosequitur auctor anonymus & coevus a Surio latine editus, deinde Græce, & latine a Combefisio, ubi *Ambos diu flagris cæsos ad Ponti ostia exilio* relagatos fuisse legitur, de utroque autem iterum sermo fiet, cum eorumdem, pro catholica fide, certamina sub Michaele Balbo, & Theophilo Imp. narraturi erimus.

JESU CHR. AN. 817. Patriarcha Theodorum, & Theophanem CPolim mittit.

14. Quanta autem in sceleratissimo Leone Armeno impietas esset, infando facinore declaravit, nam hoc anno, ut auctor est Porphyrogeneta, *Cum triennales eum Hunnis quos Bulgaros vocant ineundæ illi essent induciæ pacisque fœdera jurejurando firmandæ, non quibus christiani solent sacramentis usus est, nimirum Deum, Cælestesque virtutes, sive quæ Christi, Deique parens carne fuit, dictorum gestorumque inspectores, testesque adhibere, sed velut barbarus quidam, omnisque religionis expers, canes, quibus-gens improba inmolat, iis gestorum testibus immolans, & dissecabat, nec quibus illi libenter ingurgitantur, hæc ipse ad firmandam fidem ore gustare exhorrebat.* Impium Leonis Imp. facinus adnotat, ac detestatur Ignatius Diaconus in vita S. Nicephori CP. Patriarchæ his verbis. *Quis amicitias atque fœdera turpiter ac indecore cum vicinis Hunnis, ab illo inita fervidissimis lachrymis non deploret? Nempe illorum superstitiones Leo, ipsi illi nostra usurpantes legitima, mutuo firmaverunt pacta: & videre erat Imperatorem Romanum libare aquam e calice in terram, equorumque clitellas versare manibus, dein terna lora tangere, fœnumque in altum attollere, & se omni hac cæremonia rituque devovere. Gentes vero Divina nostra Symbola scelestis*

Leonis Armeni Imp. impietas arguitur.

JESU CHR. AN. 818. *stis contrectare manibus, ac per illorum virtutem sacrilego se obstringere sacramento*. Quare subdit, non mirum, innumeras ea ætate clades, ac calamitates in Imperium irruisse. At de gestis hoc anno hactenus.

JESU CHRISTI ANNUS 818. PASCHALIS PAPÆ 2. LUDOVICI IMP. 5. LEONIS ARMENI IMP. 6.

Bernardus Italiæ Rex adversus Ludovicum rebellis, ei se tradit.

1. Definente anno proximo, dum ad hyemandum Aquisgrano rediret Ludovicus pius, *Nunciatum est ei*, ait Eginardus in annalibus, *Bernardum nepotem suum Italiæ Regem, quorumdam pravorum hominum consilio, tyrannidem meditatum, jam omnes aditus, idest Clusas, quibus in Italiam intratur impositis firmasse præsidiis, atque omnes Italiæ civitates in illius verba jurasse, quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos, cum ex tota Gallia, atque Germania congregata cum summa alacritate magno exercitu, Imperator Italiam instare festinasset*, hoc anno, *Bernardus rebus suis diffidens, maxime quod se a suis quotidie deseri videbat, armis depositis, apud Cabillonem se tradidit &c.* Eademque fere auctor vitæ Ludovici pii num. 16.

Bernardus oculis orbatus obiit, conjurati varie puniuntur.

2. Bernardi exemplum secuti sunt quotquot rebellionis aut consiliarii, aut participes fuerant, ac ut idem adnotat Eginhardus. *Non solum armis depositis se dediderunt, verum ultro, & ad primam interrogationem omnia uti gesta erant aperuerunt. Hujus conjurationis Principes fuere Eggideo inter amicos Regis primus, & Rheginaldus Camerarius ejus, & Rheginharius Meginharii Comitis filius. Cujus maternus avus, Hardradus, olim in Germania, cum multis ex ea Provincia nobilibus, contra Carolum Imperatorem conjuravit. Erant præterea & alii multi præclari, & nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt: inter quos & aliqui Episcopi, Anselmus Mediolanensis, & Volfoldus Cremonensis, & Theodulfus Aurelianensis &c.* Post pauca *detecta fraude, & conjuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquisgrani revertitur. Transactoque Quadragesimali jejunio, paucis post sanctum Pascha diebus conjurationis auctores (qui superius, nominati sunt) simul, & Regem judicio Francorum capitali sen-*

tentia condemnatos, luminibus tantum jussit orbari: Episcopos Synodali decreto depositos Monasteriis mancipari. Ceteros (prout quisque vel nocentior, vel innocentior apparebat) vel exilio deportari, vel detondi, atque in monasteriis conversari. His addit Theganus in vita Ludovici. *Tertio die post amissionem luminum Bernardus obiit, quod audiens Imperator magno cum dolore deflevit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & judicio eorum pœnitentiam suscepit*, post annos aliquot idest anno 822. *propter hoc tantum, quia non prohibuit consiliarios hanc crudelitatem agere: ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.* Eodemque tempore jussit Ludovicus *fratres suos tonsurari, Drugonem, Hugonem, & Theodoricum ad discordiam mitigandam liberalibus disciplinis jussit institui.* Hæc de Ludovici gestis Theganus. Jesu Chr. an. 818.

3. Bernardi cadaver in Italiam aliquot post annos, ab Anselmo Epscopo, ut creditur, delatum in ecclesia S. Ambrosii Mediolano sepultum fuit, cui hanc inscriptionem positam fuisse referunt Mediolanenses scriptores. Bernardi Italiæ Regis epitaphium.

Bernardus civilitate mirabilis
Cæterisque piis virtutibus inclytus
Rex hic requiescit.
Regnavit annos quatuor, menses quinque
Obiit. XV. Kal. Maii indictione XVI.
Seu potius, ut legit Muratorius *X.*
Filius piæ memoriæ Pipini.

4. Ut severiorem quam par erat de Bernardi rebellione vindictam Ludovicus sumeret, ab Hermengarda uxore excitatum fuisse aut ignorarunt, aut dissimularunt Galli scriptores, id tamen indicat auctor coevus, qui Andreas Presbyter dicitur, in brevi chronico ab Burchardo Menchenio primum, deinde a Muratorio edito dum adnotat. *Conjux ejusdem Ludovici, Hermengarda nomine, inimicitiam contra Bernardum Longobardorum Regem gerens, mandavit ei, quasi pacis gratia ad se veniret. Ille ab his nobilibus legatis sacramenta fidei suscepit, in Franciam ivit,* Deinde *Hermengarda mox ut potuit, ut audivimus, nesciente Imperatore, oculos Bernardo avulsit, iisque ipso dolore defunctus est postquam quinque re-* Hermengardis Lodovici uxor, de nece Bernardi Regis suspecta:

JESU CHR. AN. 818. *gnaverat annos, duos sub Carolo, tres sub Ludovico*. Quare contra datam fidem eum excoecari, & occidi Ludovicus aut jussit, aut consensum præbuit, unde conscientiæ stimulis exagitatus paulo post, patrati sceleris, ut supra diximus, Episcoporum judicio, poenitentiam suscepit.

De Bernardi Regis uxore & filiis.

5. Moriens Bernardus, *Filium nomine Pippinum habuit qui tres liberos genuit*, ait Regino in chronico ad annum 818. Pippinum ex Cunigunda uxore Bernardus habuerat, quem in Gallias adduci Ludovicus jussit. Cunigundæ autem uxoris Bernardi nomen hactenus ignotum Mabillonii diligentiæ debemus, qui ejusdem diploma vulgavit donationis bonorum suorum Monasterio Parmensi, & Regiensi, anno 735., quo hæc leguntur. *Ideo ego in Dei nomine Cunicunda, relicta quondam Bernardi Regis, cogitans pro mercedem, & remedium animæ seniori meo Bernardi, vel mea, seu filio meo Pippino &c.*

De Theodulpho Aurelianen. Episcopo ejusque operibus, & obitu.

6. Inter Episcopos rebellionis aut participes, aut suspectos, ob eamque causam synodali judicio monasteriis inclusos, Theodulphus Aurelianensis Episcopus recensetur, qui cum Italus esset, in proditionis suspicionem facile adductus est. At is ab eo crimine innoxium se fuisse constanter testatus est, ut ex ejus carminibus ad Ajulphum Bituricensem Episcopum, & ad Modvinum Augustodunensem constat, ac in Ludovici gratiam anno 821. rediisse narrat antiquus auctor, apud Duchesium tom. 3. In exilio nihilominus Andegavi obiit, cujus epitaphium refert auctor historiæ litterariæ Galliæ, qui de ejusdem gestis, & scriptis pluribus agit, eumque versibus, & soluta oratione plura scripsisse adnotat, præ ceteris memoria digna est instructio, seu commonitorium Presbyteris suæ Dioecesis traditum, quod etiam Episcoporum plurimi ad ecclesiasticam instaurandam disciplinam adoptarunt, cum ea contineat, quæ tum Presbyterorum officia sunt, ac qua ratione populos sibi creditos, verbo, & exemplo, & opere regere, ac edocere debeant, distincte, diligenterque edoceat, in capita autem 46. distinctum est, multaque scitu digna de ecclesiastica disciplina, deque sacris ritibus, & sacramentorum administratione continet, quæ ibidem videri possunt, sicuti, & alia plurima, quæ ex ejusdem operibus adnotanda forent.

7. De

7. De gestis Ludovici Imp. hoc anno hæc narrat Annalista Mossiacensis, opus suum his verbis absolvens. *Ludovicus Imp. apud Aquis celebravit Pascha, & æstivo tempore introivit eum exercitu magno in Brittannia, & occiso Rege terræ illius, venerunt majores statu Britannorum, tradiderunt se illi, & acceptis obsidibus reversus est prospere cum triumpho victoriæ ad propria. In ipso itinere Ermengarda Regina obiit; nam & exercitus ejus, quem miserat in partibus Orientis*, idest in Italiam, *cum triumpho & ipse reversus est ad Imperatorem, similiter & ejus exercitus*, quem miserat super Vascones rebelles cum triumpho victoriæ reversi sunt, occisis tyrannis, *& terra quievit*. Hæc is auctor, eademque fere Eginhardus in annalibus, & auctor vitæ Ludovici pii. Quinto autem nonas Octobris e vivis excesisse Ermengardam Imperatricem, iidem adnotant, ac Andegavis sepultam fuisse addunt. *Curata autem Reginæ sepultura Imperator per Rotomagum, & Ambianorum urbem, recto itinere se Aquisgranum ad hyemandum contulit*, ait Astronomus in ejus vita. Jesu Chr. an. 818. Lodovici Imp. gesta Ermengardæ Imperatricis obitus.

8. Aquisgrani ad hyemandum reversus Imperator, *Cum Heristallum venisset*, ait Eginhardus, *obvios habuit legatos Sigonis Ducis Beneventanorum dona ferentes, eumque de nece Grimoaldi Ducis antecessoris sui, excusantes*. Quem Radechis Compsanus Comes in Arpinis interfecerat, eique Sigonem, seu Siconem Agerentiæ Gastaldeum substituerat, etsi necis conscius, aut reus esset, quem Ludovicus, in ducatu suscepto confirmavit. Quo anno hæc contigerunt Gisulphus Cassinensis Abbas obiit, eique successit Apollinaris, ut his verbis indicat Leo Ostiensis. *Appollinaris Abbas quartodecimo loco in Abbatiam prælatus sedit & annis undecim. Fuit autem temporibus Rom. Pontificum Paschalis, & Eugenii, & Siconis, qui eodem anno Beneventi Princeps effectus est*. Grimoaldi homicidam facti sui pœnituisse, & inter Cassinates monachos adscriptum sancto fine dies clausisse, ex Leone Marsicano narrat Mabillonius, Sicho Dux Beneventi, Apollinaris Abbas Cassinensis.

9. Cum Romam pervenissent Epiphanius Theodori Studitæ legatus, & Methodius a Nicephoro CP. Episcopo, pro fide exule missi, cum Orientalis ecclesiæ ab Iconoclastis vexatæ miserrimum statum Pascali Pontifici exposuissent, officio quidem suo non defuit S. Pontifex, nam & legatos Legatio Paschalis Papæ CPolim.

 sum-

JESU CHR. AN. 818. summa benignitate excepit, ac qua potuit ratione, ingruentibus malis medelam, & afflictis consolationem afferre non distulit, nam Epiphanio CPolim redeunti, legatos suos adjunxit cum litteris quibus Iconoclastas arguebat, eosque tamquam hæreticos ab Rom. ecclesiæ communione alienos esse testabatur, litteræ quidem Paschalis Papæ deperditæ sunt. At idipsum magnus Theodorus Studita ex Tracensi carcere testatur, in epistola Catechætica hoc tempore scripta, qua hæc de legatorum Paschalis Papæ adventu CPolim adnotat. *Sane non effugerunt*, Iconoclastæ scilicet, *quin a supremo ecclesiæ throno arguerentur, sicut factum est, & ipsi scitis. Et nobis quidem tuta & sincera erant omnia etiam ante Occidentalium adventum. Plurimum vero inde etiam accessit, ut cognoscamus, uti superiores ætates, sic & nostra quoque Deo curæ esse; atque ab ipso ante omnium oculos constituti testimonium, quod ab eo alieni sunt, qui imaginem negant, si enim a Corypheo*, idest Romano Pontifice, *abrupti sunt, & ab aliis tribus Patriarchis, utique & a Christo, qui caput est prædictorum, & lugere illorum causa, & mœrere convenit, nostra vero lætari supra modum.* Confessores itaque ubique dispersos, vel in carceribus detentos, ad perseverantiam excitat.

Persecutio in catholicos recrudescit.

10. Hac autem Legatione sua, qua Iconoclastas ab Romanæ, & catholicæ ecclesiæ communione alienos esse testabatur Paschalis Papa, orthodoxorum animos in catholica tuenda fide, erexit, hæsitantes, ut imaginum cultum retinerent, admonuit, quin etiam lapsorum plurimos ad certamen pro fide catholica ineundum revocavit, unde factum est, ut quo magis catholici hæresim aversarentur, eo gravius in eos hæretici sævirent. Quamobrem ad eos consolandos, roborandosque ex carcere suo, etsi arcta custodia teneretur, plurimas hoc tempore Theodorus scripsit epistolas, ad Simonem scilicet, aliosque novem, qui persecutionis mœtu delitescebant, quorum propositum laudat, ad Leonem Patricium & Sacellarium scribens, persecutionis acerbitatem exponit. Alteram, ad Irenem Patriciam dedit, qua fœminæ nobili, quæ lapsa primum, deinde fidem catholicam confessa, etiam flagella pertulerat, addit animos. Gregorium vero laicum, qui primus ex aula in studium catholicæ defensionis descenderat, & laudibus celebrat, & ad

ad perseverantiam excitat, ad quem, *Salve confessor Christi, merito Dei hominem te olim appellavi. En mentitus non est humilis sermo meus, qui sublimis in te apparuit. Quomodo carceres, ferrea etiam vincula sustines, ut audio, corpore constrictus, res laboriosa. Verumtamen confortare in Domino, sancte & martyrum more depugnans, belle, frater, qualis eluxisti? quantum exaltatus es. Unus ex omnibus laicus (de iis loquor qui sub hoc Imperio degunt) solus Deo confessor ostensus es, & Angelis, & hominibus &c.*, atque ad quælibet pro catholica fide perferenda hortatur. Simoni etiam monacho scribens, novum ab hæreticis martyrii genus adhiberi indicat, dum martyrio eorum invidentes, per longa & aspera itinera eosdem fatigare ac frangere conabantur. Duas etiam hoc tempore ad Neucratium discipulum suum litteras dedit, quarum primæ libellum addidit, seu quaterniones quatuordecim, quibus otio carceris bene utens sermones, & vitas fratrum, seu illustriorum monachorum metrico stylo exposuerat. *Quæ cum tu legeris*, inquit, *& e fidis fratribus nonnullis diligenter abscondito &c.* Epistola altera ad eumdem data Jacobum monachum, qui in fidei confessione perseverans, obierat, laudat. *In confessione autem quot & quanta pertulit: Spectaculum factus est & Angelis & hominibus: O generosum Deoque carum cor. Ingressus est stadium tanquam Christi miles impavidus, intrepidus: hinc & inde tenebrarum ministri terga verberibus laniarunt, pectora, brachia: sanguinem hauserunt, carnes conciderunt, stratum humi Sanctum reliquerunt, cum sinistram vocem nullam prorsus emitteret, sed martyrium Deo acceptum expleret, & hæc pro Christo Filio Dei ac Deo nostro. Nam pro sancta ejus imagine decertare, pro ipso est martyrium pati.* Audiant mansueti & lætentur, *exultent martyrum amatores, & tripudient, confundatur diabolus: concidat Iconomachorum caterva*. Hæc, & alia ibidem in Jacobi laudem.

11. Cumque tantam pro catholica fide tuenda sollicitudinem Theodorus gereret, ut omnes ubique dispersos ad constantiam in passionibus perferendis excitaret, eamdem, quin & majorem pro Studitis suis gessisse mirum nemini esse debet, quibus duas hoc tempore litteras scripsit, quarum prima hortatoria est, eaque ut carceres diramque persecutionem, adversus eos a Leontio olim monacho tunc

Theodori epist. ad Monachos suos Studitas.

JESU CHR. AN. 818. tunc vero a fide Apoſtata, & inter perſecutores ſœviſſimo, ſuſtinerent, hortatur. *Salvete in domino fratres, ac patres*, inquit, *Salvete milites Criſti, ſalve fratrum ternarius, ſanctæ Trinitatis gratia dives, vere digni talibus ſalutationibus, quia propter Chriſtum generoſe duriſſimum carcerem patimini, a Leontio nefario vexati. O Judaicam apoſtaſiam. Si agreſtis fera eſſet, ſatiari utique jam poſſet, ſanguinem veſtrum tandiu pœnis fundens & hauriens. At nunc inſatiabilis manet ſanguinis potor dæmoniacus, nullum ſenſum miſericordiæ, nullam humanitatis commiſerationem erga vos ſuſcipiens agnos Chriſti, ſed affligens, omnique modo devorare vos cum ſatana moliens &c.* Alteram ad Studitas, & ad ceteros monachos undique diſperſos inſcripſit his verbis *Omnibus ubique diſperſis fraternitatibus*, eaque eos admonet, ut non ſolum catholicam fidem, ſanctarumque imaginum cultum retinerent, ſed etiam, ut ab diaboli laqueis caverent, monaſteriis quippe ſuis ejecti, ac unde ſors ferebat diſperſi, ne ſe hominum conſuetudine, mundique illecebris, ab monaſticæ vitæ inſtituto abduci finerent, hortatur. Hinc ajebat. *Videamus ergo dilecti, quænam ſunt diverſoria noſtra, ubi, & quibus cum habitatio, & conſuetudo, quod ſi quid ibi noxium eſt, migrandum.... Obeſervanda ſunt & alia, cibus, potus, ſomnus, opus, ut in menſura fiant omnia, quæ corpori vires præbeant, ut pareat, & juſſa faciat, non ut efferatum reddat, ut inſurgat, & animæ repugnet.* Hæc & alia de his ibidem, ac tandem poſt plurima de Leontio Studii olim monacho, tunc vero inter monachorum perſecutores ſœviſſimo, hæc ſubdit, *Sed noſtis qualis ſit Leontius, eunuchorum genus non ſolum inglorius, ut quidam ſanctorum dixit, ſed & Chriſtum negans, neque adeo his ſinibus continens, verum acerbe & crudeliter fratres noſtros excrucians. Qui ante diſcipulus, nunc negator judaizans, qui inter fratres eminentiores, nunc contra fratres ſupra judices omnes, qui non ſimpliciter imaginem dicebat, ſed ſanctam imaginem, ſive Chriſti, ſive Deiparæ, & cujuslibet Sanctorum, nunc eas incendit, & abolet, inſanientis inſtar feræ blaſphemans. Unde & Imperatori carus factus eſt, & monaſteriis noſtris potitur, & omnia miſer facit in contumeliam Chriſti. Sed heu me mea enim hæc ejus ludibria*, cum monaſterii ſui olim diſcipulus fuiſſet. At de Theodori

ge-

gestis, & scriptis hoc anno hactenus dicta sufficiant,

12. Paschalis interea Pontifex missa, ut diximus, CPolim legatione, catholicam ibidem fidem non solum erigere conatus est, sed cum persecutionis causa monachos pro fide catholica vexatos, undique dispersos vagari sciret, eorumque plurimos Romam usque transiisse, eosdem benigne acceptos omni officiorum genere fovit, quos itaque Romae invenit Paschalis Papa, ne incertis vagarent sedibus, in ecclesia Sanctae Praxedis monasterio extruxo, ibidem habitare jussit. Eamdem S. Praxedis martyris ecclesiam senio quassatam, ac ruinae proximam, *in alio non longe demutans loco, in meliorem eam, quam dudum fuerat, erexit statum absidem vero ejusdem ecclesiae musivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit. Simili modo & arcum triumphalem ejusdem, metallis mirum in modum perficiens compsit*, ait Anastasius, ac subdit multa Sanctorum corpora, quae in coemeteriis hactenus latuerant, cum pompa, ac toto comitante, & psallente clero in ea reposuisse, ac tandem de Monasterio ibidem pro Graecis monachis aedificato haec addit. *Construxit in eodem loco a fundamentis coenobium quod & nomine S. Praxedis virginis titulavit, in qua & sanctam Graecorum congregationem aggregans, quae die noctuque Graecae modulationis psalmodiae laudes omnipotenti Deo, sanctisque illius ibidem quiescentibus sedulo persolverent, introduxit*. Eumdemque locum possessionibus urbanis, & rusticis locupletasse addit, ubi etiam Oratorium B. Zenonis martyris exornavit. In ipsa porro ecclesia Apsis ipsa a Paschali Papa aedificata, sacrisque imaginibus musivo opere exornata adhuc extat. ubi & Paschalis nomen legitur. *PS. Kal.* hoc modo inscriptum, cum hac inscriptione.

JESU CHR. AN 818.
Paschalis Papa Monasterium Sanctae Praxedis Graecis monachis aedificat.

Emicat aula pia e variis decorata metallis,
Praxedis Domino super etra placentis Honore,
Pontificis summi studio Paschalis alumni
Sedis Apostolicae, passim qui corpora condens
Plurima Sanctorum supter haec Moenia ponit.
Fretus ut His limen mereatur adire Piorum

Et supra limen aediculae, ubi columna flagellationis Jesu Christi, ut dicunt, servatur, haec leguntur.

Pascha-

JESU CHR. AN. 818.

Pascalis Præsulis opus, decora fulget in Aula
Quæ pia obtulit vota studuit reddere Deo.

De ornamentis vero eidem Ecclesiæ ab Paschali Papa ibidem alibique oblatis, plurima refert in ejus vita Anastasius. De quibus alibi dicendi occasio occurret.

Sanctæ Agnetis ecclesiam, & monasterium Paschalis Papa restaurat.

13. Nunc de ecclesia S. Agnetis extramuros Romæ ab Pascali Papa hoc tempore instaurata nonnulla addimus, ut indicare videtur Anastasius, inter Paschalis gesta hæc referens. *Hic benignissimus Præsul in jam dicto monasterio Oratorium B. Agnetis Christi virginis fecit miræ pulchritudinis exornatum*, rem totam fusiori stylo ex Codice Ottoboniano narrat Mabillonius ex anonymo scriptore, qui historiam, prout oculis viderat, se narrare testatur his verbis. *Actum est hoc miraculum tempore Paschasii Papæ primi*, seu Paschalis *sub anno Dominicæ Incarnationis* 817. *a constructione sacræ imaginis anno* 192. *quæ fuit constructa tempore Honorii Papæ primi, ab Incarnatione vero domini anno sexcentesimo vigesimo quinto*: historiæ summa hæc est; Cum Paschalis Papa Pontificatus sui initio Romanas basilicas visitaret, Monasterium S. Agnetis extra muros adiit, ubi moniales Græcæ versabantur. Ibidem ingressus vidit locum pene desertum & desolatum, ac ruinæ proximum. Horrorem loci miseratus, Joannem quemdam Presbyterum Græcum, cui paulo ante uxor e vivis erepta fuerat, ad se vocatum ad Monasterium S. Agnetis duxit, eique alteram ei uxorem destinasse dixit, cumque Presbyter alteram uxorem ducere recusaret, dicens se imposterum cœlibem vitam ducere velle, instaretque Pontifex, ut destinatam uxorem duceret, tandem voluntati Paschalis cessit, ac annulum ei Pontifex dedit, sponsamque designatam Agnetem fuisse dixit, ejusdemqe basilicam, ut eam instauraret. Quare cum reverentia statuæ Agnetis Virginis accedens Presbyter, in digitum martyris accessit, quæ dexteram protendisse, ac pedem osculaturo Sacerdoti porrexisse fertur, qui mox ad resarciendum Monasterium conversus, repurgato loco, instauratisque ædificiis, Moniales de urbe latinas bonas & castas, in locum Græcanicarum instituit, quæ usque ad seculum decimumtertium & ultra in eo perseverarunt, easque sub regula Benedictina vixisse

xisse inde probat Mabillonius, quod in dormitorio veteri imago Sancti Benedicti depicta erat, quem locum nunc canonici regulares congregationis Sancti Salvatoris occupant.

Jesu Chr. an. 819.

JESU CHRISTI an. 819. Paschalis Papæ 3.
Ludovici Imp. an. 6. Leonis Armeni an. 7.

Ludovici Imp. nuptiæ cum Juditha.

1. Ermengardam Ludovici uxorem anno proximo obiisse diximus, quare cum timerent Francorum Proceres, ne castitatis amore, & quietioris vitæ desiderio incensus Ludovicus Regno sese abdicaret, aut monachus fieret, ut uxorem duceret, sollicitarunt. *Tandem eorum voluntati satisfaciens, & undequaque Procerum filias inspiciens: Judith filiam Velfonis nobilissimi Comitis in matrimonium junxit*. Hoc autem anno has nuptias celebratas fuisse Eginhardus, & Annalista Fuldensis testantur, de genere & dotibus Judith, hæc etiam adnotat Theganus in vita Ludovici. *Accepit filiam Velfi ducis, qui erat de nobilissima stirpe Bavarorum, & nomen Virginis Judith, quæ erat ex parte matris nobilissimi generis Saxonici, eamque Reginam constituit. Erat enim pulchra valde*. De bello per legatos suos adversus Leudevitum Pannoniæ Ducem a Ludovico gesto nonnulla addit Eginhardus, quæ nihil attinet referre.

Ludovici capitularia hujus anni.

2. Hoc unum addimus, Ludovicum patris sui vestigiis inhærentem, singulis fere annis conventus Episcoporum, Procerumque egisse, & pro ecclesiæ tuenda disciplina, rectaque justitia in Imperio administranda subditis suis capitularia, seu leges vulgasse, quarum quinque ad hunc annum alligavit Balusius. Horum primum, in capita 21. distinctum est, & sex priora agunt, de honore Sacerdotibus, & ecclesiis præstando, de pupillis, pauperibus sublevandis, aut viduis non rapiendis, de libertate cujuslibet facta ecclesiis donandi, & de pœnitentia publica, cetera de publicis & privatis criminibus coercendis, aliisque subditorum caussis, agunt. Ex quatuor reliquis, ultimum capitula continet Missis Dominicis tradita, quibus agendi modus iis prescribitur, ac quæ eorum officia essent, declaratur. Atque capitum summa hæc est. 1. De legatione omnium Missorum Dominicorum. 2. De illis libertatibus, & rebus reddendis, quæ in Dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur. 3. De op-

JESU CHR. AN. 819.

De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum. 4. De injustis consuetudinibus noviter institutis. 5. De honore Ecclesiarum. 6. De nonis & decimis. 7. De locis dandis ad claustra Canonicorum facienda. 8. De observatione præceptorum Dominicorum. 9. De his qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt. 10. De locis jamdudum sacris & nunc spurcitia fœdatis. 11. De beneficiis Dominicis destructis. 12. De falsa moneta, & de aliis diversis causis prohibendis. 13. De Missorum Dominicorum observatione. 14. De placitis a liberis hominibus observandis. 15. De debito ad opus Dominicum reuvadiato. 16. De his qui ad palatium, vel in hostem pergunt, vel inde redeunt. 17. De pontibus publicis. 18. De Clericis, monachis, & servis fugitivis. 19. De advocatis Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatissarum. 20. De Vicariis vel Centenariis, si latrones celaverint. 21. De Comitibus, & Vicariis admonendis de constitutione legis. 22. De forestibus Dominicis. 23. De Missis Dominicis, & de his qui justitiam facere renuunt. 24. De Missis Dominicis, ubi diutius non debeant immorari. 25. De Missis Dominicis, & de Comite in aliquod missaticum directo. 26. De Missis Dominicis, qualiter conjectum accipere debeant. 27. De vasis Dominicis, & Episcoporum, vel reliquorum, qui in hoste non fuerunt. 28. De Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Missorum Dominicorum. 29. De dispensa Missorum Dominicorum. Eoque quænam accipere poterant, ac mensura indicatur, ne dum provincias excurrerent, subditos ultra modum gravarent. Episcopo itaque cum Missi officium agebat, panes quadraginta dandi erant, frisingæ tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim. Annona ad caballos modii quatuor. Abbati, vel Comiti, atque ministeriali nostro unicuique dentur quotidie panes triginta, Frisingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii tres. Vasallo eadem dantur, tertia tamen parte imminuta, ut ibidem videre est.

Sisebutus Episc. Urgellitanam ecclesiam dedicat.

3. Ex Gallia in Hispanias transimus, ubi hoc anno, *Die Kal. Novembri, quod & omnium sanctorum festivitas, anno sexto, Regnante serenissimo Augusto Ludovico Imp.* Sisebutus in locum Felicis Urgellitani Episcopi ob Elipandianam

nam hæresim dejecti, ante annos aliquot Urgellæ Episcopus ordinatus. *Ecclesiam in loco, qui dicitur Vicus, quæ antiquitus a fidelibus constructa, & ab infidelibus destructa, atque a parentibus nostris, temporibus Domni & piissimi Caroli Augusti restaurata esse videtur*, ait Sisebutus in instrumento donationis eidem ecclesiæ factæ apud Baluzium in appendice ad Marcam Hispanicam, hanc itaque ecclesiam iterum Sisebutus consecravit, præsentibus viris principibus, non solum Urgellitanis, sed vicinarum etiam regionum, eamque dotavit, ut loco citato apud Balutium videre est. Jesu Chr. an. 819.

4. Cum plurimas ubique litteras scriberet Theodorus Studita ut supra diximus, accidit, ut ex his quædam in Leonis Imp. manus incideret, quam ob causam tamquam leo rugiens, Magistrum militum ad eum misit, qui epistola ostensa, sanctum virum ad extremum usque spiritum vapularet, ac inde post tres menses ex priori carcere, in quo triennium exegerat, Smirnam cum Nicolao discipulo ejus delatus est. *Triennio autem integro post idem tempus in eo carcere perseverans*, ait Michael in ejus vita *permultis incommodis conflictatus est, præcipue ob stomachi intumescentis dolores, qui ei morbus assuetus ac velut collactaneus erat. Nec dum vero ab his malis respirabat: cum acrioribus rursum aliis, o Dei judicia! ex insucco ac solis ossibus hærente corpusculo exercetur. Inciderant in manus Imperatoris, nescio unde litteræ, quas sanctus dictarat, & immanem illum immenso furore accenderant, ut quæ illius amentiæ, stuporisque notam, indiciumque continerent: Has ergo mittit, e vestigio ad eum quem diximus Magistrum militum Orientis, addito mandato, ut ad Sanctum ipsemet proficiscatur, litteras ostendat, eumque ad extremum usque spiritum acerrime diverberet, ut tandem, inquit, desistat a contumacia. Qui simul ac advenit, primum illud interrogat: ejus ne litteræ, vel alterius essent, quas manibus gerebat. Patre autem suas esse nec alterius affirmante, nullum aliud verbum addens. Nicolaum prius ejus discipulum, tamquam epistolæ notarium, in oculis magistri nudum extendi, cædique imperat. Deindeque Sanctum ipsum exuens, centum illi verberum plagas imponit, omnia propemodum membra dissecans, ossiumque ipsorum nexus, & colligationes destruens, quæ solæ illi supererant. Transit inde rursus ad Nicolaum, ratus* Theodorus Studita iterum flagellatur.

 illum

JESU CHR. AN. 819. *illum propter verbera molliorem factum, verbisque asperrimis ad sacrarum imaginum, magistrique ejurationem instigat. Ut vero fortiorem illum quam antea esse sensit, cum loris intextis, viminibusque recens excisis, manus ac pedes reliquumque corpus dilanians, interatis plagis exulcerans, sub dio sic affectum reliquit, duplici tormento vexandum frigoris, ac verberum doloribus, tum enim februarius mensis agebatur.*

Theodorus Smirnam perducitur. 5. Deinde post aliqua de acrioribus cruciatibus ab eo, ejusque discipulo Nicolao toleratis, deque eorumdem translatione in Smirnensem carcerem subdit. *At divinus ille pater intolerabiles dolores ex acerbissimis illis verberibus sustinens, humi jacebat exanimis prorsus, omnisque sensus expers, nisi quatenus dolores ipsos sentiebat, non cibum, non potum, nec brevissimum somnum accipere poterat, nec aliud demum ex iis quæ moribundis ac deficientibus dari solent. Quem sic affectum cernens discipulus, sui ipsius curam omittens, quamquam & ipse pessime habebat, totus in illius curam convertitur, ac ptisanæ aliquantulum deposcens, rigare arentem Patris linguam cœpit, modicoque in os infuso potu, nonnihil eum refocillavit, ac veluti mortuum vitæ restituit. Ut vero vitalem ei vim rediisse sensit, ad marcida jam membra medicanda se convertit, pleraque enim carne penitus corrupta & graveolente tabe ac sanie confecta putruerant, & cernere erat partes alias ab aliis pendentes, omnes ad usum jam factas inutiles, quam ob causam cultello eas detruncat, & sanioribus avellit, si hoc forte pacto reliqua cohærere possint, cicatricemque obducere. Nonaginta totos dies intolerabili dolore perfunctus Pater, nulla prorsus vel temporis puncto percepta requie, in mediis adhuc laboribus labores alios & duriores carceres, & longiora itinera ipse, qui ostii limen egredi vix poterat, nanciscitur, sævissimo Tyranno novos ei cruciatus affatim suppeditante. Mox enim ab illo, citatis itineribus adfuit barbarus homuncio, ferox atque intractabili pecuniæ mancipium, pecuniamque animo & voto sibi præsagiens. Tales enim esse oportebat, qui impii jussa exequerentur. Qui simulac ad locum pervenit, hoc sibi primum proposito, rimas & angulos omnes carceris perscrutari parietes effodere, terram agerere, sicubi aurum reperiret manibus explorans. Existimabat enim scelestus adventantes doctrinam pecunia redimere, partemque magnam auri vim repositam*

sitam habere, animoque insatiabili esse, quamvis cæteris rebus indigeret. Ut vero sensit se frustra laborare, ac stulte sibi persuasisse (ubi enim illuc auri quod dicitur umbra?) tum malam mentem in aliis explet: injuriis enim plagisque affectum cum discipulo Sanctum e carcere ejiciens, ambos assectantibus famulis, tradidit Smirnam (illuc enim destinarat) omni festinatione ducendos. Qui igitur mense februario in priori carcere verberibus affectus fuerat, & nonaginta post verbera diebus, ibidem mansit, mense Majo inde Smirnam translatum fuisse patet.

JESU CHR. AN. 819.

Theodori epistola ad fratres ubique dispersos.

6. Etsi Theodorus tam gravia, propter litteras a se scriptas, nuper passus fuisset, alteras paulo post, easque ad omnes fratres propter catholicam fidem ubique dispersos communes, seu encyclicas scripsit, spiritu Apostolico exaratas, & veterum martyrum dignam præferentes imaginem, quibus quanta mox sustinuisset his verbis narrat. *Gaudete fratres mei, ac Patres desiderandi, quoniam gaudii adsunt nuncia. Digni rursus habiti fuimus indigni, qui pulchram confessionem confiteremur. Rursum plagis affecti ambo fuimus pro nomine Domini. Etenim & frater Nicolaus pulcherrime & fidelissime decertavit. Vidimus ex carnibus nostris fluentem in terram sanguinem, conspeximus vibices, saniem, & quæ his adjuncta. An non hæc gaudii sunt. Sed quis ego sum infelix, qui vobiscum dignis Christi Confessoribus adnumerer omnium hominum inutilissimus. Causa autem, cujus gratia hæc contigerunt, pristina fuit Catechesis, quæ cum in manus venisset Imperatoris, ad Magistrum militum eam misit, comitem cohortis ad nos venire jubens. Qui cum ducibus, ac militibus intempesta nocte adveniens, & domunculam in qua eramus repente obsidet cum clamore, veluti feram nactus, obiectum septum per se fossores celerrime perfringit, deinde protulit, excussit, ostendit Catechesim. Confessi sumus nos eam fecisse, sicut Deus voluit. Et ille unum hoc petebat solum, ut ad Imperatoris voluntatem descenderemus. Respondimus quod veritas postulabat: Absit. Deum nostrum non reijcimus, & alia, quæ consentanea erant respondere. Tum acriter ab eo verberati sumus. Et frater quidem nihil hujusmodi post primam comprehensionem & inscriptionem in ærumnis passus est: Ego vero humilis febribus immensis correptus & intolerandis doloribus, parum abfuit, quin vita privarer. Attamen*

bonus

Jesu Chr. an. 819. *bonus Deus sensim misertus est mei, adjuvante fratre in quibus decuit etsi adhuc maneant plagæ ad integram sanitatem nondum perductæ. Hæc igitur sic se habent vim mali vobis exposui (id cupere vos sciens, ad condolendum. Quid autem post hæc? minæ graviores, custodia arctior, nam & verbera custodibus & custodiæ præfecto proposita. Ut nec mutire nobis, nedum alicubi scribere liceat. Deterrebimur ergo, & silebimus, obedientes præ timore hominibus & non Deo? nequaquam sane. Sed quamdiu januam nobis aperit Deus, non desistemus, quod in nobis est, officium præstare, reformidantes ac timentes impendens silentii judicium &c.* Eos itaque ut in fide catholica perseverarent, & ne hæreticorum minis aut carceribus, exiliis, vel plagis cederent, hortatur, exemplisque confirmat dum adhuc in priori carcere esset.

Quæ in Smirnensi carcere passus sit Theodorus.

7. Quæ autem, & quanta in tum itinere, cum in Smyrnensi carcere passus fuerit Theodorus, his verbis narrat Michael vitæ scriptor. *Divinus ergo pater, cui vires jam penitus exhaustæ, illo nihilhominus fretus qui spiritum dat mortuis, immitens illos sequebatur, qui eum interdiu quidem & humaniter impellebant, noctu vero tamquam fugitivum cippo alligabant. Postquam vero maximis cum laboribus vix tandem Smyrnam attigit, ejus urbis Antistiti una cum discipulo traditur, viro inter hæresis patronos principi, impietatisque magistro, a quo in obscurum sub terra carcerem retrusus in eo mansit uni omnium inspectori Domino intendens, quem unum in ærumnis consolatorem habebat & custodem, quando & propter ipsum solum tot suppliciis affectus fuerat. Brevi post hæc tempore supervenit iterum ipse Anastasius, ira fervens, Martirisque sanguinis sitibundus, qui verbera prioribus acriora Sancto inflixit, lætusque rediit ad Imperatorem, cum tertio jam Theodorum cecidisset, ita ut centenos per vices ictus pertulerit, discipulo ejus pari pœna decertante, gratiasque pro his omnibus etiam agens vir patientissimus. Apostoli verba læto animo secum occinebat: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: & si compatimur, & conglorificabimur proculdubio: & patientia nobis necessaria est, propter eam quam speramus beatitudinem, cujus adeptio exuperat omnem sermonem & sensum &c.* Hæc Michael.

Theodori lit-

8. In Smyrnensem carcerem translatus, etsi arctiori custo-

custodia teneretur, ita ut sicuti ad Neucratium idem Theodorus narrat, *hinc magna custodiæ cura, & interdictum, ne hominem ullum videamus, tametsi aliter dispenset Deus &c.* Ad fratres suos, seu monachos nihilominus scribendi, facultate adepta, eadem utens, litteris suis iterum ad perferendas quaslibet pro Christi fide tribulationes excitavit, de rebus suis nonnulla addens, ac de mutato carcere sub epistolæ initio ait. *Nuper vobis lectas ex Oriente*, unde hactenus scripserat, *nunc ex Thracia advenio, Smyrnam enim nos transtulerunt Princeps seculi hujus, & arctius quam in priori carcere severiusque custodiunt. Sed verbum Dei non est alligatum, nec quiescit amor, nec silet mandatum. Propterea humilis iterum loquor. Gaudete in Domino Fratres, & Patres, gaudete qui persecutionem propter justitiam patimini. Gaudete qui in montibus & speluncis versamini, sed & qui in urbibus, & desertioribus locis abditi latetis.* His aliisque præmissis, in urbem CPolitanam invehitur, quæ & imaginum cultum abjecerat, & salutis monita ad eum per legatos snos a Paschali Papa missa, ut supra diximus, spreverat, unde flens ajebat. *Audi Cælum, & auribus percipe terra, Moab sprevit Bizantina, scilicet, regio Evangelicum jugum excussit, velut vitula insaniens habenas detrectavit. Vias tuas scire nolo, factis verbisque pronuntiavit. Corybantum more agitur, insanit: sanguinem bibit ut leæna, ut aspis aures obturat: reprehensa reluctatur. Venit ad eam vox commonitoria velut e cælo missa a supremo, a Romano throno. Quid fecisti, clamans, Christum negasti, Christi abrogans imaginem, Deiparæ, & Sanctorum omnium. Aperi obedientem aurem, audi Evangelica, Apostolica, Profetica, Paterna verba. Et non admisit, non suscepit, sed evellens seipsam a quini verticis corpore Ecclesiæ quandoquidem etiamnum vivit & Nicephorus sacer, adversus Deum omnipotentem cervices erigit, Christo insultans, sancta proculcans. Talia sunt ejus facinora, desideratissimi. Et nobiscum Deus Oriens. Occidens, Aquilo Mare &c.* Cum scilicet totus orbis, exceptis Orientalium plurimis, in eamdem convenirent fidem, & cultum sanctarum imaginum retinerent, eoque argumento, ut quælibet pro Christi fide alacri animo perferrent, adhortatur. *Age ergo* inquit, *state fratres, gratis animis has pro Christo ærumnas quasi thesauros abripientes &c.* Hæc & alia

JESU CHR. AN. 819. teræ ex Smirnensi carcere scriptæ.

Jesu Chr. an. 319. & alia quæ longum esset exscribere . De se ipso autem hæc subdit. *De nobis peccatoribus ne sitis anxii , licet audieritis & nos flagellis cæsos iterum fuisse . Tulimus ope vestrarum precum cum gratiarum actione hilariter , etsi diuturna non fuit acerbitas doloris .*

Theodori epistola ad Neucratium.

9. Interea cum neque verberibus , neque aliis vexationibus adamantina dixerim Theodori mens flecteretur , Præfectus blandimentis eum allicere studuit , visitans , ac carcere educens potum , victumque aliquando tribuebat hoc unum ab eo postulans , ut aut sileret , aut cum Imperatore , & Theodoto CP. Pseudo Episcopo consentiret , frustra tamen laboravit ; quare ira commotus , ut in fine epistolæ ad Neucratium narrat , arctiori eum custodia teneri deinde jussit . Hæc , aliaque idem Theodorus in epistola , quam ad Neucratium discipulum suum hoc tempore scripsit , enarrat , a quo cum litteras accepisset , quas e carcere suo CPolitano Neucratius scripserat , ei rescribens de rebus suis multa interserit , ac ut fortiter decertaret , admonet . *Ceterum confortare & sustine confessor Christi , ut ante significavimus &c.* Atque iterum Iconomachorum sortem deplorat , qui ab ecclesiæ comunione exclusi , Paschalis Romani Pontificis admonitiones spreverant , addens . *Quoniam non dereliquit in finem dominus ecclesiam suam , sed illam vices suas adhuc habere docuit , fratres nostros excitans ab Occasu ad reprehensionem temulentiæ nostratium , & illuminationem hæresis noctu dimicantium , quamquam rejecerunt perfracti , & cordis oculos non aperuerunt . Testor nunc coram Deo & hominibus , se ipsos avulserunt a corpore Christi , & supremo verticali throno ,* idest a Romana *ecclesia , in quo Christus posuit claves fidei , adversus quam non prævaluere hactenus , nec prævalebunt usque ad consumationem portæ Inferi , ora scilicet hæreticorum , sicut pollicitus est , qui non mentitur .* Deinde in Paschalis Papæ laudem , *Gaudeat igitur beatissimus & Apostolicus , & nomine suo dignus Paschalis , quoniam Petri opus adimplevit . Exultet omnis orthodoxorum chorus , quia ob oculos vidit Episcopatum Christi , secundum sanctos olim Patres , cetera enim , ut Deo visum fuerit , ferantur .* Hoc unum constare addit Iconoclastas ab totius orbis ecclesiarum communione exclusos esse . *Quid dicere possunt adversarii , Orientem non habent , Occidente privati sunt*

sunt, *a quini verticis corpora*, idest a quinque Patriarchis, Romano, CPolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, *corpore ecclesiastico avulsi sunt*, *vivit enim etiamnum*, *et Nicephorus sacer* (CP. Episcopus in exilio positus) *Igitur a Christo alienati sunt*, *igitur mortui*, *igitur in tenebris ambulant &c.* at de his hactenus; cohibendus est quippe stylus, ne in inmensum excrescant annales nostri. Jesu Chr. an. 819.

10. Momentaneam tamen Bardæ Patricii, & Imperatoris consobrini, pœnitentiam, infelicemque exitum præterire non possumus, qui Orthodoxis cum infensissimus hactenus fuisset, ac Nicephorum CP. Patriarcham in exilium duxisset, ut in Nicephori vita narrat Ignatius, ac orthodoxorum plurimos, variis mirisque modis vexasset, insanabili morbo a Deo hoc tempore tactus, Smyrnæ ubi Theodorus studita ductus fuerat, in lecto decumbens, impii Antiochi exemplo, pœnitentiam agere visus est, sed momentaneam, & fictitiam; Hunc quidem oculo tantum orbatum indicat Ignatius in vita Nicephori, dum prædictionem ei a Nicephoro Patriarcha factam narrans, subdit. *Quem si quis explorate nosse cupiat*; *adeat virum*, *vidensque laborantes oculos*, *tristem*, *quo exceptus est*, *casum*. *palamque deplorandum perspiciet &c* At graviori eum flagello, miserrimoque interitu percussum fuisse in vita Theodori narrat Michael ejus discipulus; *Eodem tempore Bardas ille Imperatoris propinquus*, *quem & militaribus illis copiis præfecerat*, *gravi morbo correptus*, *Smyrnæ in lectulo decumbebat*, *exiguum spiritum ducens*, *animamque*, *ut videbatur*, *brevi exhalaturus*. *Is cum remedia undique tentasset*, *quod in tanto periculo fieri par erat*, *quidam ex ejus familia*, *qui Orthodoxorum partium erat*, *mentionem intulit Theodori*, *quantamque a Deo gratiam consecuturus sit*, *exposuit*. *Et vis*, *inquit*, *ad eum confugere*, *eumque advocare*, *ut tibi opem ferat in extremis laboranti*? *Quo mox annuente* (*flexibiles enim sunt quos urget necessitas*) *festinanter abiit ad Sanctum*, *oratque ut ægro salutem dare velit*. *At ille de infirmo*, *ut cognovit quis & qualis esset*, *curationem quidem tunc differt*, *graves dudum & atroces viri mores haud ignorans*, *eique utiliorem adhuc morbum esse*. *Cæterum ea illi denuntiat*, *quæ si vel minimum sa-*

Barda ægrotans momentaneam pœnitentiam agit.

 piat,

JESU CHR. AN. 819. *piat, plurimum illi ad vitæ emendationem profutura sint: Vide*, inquit, *in die obitus quid responsurus sis, vita sic transacta tot malis in Orthodoxos irrogatis: Tu enim ille es, qui inter cætera monachos meos nefandis modis divexans, suppliciisque mactans, magnum & admirabili virtute Thadæum sustulisti, quem duplex & vitæ & confessionis corona exornavit, at beatus nunc Thadæus cum Sanctis æternis gaudiis fruitur. Te vero instantibus pœnis quis eripiet cum tot tantisque scelerum notis hinc abeuntem? Agnosce nunc tandem ultimo in fine teipsum, Deo responde, cui anteactorum tuorum pœnas daturus es*. Mirabilis Deus in consiliis super filios hominum (legens ista exclamare cogor) ait Baronius, illum ipsum dirum persecutorem monachorum Studitarum Smyrnam perduxit, ubi eorum Abbas S. Theodorus degebat vinctus in carcere, eumque ipsi supplicem, ut reum Judicii reddidit, & pro vità impetranda rogare coegit, ut vinctus licet in carcere Theodorus, tamquam in regio folio constitutus de ejus salute decernat; ipse vero licet regia cognatione clarus, magistratu quoque conspicuus, & exercitu potens, vinctus tamen jacens duris vinculis constrictus lethalis morbi, a Sancto vitam quibus valuit precibus suppliciter atque humiliter deprecari cogatur. Ita plane Deus ubi vult, hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto inclinans ex hoc in hoc, ut bibant omnes peccatores terræ: pergit vero Michael. *Hæc ægroto Sanctus cum significasset hominis mentem terrore perculit, permovitque ut præteritæ vitæ culpas agnosceret: stringens enim in tempore sermo, multo melior est sermone molli. Itaque ad Sanctum mittit e vestigio, veniam petens tantorum facinorum, oransque ut se præsenti periculo eripiat. Habebis me, inquit, deinceps obsequentem tibi, atque ex legibus tuis vitam moderantem; tantum hoc mihi beneficium impende. Orantis commiseratione tactus Theodorus, & morbum sanavit, crebris precibus Deum exorans, & eum corpore ut animæ simul melius esset effecit, missa ad eum Deiparæ imagine, quam totius vitæ custodem haberet. Hanc enim (inquit) si amplectare, colasque recte ac feliciter ages in omnibus, sin rejeceris, gravissima senties, & cujvis abominanda mala. Verum amens ille, ac supra modum stupidus, quasi nihil novi accidisset, repente*

pente animum mutat, reditque ad pristinam hæresim & errorem, pessimo consiliario usus Smyrnensium Episcopo, a quo olei vasculo donatus, eulogiæ nimirum nomine & valitudinis confirmandæ: simul ac illo se unxit morbus illico invasit, nefandumque caput lecto iterum affixit. Cui mortem statim prædixit Pater, ac perfidiæ præjudicium. Neque enim impune, ait, ferunt qui malis consociantur. Unde animam infelix subito ejiciens, pessimi consilii pessimum finem invenit. Atque ille quidem hunc temeritatis suæ quæstum cœpit, Christi vero famulus annum integrum ac dimidium Smyrnæ degens in carcere, alacriter omnia cum gratiarum actione perferebat, generosum animum nullis molestiis frangi sinens. hæc ibidem auctor, qui de impii Leonis Imp. interitu deinde verba facit; uti anno proximo dicturi sumus.

Jesu Chr. an. 820.

JESU CHRISTI annus 820. Paschalis Papæ an. 4. Ludovici Imp. 7. Michaelis Balbi Imp. 1.

1. Hoc Christi anno 820., qui etiam Leonis Armeni Imp. postremus fuit, cum eousque in catholicos persecutio sœviret, ut carnificem, etiam quotidie expectaret fortissimus Christi atlheta Theodorus, ad Neucratium dedit epistolam, quæ ultima est ex iis, quæ sub Leonis Imperio scripsit; eaque de rebus suis hæc narrat. *Neucratio filio. Serius ad te scripsimus dilecte fili, sed quia fervet hic etiam persecutio plagæ, vincula, carceres, ita ille qui nos detinet, spirat furorem & minas, & hic aut illic inventos pios comprehendit ac divexat. Qui quidem in urbem proficiscens, ibi enim nunc agit; dicere non dubitavit: Rogabo Imperatorem, ut mecum ducam regium ministrum, qui aut capite penitus obtruncet, aut linguam abscindat. Equidem nescio an verba ad exitum pervenerint. Ob hanc quidem causam nos omnia jam disposuimus, conjecturam ex alio etiam capientes, hominis scilicet perversitate, & concursu Episcoporum; quandoquidem adsunt, ut fertur, quo tale aliquid perficiatur. Minister vero timore & metu perculsus (graves enim antea minas impiorum dux intentarat, morte proposita, si vel levissimi errati reus inventus esset) chartam & atramentum nobis dare omnino reformidavit. Hinc tarditas. Accessit ad impedimentum, quod audieram te ex* car-

Theodori epist. ad Neucratium de persecutionis acerbitate.

JESU CHR. AN. 820.

carcere eductum esse, sed & Sardensem (qualis, non definiebatur) ob nefarium aliquod facinus capite plexum fuisse. Utraque igitur ex causa distulimus. Humilibus tamen nobis concessum est, ut auribus tuis vox nostra rursum insonet, significans tibi nos corpore valere; dicere autem liceat, etiam spiritu, sanctis precibus vestris cum beato meo Patre. Ad ea vero quæ indicasti, quid dicam, aut quid loquar, nisi quod hæreseos atrocitati congruat acerbitas persecutionis. In tanto autem prævaricatorum numero, non defuisse in ipsa regia urbe, cujuscumque generis, & utriusque sexus, mulieres scilicet, & virgines, laicos, & Senatores qui ad agones prosiliebant, in æpistolæ decursu adnotat; unde lætabundus exclamat. *Audiant mansueti & lætentur. Audiat Oriens, & Occidens ea quæ apud Byzantium fiunt, et laudem dicat, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Hic pugilum certamen, hic sanguis fluit ecclesiam Christi rigans uberius, quam Paradisus Edem irrigabatur &c.* hæc & alia ibidem, cum plurimi suis excitati litteris, & præcipue Paschalis Papæ admonitione, & correptione admoniti, pro Christi fide, & sanctarum imaginum cultu, bonum certamen certantes, carceribus, plagis, vel exiliis se exponere non dubitarunt.

Theodori epist. ad fratres cum mortem sibi instare crederet.

2. Ad hæc etiam tempora, cum ultimum sibi diem instare Theodorus putaret ad fratres suos, seu Studitas monachos, hanc dedisse epistolam vero proximum est, quam testamenti sui locum tenere voluit, his verbis. *Semper quidem ad mortem omnia disponere Christianum oportet sed tum maxime cum ærumnis mortem intentantibus urgetur. Quando igitur hoc in statu sunt res nostræ, sæviente persecutorum rabie ob Cristi caritatem, sive ob præsens testimonium confessionis ejus, nec scire possum quid subito eventurum sit mihi ab aliis sejuncto, proculque a vobis omnibus fratribus meis ac patribus circumcluso, recte facturum me existimavi, si, supremam veluti vocem, hanc epistolam vobis commendarem, & per vos universæ fraternitati. Melius enim est sæpe testari, & expectare, quam vitæ longioris expectatione subito abripi, & intestatum inconsulto relinqui. Quid ergo nunc restat? Quandoquidem sæpe quæcumque dicere conveniebat, vel gravi quopiam morbo decumbens, vel instante persecutione, recensui, memoriæque suggessi; neque nunc opus*

est

est quæ dicta sunt, iterum repetere - Hoc primum, fratres mei, ut veniam mihi detis eorum, quæ præter rationem in gubernatione adversum vos dixi, vel egi tum verbo, tum facto &c. eorumque se orationibus commendat: ac ut pro fratribus, qui variis sub prætextibus ab eo se abalienaverant, hæreticisque se consociaverant, orarent admonet; quibus se omnia condonasse, dummodo facti sui pœniterent, testatur. Jesu Chr. an. 820.

3. At Theodorus qui mortem quotidie in carcere expectabat, per annos aliquot vitam adhuc tenuit, usque ad annum 826. Imperator vero qui longam sibi cum Imperio vitam promittebat, repente e vivis hoc desinente anno, die Natali Domini dicato, sublatus est; cum usque nunc sævissimam persecutionem, ut diximus, adversus catholicos sacrarum imaginum cultores exercuisset, ulterius ad internecionem progressurus, si vitam tenuisset. At Deus, *qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum*; cum irati numinis signa, quæ præcesserant, varias scilicet calamitates, quibus Imperium affligabatur, pestem scilicet, & aeris intemperiem, terræmotum, ignisque immissiones, cum hæc inquam, utpote qui in profundum malitiæ venerat Leo Imp. sprevisset, sicuti & sanctorum virorum de proximo ejusdem interitu prædictiones; *Tandem tardus ille quidem*, ait Constantinus Porphyrogeneta, *ad cujus lethale vulnus, a Deo gladius profiscitur, ut interim clavus clavum trudat, malumque malo medeatur. Michael is erat, qui tum fœderatorum Præfecturam gerens, Majestatis crimine delatus, qui extremam Leoni perniciem ac interitum comminatus esset, ac si quæ malus furor alebat, verbis produxisset; re ad Leonem delata, confestim rapitur ipsa die. Postremo delatoribus accusationis capita confirmantibus, affectatæ tyrannidis ac Majestatis reus decernitur, pridie Christi verbi Dei nostri Natalis, isthæc agebantur*, inquit Constantinus Porphyrogeneta lib. 1. Chronographiæ n. 21. Scribit postea *Michaelem* convictum ab accusatoribus, condemnatum fuisse, ut igni cremaretur, sed *Theodosiam* Imperatricem Leoni persuasisse, ut ob Festi Natalis Christi reverentiam, illius interitum differret. Postridie *Michael*, ubi primum dilucescit, literas ad conscios scribit, quibus minabatur, se omnes Imperatori indicaturum, nisi celeriter Leonis Armeni Imp. interitus.

Jesu Chr. an. 829. riter adessent. Quare ii ad Regiam se conferunt, & se se cum Clero commiscentes, ubi Imperator hymnos, ut consueverat, auspicatus est, strictis ensibus ex angulo prosilierunt, eumque multis vulneribus confecerunt, *mense Decembri, hora noctis decima, cum annos septem menses quinque Imperium tenuisset*, ait Constantinus; eademque ceteri Græci scriptores Theophanis continuatores, Leo grammaticus, Simeon Logothetha, Georgins monachus, Zonaras, & Cedrenus; *ac eadem hora ad carcerem irruentes*, ait Leo grammaticus *Michaelem educunt, & ad celebritatem inducunt, & pro compedibus devincto corona Imperiali cinctum declarant: adeo ut in eo illud psalmi dictum impleretur: Ad vesperam commorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Post exitialis illius cadaver vilibus pannis involutum lintri impositum, execrandaque illius membra ad insulam, Proten dictam, afferunt, ubi filios ejus tondentes, monasticum habitum suscipere coegerant*; ait idem auctor; At non solum monastica tonsura affecti sunt, sed virilibus etiam exsecti, unde ex iis Theodosius, ob virilium sectionem mortuus est. *Hac expleta carnificina*, addit Constantinus, idest Leone extincto, *defuncti cadaver crudeliter, effrenique licentia trahentes per Scyla ad Circum eduxerunt, nullo jam metu deterriti, quod omnis regia conjuratis, iisque qui Leonis vitæ insidiati essent, foret conserta*; *unaquoque illius uxorem* (Theodosiam) *ejiciunt cum quatuor liberis*, Symbatio, *cui per inaugurationis solemnia inditum Constantini nomen, Basilioque, & Gregorio, nec non Theodosio. Hos omnes lembo impositos in Protea insulam duxerunt*; *Ibi exsecti cum essent, Theodosius mori contigit*.

Michael Imperium occupat, quis esset.

4. Tragœdia peracta Michaelem e carcere eductum, Imperium occupasse diximus, qui die eadem circa meridiem, ecclesiam ingressus, Imperialem a Patriarcha coronam accepit, antecessore suo vix melior, qui Amorii superioris Phrigiæ urbe natus, *In ea Judæorum, eorumque quos Athinganos vocant*, nunc communiter Zingaros dicimus, seu Egyptios, ait Goarius in notis ad Theophanem, cujus interpretationem rejiciendam esse Pagius admonet, *frequens semper multitudo consedit. Sed & alia quædam hæresis, ex aliorum cum aliis societate, jugique consuetudine, nova prorsus, exque novis & inauditis decretis conflata emersit, cu-*

cujus ipse quoque Michael, accepta a majoribus superstitione particeps fuit. Eamque sectam, ex christianorum sacramentis, & ritibus, baptismum tantum admittere, ait Constantinus loco citato; *In reliquo autem omnia, praeter unam circumcisionem, ex legis Mosaicae ritu servat* hominem dixerim, cui nulla religio cordi erat, de cujus ingenio, & gestis sub Imperii sui initiis, hæc adnotat Leo Grammaticus. *Michael Amoraeus annis octo, & mensibus novem imperavit. Hic nonnihil de malitia, quae animam ejus pridem occuparat, remittens quantum videlicet in ergastulis, poenis, & exilio constitutis libertatem, relaxationemque fictam somniare licuit, impii praecessoris sui infestam Deo fovebat mentem: pari namque gravis haereseos detinebatur unco, ex animi stupiditate, & ignorantia: unde silentio, idest conventu, habito: Qui ante nos (inquit) Ecclesiasticorum dogmatum leges & statuta perscrutati sunt, de iis examinabuntur, sive in bonum, sive in malum, nos in quo Ecclesiam procedentem invenimus, in hoc & observandum decernimus. Erat porro illi filius ex Exphrasina nomine Theophilus, quem in magna ecclesia Imperii corona redimivit &c.* At hunc Theophilum Theclæ filium fuisse, narrat Cedrenus, non Euphrosinæ, quæ proinde Noverca, non mater Theophili Imp. fuit, ut ad annum 826. num. 19. adnotat Pagius. Michaelis interea jussu, quotquot pro fide exules, vel sponte extorres erant, ad propria rediere, ac undique qui in carceribus detinebantur dimissi sunt, ad alia sub Theophilo filio ejus certamina reservati, qui diu vitam tenuerunt, ut infra suo loco dicturi sumus.

Ludovicus Imp. conventum Aquisgrani celebrat. Bera Barcinon. Comes in privato certamine victus in exilium ejicitur.

5. Ludovicum Imp. hoc anno conventum Aquisgrani, Januario mense celebrasse narrat Eginhardus in annalibus, ac subdit. *In eo conventu Bera Comes Barcinone, qui jamdiu fraudis, & infidelitatis a vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo* (ideft Sanilone) *equestri pugna confligere conatus, vincitur. Cumque ut reus majestatis, capitali sententia damnaretur, parcitum est ei misericordia Imperatoris, & Rothomagum in exilium deportatus est*, eique suffectus Bernardus filius Sancti Villelmi vir solertis ingenii, qui variis, tristibusque casibus expositus fuit. Cum porro incertæ essent probationes adversus Beram allatæ, ad Monomachiam, seu privatum certamen causæ judicium commissum est. Ea quippe ætate barbarorum hæc consuetudo, sive abusus, eous-

que

Jesu Chr. an. 820.

que apud Francos invaserat, ut viri etiam aliquando pietate, & doctrina præstantes probaverint, persuasum habentes Deum innocentes a periculo erepturum, harum autem probationum varia erant genera; uam per ignem, per aquam, per ferrum candens, vel armis in privato certamine fiebant, quarum varia genera exponit Lebrun in tractatu Gallico de superstitionibus &c. Non defuerunt tamen hac ipsa ætate in Galliis, qui easdem probatioues, & præsertim privata certamina, illicita omnino esse, probaverint. Ex his Agobardus Lugdunensis Episcopus, recensetur. Beræ Barcinonensis Comitis, certamen cum Sanilone adversario suo describit Ermoldus Nigellus hujus ævi scriptor, ac adstante Ludovico Imp. cum aulicis gestum fuisse adnotat, ubi & feretrum allatum fuit, pro eo, qui in certamine cecidisset. Sed ut diximus vitæ ejus pepercit Ludovicus, ac in exilium ejecit.

Ludovicus bellum Seracenis in Hispania indicit.

6. Eodem in conventu Aquisgranensi, ut idem narrat Eginhardus. *Fædus inter nos, & Abulaz Regem Hispaniæ constitutum, & neutræ parti satis proficuum, consulto ruptum, bellumque adversus eum susceptum est.* Ejus gerendi cura imposita est Comitibus Marcæ Hispanicæ in conventu Aquisgranensi anno sequenti habito, ut docet idem Eginhardus: *Simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum est.* Quid eo anno gestum sit, in obscuro latet. At de rebus gestis anno 822. sic scribit idem Eginhardus: *Comites Marcæ Hispanicæ trans Sicorim fluvium in Hispania profecti, vastatis agris, & incensis cum pluribus villis, & capta non modica præda, regressi sunt.*

Variæ calamitates in Galliis.

7. Variis quoque calamitatibus hoc anno Gallias afflictas fuisse idem Eginhardus his verbis narrat. *Hoc anno, propter juges pluvias, & aerem nimio humore solutam magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum pestilentia tam immanis longe, lateque grassata est, ut vix ulla pars totius Regni Francorum, ab hac peste immunis atque intacta posset inveniri: Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam cujus parvus proventus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum, & insuave fiebat. In quibusdam vero locis, de inundatione fluminum aquis in plano stagnantibus autumnalis satio ita impe-*

dita

dita est, ut penitus nihil frugum ante vernam temperiem seminaretur. At de gestis in Gallia hactenus.

JESU CHR. AN. 820.

Translatio corporis S. Marci Venetias.

8. Ad hæc tempora, atque hoc anno 820. B. Marci Evangelistæ reliquias Venetias translatas fuisse, Venetorum annales aliique cum Baronio, & Sigonio referunt, sub Justiniani scilicet Ducatu anno secundo, ut in chronico Danduli legitur, qui cum Angelo Participatio successisset; *Rempublicam administrare cœpit, statimque gratificaturus Michaeli Imper. CP. misit ei in auxilium adversus Saracenos aliquot naves bello aptissimas, sed cum hostis recessisset, naves non multo post incolumes domum rediere, translatumque est hoc tempore Venetias Beati Marci corpus ex Alexandria; Defuncto vero, cum duos circiter annos administrasset Ducatum, Justiniano, Joannes frater ei successit, qui statim, ut fraternam exequeretur voluntatem, Fanum Ducario propinquum augustiori forma ædificandum curavit, in quod rite dicandum Divi corpus ex minori sacello ubi jacebat, translatum est, atque arcula ferrea obseratum intra columnam, marmoreis lapidibus compactam reconditur*, ait idem Petrus Justinianus in Veneta historia. Translationis corporis B. Marci ex Alexandria Venetias relationem longiori stylo exaratam recitat Baronius, ex Vaticana, ut ait bibliotheca desumptam; sed quæ tota, quantaque est figmentum, fabulamque redolet, ut legenti cuique criticæ artis vel leviter perito patebit, eamdemque uti apocrypham Bailetius, & Tillemontius habent, Venetiis quidem tanti thesauri possessionem non invidemus, ac post translatas Venetias S. Marci reliquias, eamdem translationis historiam confictam fuisse credimus. Non una tamen Venetorum Metropolis, se reliquias B. Marci possidere gloriatur; sed earum partem aliæ plurimæ ecclesiæ in Italia, & Galliis se habere testantur, ut apud Bailetium videre est, etsi ejus corpus, ut veriora acta Martyrii testantur, igne consumptum fuerit, sic tamen ut ex eo duriora ossa remanserint.

Justin. in histor. Venet.

Lotharius Italiæ Rex a Ludovico creatur.

9. Hoc anno Lotharius Ludovici filius, Imperator antea a patre dictus, Italiæ Rex creatus est, quod etsi Francorum annales prætererint, ex multis tamen Lotharii diplomatibus, toto Imperii sui cursu editis, manifeste probatur, ait Muratorius, cui Mabillonius, Pagius, Mansi, ceterique consentiunt, ut plura addere superfluum sit.

Jesu Chr. an. 821.

JESU CHRISTI annus 821. Paschali Papæ an. 5.
Ludovici Imp. an. 8. Michaelis Balbi 2.

Ludovicus partitionem Regni inter filios confirmat, Legatos Paschalis Papæ suscipit.

1. Regnum suum inter filios suos Ludovicus pius anno 817. diviserat, ac Lotharium filiorum primogenitum Imperatorem dixerat, cui etiam anno proximo uti monuimus, Italiæ Regnum adjunxit. Hoc autem anno, in conventu Noviomagi habito, eamdem Imperii sui inter filios partitionem confirmavit, ait in Annalibus Eginhardus. *Dominus Imperator post festi Paschalis expletionem, per Mosam navigavit, ibique constitutam annis superioribus, atque conscriptam inter filios suos Regni partitionem recensuit, ac juramentis Optimatum, qui tunc adesse poterant, confirmavit. Susceptisque ibidem Paschalis Romani Pontificis legatis, Petro videlicet Centumcellensi Episcopo, & Leone nomenclatore, eisdemque celeriter absolutis, Comitibus etiam qui aderant ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibidem remoratus Aquisgrani reversus est.* Rem sane gratam fecisset Eginhardus, si scopum legationis ad Ludovicum a Paschali Papa missæ indicasset, ita ut de eadem nihil ab eo, vel Anastasio scimus, unde quid actum fuerit, ignoramus. Pippino itaque Aquitaniæ Regnum, Lodovico filiorum altero Bojariæ cum finitimis provinciis Regnum confirmavit, Lothario vero nullam tunc partem dederat, utpote ad Imperii successionem vocato. Cui postea Italiæ Regnum, post Bernardi obitum anno proximo concesserat.

Lotharii Imp. nuptiæ cum Irmengarda.

2. Celebrior Noviomagensi fuit alter conventus hoc eodem anno apud villam Theodonis ab eodem Ludovico Imperatore celebratus, quo Lotharii nuptiæ solemniter cum Irmingarda celebratæ sunt, ac exules ob Bernardi conjurationem revocati. *Medio mense Octobrio*, ait idem Eginhardus, *conventus generalis apud Theodonis villam, magna populi Francorum frequentia celebratur: in quo Dominus Lotharius, primogenitus domni Imperatoris Ludovici Irmingardem Hugonis Comitis filiam, solemni more duxit uxorem. Illuc etiam Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theodorus primicerius, ac Florus super ista cum magnis venere muneribus. Eminuit in hoc Placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernardo nepote suo*

suo In Italia contra caput & regnum suum conjuraverunt. Quibus ibi ad præsentiam suam venire jussis, non solum vitam & membra concessit; verum etiam possessiones judicio legis in fiscum redactas, magna liberalitate restituit. Adalbardum quoque de Aquitania, ubi exulabat, evocatum Corbejæ Monasterii, ut prius fuerat, Abbatem ac Rectorem esse jussit. Cum quo & Bernardum fratrem ejus reconciliatum, eidem monasterio reddidit. Ex hoc autem Lotharii cum Irmengarda connubio, graves paulo post, inter patrem, & filium dissensiones exortas adnotat Theganus cap. 28., quarum incentor fuit Hugo Irmengardæ pater, ac Lotharii socer, qui ut generum non nomine tantum, sed re ipsa Imperatorem videret, incautum, & ambitiosum Lotharium, ut adversus patrem rebellaret, ac throno dejiceret, impulit, ut suo loco infra dicturi sumus. JESU CHR. AN. 821.

3. De exulibus vero, nuptiarum occasione revocatis, ac in pristinam gratiam receptis, hæc etiam cum Eginhardo adnotat Annalista Fuldensis. *In villa Theodonis omnes, qui suo tempore in exilium missi fuerant, revocavit, & singulos in statum pristinum restituit, possessiones quoque judicio legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit.* Ex his exulibus, nonnulli ex propinquis præcipue suis, nullo crimine accusati, vel convicti fuerunt, sed tantum aulicorum invidia. Vexati ex his tres fratres Adelhardus, Vala, & Bernarius, eorumque soror Gundrada, quorum pater Bernardus Comes, Pippini Regis frater, Caroli M. patruus erat. Unde Paschasius Radbertus in vita S. Adelhardi Abbatis hæc adnotat. numero 45. *Ad Petram, quæ Christus est, fratrum animos solidabat*, Adhalhardus, scilicet, exemplo & sermonibus, ut æquo animo exilii ærumnam in monasterio Heriensi inclusi ferrent, *quibus paterna ex arce per septennium, ita discretione virtutum vallatis, factum est, Domino annuente, ut sui exulatus jam finem faceret &c. Quo factum est, ut peracto tempore cum summo tandem revocaretur obsequio, ut pristinam reciperet dignitatem, passim omnibus exultantibus & congratulantibus pene cunctis &c. Interea tum eodem eogente Principe compellitur recipere suum sanctæ vitæ cœnobium flagitantibus filiis suis &c. Solvitur itaque sæva multorum captivitas, eorum maxime qui ex Regio pollebant semine. Redditur ergo in uno libertas omnibus, quocumque in loco tene-*

Ludovicus exules revocat, & in gratiam recipit.

JESU CHR. AN. 821. *tenerentur, nisi quos vita prius mors privarat. Tum deinde quorumdam tonsura propter furoris sævitiam illata transit ad coronam, & dant Deo sponte, quod dudum inviti quasi ad ignominiam susceperant.* Ex his porro, qui monasticam tonsuram inviti susceperant, quam postea libenter retinuerunt, fratres ipsius Ludovici fuerunt, Drugo, Hugo, & Theodoricus, quos Ludovici jussu tonsuratos fuisse anno 817. diximus.

Alii exules revocati. 4. Præter hos cognatione sibi conjunctos absque ulla causa ab aula olim ejectos, atque hoc anno revocatos, alii plurimi fuere, qui utpote Bernardi Italiæ Regis conjurationis participes, vel saltem suspecti eamdem pœnam subierant, Ex his Theodulphus Aurelianensis Episcopus, Anselmus Mediolanensis, & Vilsoldus Cremonensis, duo primi ad suas rediere sedes. Vilsoldus Cremonensis in exilio obiit, ut videre est apud Ughellium. Theodulphus vero Aurelianensi sede vix recuperata, aut dum Aurelianos rediret, vivere desiit, ut antiquus Annalista narrat. Lethaldus vero Monachus Micianensis in vita S. Maximi, *Regis gratiam consecutus cathedram pristinæ dignitatis non diu victurus recepit. Fertur enim vi veneni ab his extinctus, qui dum exularet, libertate positi, bona ejus invadendi jam hauserant cupiditatem*: cujus epitaphium Andegavi positum referunt Mabillonius, & auctor historiæ litterariæ Franciæ de ejusdem patria, genere, eruditione, & scriptis plura adnotantes: origine Italum fuisse versus in Epitaphio ejus inscripti indicant.

Non noster genitus, noster habeatur alumnus
Protulit hunc Speria, Gallia sed nutriit,

Ex Italia a Carolo M. anno 781. in Gallias translatus, Abbas primum Floviacensis, deinde Aurelianensis Episcopus creatus est, ubi tum gestis, cum scriptis sub Carolo M., & Ludovico Pio, maxima cum laude floruerat, usque dum rebellionis Bernardi Regis insimulatus, cujus tamen se innoxium fuisse testatus est, Episcopatu dejectus, in exilio fuit usque ad labentem annum, quo Ludovici gratiæ, suæque sedi restitutus hoc eodem anno, ut diximus, e vivis sublatus est, cujus præclara scripta versibus, & prosa ab Sirmondo, alii.

aliisque in unum collecta, notissima sunt, & præcipue ejusdem capitulare, seu instructio Sacerdotibus suæ Diœcesis inscripta, & capitibus 46. distincta, qua iis vivendi regulam Sacerdotibus dignam tradidit, ac qua ratione sacramenta fidelibus administrare deberent edocuit: opus revera ob materiæ dignitatem, ordinemque servatum, & styli elegantiam & simplicitatem, egregium, ex quo Episcoporum plurimi suas instructiones ad Clerum inscriptas, sumpserunt, aut integrum etiam tradiderunt; huic simile scriptum est alterum a Baluzio editum, quo præcipue de recta sacramentorum, & præcipue de pœnitentiæ, & extremæ unctionis, administratione Theodulphus agit: ad Magnum Senonensem Episcopum librum de baptismi ritibus eum dedisse supra diximus, ut Caroli M. postulationi satisfaceret, qui id ab Archiepiscopis Imperii sui exquisierat. Ejusdem jussu, ut ex præfatione constat, librum de Spiritu Sancto edidit Theodulphus, eo tempore scriptum, cum controversia vigeret, num Spiritus Sanctus, sicuti ex Patre, ita quoque ex Filio procederet, & an Francorum additio ad symbolum facta verbi *Filioque* retinenda esset. Versibus etiam plurima scripsit, qui in libros sex sunt distributi, quorum primus versibus pene mille constans ad Judices, seu contra judices inscriptus est, eoque qua ratione justitiam administrare, quid vitare debeant, admonentur; liber secundus sexdecim epigrammata continet, quorum primo catalogum librorum Sacræ scripturæ veteris, novique testamenti inseruit, tertio loco hymnus, qui in Dominica Palmarum canitur, *Gloria laus, & honor* legitur, sic ceteri quatuor poematum libri quamplurima ad hujus temporis historiam illustrandam continent: tanti viri opuscula in unum collecta inter Sirmondi opera extant tomo 2. quibus nonnulla addiderunt Baluzius, & Mabillonius. De ipso plura præ ceteris dabit auctor historiæ litterariæ Francorum tom. 4. p. 459.

JESU CHR. AN. 821.

Benedicti Aniani Abbatis obitus.

5. Theodulpho Benedictum Aniani Abbatem addimus, cujus opera, sicuti Alcuini in litteris in Gallia excitandis, restaurandisque usus est Carolus M. ita in monastica etiam disciplina juxta S. Benedicti regulam in Galliis restauranda, & dilatanda. Reformator propterea monasteriorum & restaurator dictus, ac ab Theodulpho Aurelianensi cum Benedicto ordinis monastici in Occidente institutore comparatus, his versibus ad eum dum viveret, directis.

Quod

Jesu Chr.
An. 821.

Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis
Hoc modo tu in nostris es, Benedicte, locis
Ut cerebro Euphorbi Samius fatus esse putatur,
Sic Nurci Patris in te revocatur opus.

Is porro in Septimania nobili genere natus. In aula Pippini primum, deinde Caroli M. ejus filii, aliquando militavit. At aula relicta monasterium prope Anienum fluvium ædificavit. Unde Aniani Abbas ex eo monasterio passim dictus est, ibique cum verbis & exemplo monastica floreret disciplina, Ludovicus pius dum Aquitaniæ Rex esset, monasteriis Regni sui præfecit, ut in iis monasticam restitueret disciplinam; cum vero Ludovicus patri in Imperio successit, eamdem in toto Imperio suo curam Benedicto commisit, cujus labores, & scripta ad id opus perficiendum anno 817. recensuimus, ejusdem etiam opera ad hæresim Felicis Urgellitani confutandam, sopiendamque usus est Carolus M., ut suo loco diximus. Sicque cum pietate & doctrina sub Carolo M., & Ludovico pio hactenus, in Galliis vixisset, hoc anno die undecima Februarii, obiit; vir sane Alcuino, Theodulpho, Leirado, ceterisque Galliarum hujus ævi celeberrimis acceptus, & amicitia conjunctus, ut ex datis, acceptisque epistolis, quarum pars maxima periit, constat. Ingenii nihilominus sui monumenta supersunt, Regularum Codici inserta, vel a Baluzio edita tom. 5. Miscellanorum. De ipso plura dabunt auctor historiæ litterariæ Francorum tom. 4. pag. 447. & Mabillonius tum in actis, cum in Annalibus Ordinis Benedict. lib. 29. num. 6. ad 12. Extatque Indiensium monachorum relatio ad Anianenses monachos, qua vitæ ejusdem breviarium exhibent, ac ultima tanti viri dicta, vel gesta, ut ibidem videre est. Præterea Ludovici Imp. epistola ad Anianenses monachos data, qua electionem Tructensindi Abbatis in locum Benedicti defuncti, confirmat. Eaque & Abbatem, ut paterno affectu monachos regeret, regulæque observantiam exigeret, admonet; monachos vero, ut in sancta humilitate Abati parerent, & subessent, excitat, digna sane non solum pio Principi, sed animarum rectori, ut apud Baluzium videre est, tom. 1. pag. 623.

6. Ad

6. Ad conventum in villa Theodonis hoc anno celebratum redimus, quo cum Episcopi triginta tres ex Galliæ, & Germaniæ provinciis sese contulissent, ideſt Aiſtulphus Mogontinus, Hadalbaldus Colonienſis, Hotto Trevirenſis, Ebbo Remenſis Archiepiſcopi cum ſuis ſuffraganeis, & nunciis reliquorum Episcoporum Galliæ, & Germaniæ; ad retundendam virorum potentum licentiam, qua Episcopos, vel ceteros eccleſiæ Miniſtros calumniis, aliiſque injuriis afficiebant, ut etiam vulnerare, vel occidere non dubitarent, Epiſcopi ibidem congregati, quatuor ediderunt canones, quibus debita pleſtebantur pœna, quotquot tantum commiſiſſent facinus, eoſque Principi, ut eos confirmaret, exhibuerunt. Unde *Aiſtulphus Moguntinus Archiepiſcopus dixit. Si principibus placuerit, aliiſque ſuis fidelibus, rogemus ut collaudetur, & ſubſcribatur, & collaudatum eſt, & ſubſcriptum tam a Principe, quam a ceteris omnibus*; his autem canonibus corporalis pœnitentia, & plurium quadrageſimarum jejunium, cum pœna pœcuniaria iis ſtatuta eſt, qui Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros vel Epiſcopos injuria affecerint, ac pro Miniſterii gradu, vel injuriæ modo, major minorque decernitur; ultimus hæc habet. *Si quis Epiſcopo inſidias poſuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehoneſtaverit, decem quadrageſimas cum ſubditis annis pœniteat, & Presbyteri non occiſi, triplicem compoſitionem componat.* Ideſt ſummam ſupra pro Presbytero vulnerato, & non occiſo, ſtatutam, in triplum ſolvat. *Si autem caſu, & non ſponte occiditur, cum comprovincialium Epiſcoporum conſilio homicida pœniteat. Si quis autem ſponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ, cingulum deponat militare, abſque ſpe conjugii in perpetuum maneat.* Hæc de pœnitentia iis imponenda, qui Epiſcopum offenderit, percuſſerit, vel occiderit, in tribus reliquis eadem pœna, ſed mitior iis imponitur, qui Subdiaconum, Diaconum, vel Presbyterum eodem modo tractaverint. Atque eodem juſtitiæ zelo, quo hæc ab Epiſcopis, conſentiente Ludovico pio, in eo conventu in violatores miniſtrorum eccleſiæ ſtatuta ſunt, in eodem conventu Ludovicus Imperator capitulare quinque diſtinctum capitibus vulgavit, ut ſubditos ſuos ab injuſtis teloneorum exactionibus in viis, aut pontibus liberaret, & ut ab injuſtis potentum, Procerumque ope-

Jesu Chr. an. 821.
Canones 4. contra percuſſores, & violatores Epiſcoporum, aut aliorum ex clero.

JESU CHR. AN. 821.

operibus pauperes, viliorefque perfonas vindicaret, ut ibidem videre eft.

Acta Martyrii S. Cæciliæ dubia, memoria ejus celebris.

7. Quanto celebrius eft in occidentali ecclefia Cæciliæ nomen, ut cum Agnete, Agatha, Lucia omnibus martyrologiis infcriptum legatur, tantò ejufdem martyrii acta incerta funt, ut nil certi de tempore perfecutionis, martyrii genere, ejufdem vitæ, aut patria, occurrat. Quare etfi Romæ ortam, ibique martyrium fubiiffe acta referant. Siculam eam nihilominus fuiffe, & in Sicilia Martyrium perpesfam Fortunatus fcripfit.

Juftinam Patavum, Euphemiam huc Chalcedon effert.
Eulalia Emerita tollit ab urbe caput.
Cæciliam Sicula profert, Seleucia Thecla.

At etfi incerta ac dubiæ fidei Cæciliæ fint martyrii acta, ut inter finceriora locum apud Ruinartium habere non potuerint, celeberrima nihilominus in Occidentali ecclefia femper fuit ejufdem memoria, ac celebris æque ac certa eft translatio corporis ejufdem fanctæ virginis, ex cœmeterio in ecclefiam, quæ Romæ jam antea ejus nomini dicata erat ab Pafchali Papa hoc anno.

Translatio corporis S. Cæciliæ ex Cœmeterio Prætextati in ecclefiam intra urbem.

8. Quantam Pafchalis Papa primus in reftaurandis intra & extra urbem ecclefiis, iifque ornandis, & reliquiis fanctorum ditandis follicitus fuerit, in ejus vita longiori ftylo defcribit Anaftafius, ac fupra anno 817. cum fanctarum virginum, & Martyrum Praxedis, & Agnetis ecclefias inftauraffe, ac exornaffe diximus. Itaque cum eamdem curam pro ecclefia, quæ in urbe S. Cæciliæ nomini dicata erat, quamque fub Symmacho Papa, quinto definente feculo erectam jam fuiffe fcimus, eamdemque vetuftate, fatifcentem inftaurare cogitaret, ab eadem Sancta virgine, dum in ecclefia B. Petri, matutinalibus officiis perfolutis, paululum requiefceret, admonitus, ac excitatus eft, ut corpus fuum in cœmeterio Prætextati extra urbem via Appia exquireret, ac in urbem transferret. *Cœpit hac illacque operofius quærere, ubi facratiffimum ejus corpus jaceret humatum*, ait Anaftafius fufiori ftylo revelationis, & translationis hiftoriam referens. *Quod tribuente Deo, dum follicite quæreret, reperit in cœmeterio Prætextati fito foris portam Appiam, aureis illud veftitum*

ſitum indumentis, cum corpore venerabilis ſponſi ſui Valeriani, pariterque & linteamina martyris ipſius ſanguine plena, quando ab impio percuſſa carnifice, Chriſti Domini martyr eſt regnantis in ſæcula conſecrata. Quibus & linteaminibus ſanguis ſanctæ martyris exterſus involuta ad pedes illius corporis ſacratiſſimo cruore plena, de trina carnificis percuſſione reperta ſunt. Quæ cuncta ſuis pertractans manibus collegit, & cum magno honore infra muros hujus Romanæ Urbis in Eccleſia nomine ipſius Sanctæ Martyris dedicata ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, ejuſdem Virginis corpus, cum chariſſimo Valeriano Sponſo, atque Tyburtio & Maximo martyribus, nec non Urbano, & Lucio Pontificibus ſub ſacroſancto altari collocavit. Pro quorum Sanctorum honore videlicet, & opitulatione conſtruxit Monaſterium in honorem virginum, ſeu martyrum Agathæ, & Cæciliæ juxta ipſius Eccleſiam, in loco qui dicitur Colles jacentes, in quo & Monachorum Deo ſervientium congregationem pro quotidianis laudibus in præfato titulo S. Cæciliæ diu noctuque omnipotenti Domino decantandis conſtituit. Hæc, aliaque ibidem Anaſtaſius, quibus de ejuſdem eccleſiæ ornamentis paulo poſt alia ſubnectit. Et ſane Baronius non ſolum translationis hiſtoriam ex Anaſtaſio integram recitat, ſed etiam Paſchalis Papæ epiſtolam ex Vaticana bibliotheca erutam, ac eadem cum Anaſtaſio refert, quam ex Anaſtaſii textu confictam fuiſſe patet.

9. Certiora ſunt quæ de Paſchalis munificentia extant adhuc in eadem eccleſia monumenta his verſibus.

Inſcriptio Sepulchro Sanctæ Cæciliæ, & ſociorum poſita.

Hanc Fidei zelo Paſchalis primus ab imo
Eccleſiam renovans. Dum corpora ſacra requirit,
Elevat inventum venerandum Martyris almæ
Cæciliæ corpus. Hoc illud marmore condens.
Lucius, Urbanus huic Pontifices ſociantur.
Voſque Dei teſtes Tiburti, Valeriane,
Maxime cum dictis conſortia digna tenetis.
Hos colit egregios devote Roma patronos.

Crux ineſt in eadem tabula inter iſtos verſus ſculpta eoſque nonnihil frangens. Quanto autem decore & munificentia locum ille ipſe Paſchalis Pontifex exornarit, narrat ſupracitatus Ana-

JESU CHR. AN. 821. Anastasius, qui cuncta etiam oculis videre potuit, utpote ejusdem sæculi scriptor. Nunc recenseamus, quæ in ejusdem Ecclesiæ abside Sanctorum imaginibus musivo opere exornata, ejusdem Pontificis extant carmina; quamvis (ut conditio ferebat temporis) in culto loco sint ipsa parum exculta, & exarata ferreo pene stilo, sed pietate decora, quæ sic se habent:

Hæc domus ampla micat, variis fabricata metallis:
Olim quæ fuerat confracta sub tempore prisco.
Condidit in melius Paschalis Præsul opimus
Hanc aulam Domini firmans fundamine claro.
Aurea gemmatis resonans hæc Dyndima templis.
Lætus amore Dei hinc conjunxit corpora sancta.
Cæciliæ & sociis rutilat hic flore juventus.
Quæ prius in cryptis pausabant membra beata.
Roma resultat ovans semper ornata per ævum.

Inventio corporis S. Cæciliæ facta sub Clemente Papa octavo.

10. In eo autem loco sanctæ martyris Cæciliæ corpus usque ad tempora Clementis Papæ octavi requieverat, cum iterum Romanorum oculis, & venerationi anno 1599. oblatum est, dum etenim Cardinalis Sfondratus, ejusdem Pontificis nepos, eamdem S. Cæciliæ ecclesiam instaurare cœpisset, ac circa altare effoderetur, ipsius virginis sepulchrum inventum est, quod cum Pontifici in Tusculano agro commoranti Cardinalis nepos retulisset, statim Romam cum nepote suo Cardinalem Baronium, qui cum eo tunc temporis Tusculi erat, misit, ut cuncta inspiceret, sibique nunciaret. Quid vero Baronius viderit, egeritque ipsius verbis accipe. *Vidi*, inquit, *quæ in marmoreo monumento posita erat arcam cupressinam, qua sacra membra Cæciliæ claudebantur, operculo ductili clausam, eamdemque modice læsam, ut vehementer fuerim admiratus, quomodo post octingentos septuaginta octo annos, potuerit arca lignea, humectante illam marmoreo sui natura sepulchro, subtus terram absque ulla aeris participatione locata, ita integra & illæsa servari, & non penitus tanta humiditate laxata, jam dissoluta marcuerit, sed fortis, solidaque perstiterit, ut absque læsione tangere, contrectare, amplexari quis eam pro arbitrio posset & stringere, integrum adhuc usum ipso ejus operculo ductili retinente,*

te, ut ad ostensionem duci posset pariter & reduci: quod sæpe sæpius fieri contigit pluribus diebus illis, quibus antequam eodem in loco, in Confessione iterum conderetur, dum idem venerandum corpus intus clausum quamplurimi videre cuperent, & venerari. Cum nos ista de lignea arca non sine magna admiratione vidissemus, ad id quod intus detinebatur sacrum Martyris corpus intuendum devenimus. Ac plane, secundum illud Davidicum: Sicut audivimus ita & vidimus in civitate Dei nostri. Etenim ut a Paschali Papa inventum & reconditum fuisse legimus (& superius recitavimus) venerandum Cæciliæ corpus, ita invenimus, nempe ad pedes ejus quæ fuerant madida sanguine vela, & serica fila auro obducta quæ visebantur, jam vetustate solutæ vestis illius auro textæ, cujus idem Paschalis meminit, indices erant. Alia vero supra Martyris corpus serica, levia tamen velamina posita, ipsaque depressa situm ipsum & habitudinem corporis ostendebant. Visebaturque (quod admiratione dignum erat) non ut assolet, in sepulchro resupinum positum corpus, sed ut in lecto jacens honestissima virgo supra dextrum cubare latus, contractis nonnihil ad modestiam genibus, ut dormientis imaginem redderet potius quam defunctæ, ipso ita ad insinuandam omnibus virginalem verecundiam composito situ corporis; adeo ut (quod æque mirandum) nemo quamvis curiosus inspector, ausus omnino fuerit virgineum illud detegere corpus, reverentia quadam inenarrabili percussus, perinde ac si cælestis sponsus assisteret vigilans custos dormientis sponsæ, monens & minans: Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Vidimus, cognovimus, & adoravimus. Die vero sequenti illucescente, super eamdem Confessionem obtulimus Deo, in memoriam & honorem tantæ Virginis & Martyris, & aliorum conditorum ibi Sanctorum sacrificium Missæ: inde vero ad summum Pontificem, qui miserat, reversi in Tusculanum, singula visa retulimus. Quibus auditis Clemens Papa Octavus argenteam capsam, pretio quatuor millia trecentorum nonagintaduorum aureorum affabre ornatam fieri jussit, quæ cupressinam contineret, eique hæc inscriptio apposita est.

CORPUS S. CÆCILIÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS
A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. INCLUSUM
ANNO M. D. IC. PONTIF. VIII.

R 2 Lon-

JESU CHR. AN. 821.

Longior vero in sepulchro inscriptio posita est, lamina argentea incisa, qua translationis tempus, modusque describitur, ac die festo ejusdem Virginis, seu 22. Novembris, Sacris solemniter ab eodem Pontifice in ea ecclesia celebratis, sacræ reliquiæ sub Altari reconditæ sunt, seu sub confessione, ubi Romanorum tunc cultus in sanctam virginem auctus, adhuc perseverat; atque hæc adnotasse sufficiat.

Theodori epist. ad Neucrarium de Leonis Imp. interitu.

11. Cum anno proximo desinente Leone Imp. extincto, ut diximus, Michael suscepisset Imperium, & catholicos ab exilio, vinculisque liberasset, ac aliqualem ecclesiis libertatem, etsi ejusdem cum Leone sententiæ & perversitatis foret, concessisset; ut hæc Theodorus in carcere suo consistens ab Neucratio didicit, stylum suum continuo ex lugubri, in lætitiæ canticum convertit, & Nazianzenum imitatus, qui Julianum Apostatam scriptis suis insectatus fuerat, ipse quoque Dei potentiam prædicans, in extinctum Leonem multa congessit. *Sacrarum litterarum verba sunt*, inquit, *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari. Ego vero infelix, voce commutata, jure illud dixerim: Gaudii fausta nuntia nobis audita sunt ex reverentia tua, quotum gratia exultet non civitas hæc aut illa, sed quæ sub cælo sunt fere universæ: quia sustulit Dominus non Seon Regem Amorrhæorum, neque Og Regem Basan, Reges parvos, sed nuper exortum magnum draconem, & magnam orbis partem populantem, tortuosum serpentem, & blasphema sibilantem, abominationem desolationis, vas iræ, filium Tabeel, ne dicam Cabalini nepotem, Achab, Juliani exemplar, complementum mali, contumeliosum in Christum, Deiparæ hostem, adversarium Sanctorum omnium: quorum enim sacros characteres persecutus est, & e medio sustulit, eorum proculdubio hostis penitus & persecutor fuit. Lætentur cæli, & exultet terra, fluant montes dulcedinem, & colles justitiam, Cecidit hostis, contritus est, qui nos cædebat; obstructum est os loquens iniqua, repressa manus Abessalom, periit durus corde Pharao, & nondum mihi tempus & locus, ut auditu digna eloquar de pessimo dracone. Hoc vero adjiciam ad ea quæ dixi: oportuisse Apostatam, eo quo scripsisti modo, vitam abrumpere: oportebat noctu tenebrarum filium occumbere: oportebat eum qui divina templa devastarat, in Dei templo nudatos in se gla-*

gladios cernere: oportebat ad divinum altare confugientem non salvari, qui altare ipsum destruxerat, in eam manum quæ extensa in sancta fuerat, sectionem inferri: in fauces quæ impia eructarant, gladium distringi; in humerum ejus, qui contumeliose Christo insultabat, opportunum vulnus infligi; pro justi sanguinis effusione, injustum sanguinem spargi: pro sectione & dilanatione membrorum atque tergorum invisa Deo membra concidi: pro morte sancta, impiam mortem exhiberi; & pro purpura panniculis indui semen inglorium. Nec vero de casu gaudens impii, quin gemens & lugens mortis genus sugillo: sed quia malus male peribit, ut veritatis est sententia, & omnis qui contra Deum juveniliter insurgit, condigna factis capiet etiam hic, necdum enim dico futurum extremum ignem, quo exterminabuntur omnes impii & injusti; ac novum Josiam, vel Jovianum Imperii successorem futurum exoptat, litterasque suas ceteris confessoribus ut ostenderet, suoque nomine salutaret, admonet, ac Nicolai carceris sui socii nomine salutem dicit. JESU CHR. AN. 821.

12. Eiusdemque argumenti est altera Theodori epistola ad Joannem Logothetam, qui catholicam fidem hactenus retinuerat, ac ærumnas ea de causa pertulerat, qua iterum infaustum Leonis obitum, sed sceleribus suis dignum, describit, ac libertatem adeptus, gratulatorias ad Imperatorem litteras scripsit, quibus suo, aliorumque confessorum nomine gratias agit, ac ut fidem catholicamque tueretur, cultumque sacrarum imaginum retineret, restitueretque hortatur. *Æquum est*, inquit, *quam maxime hoc tempore ex ore omnium, qui persecutionem passi sunt, parari laudem, primum quidem Christo universorum regi: deinde vestro, divinitus constituto Imperio, per quod adepti sumus relaxationem vincti, dimissionem carcerati, consolationem afflicti, sanitatem vulnerati, libertatem condemnati, reditum exules. Et quidem recte videor existimare, imitationem Christi Imperium vestrum futurum, ut simile simili reddens, dicat nunc & ipsum, cum Christo & post Christum, his qui vincti sunt: Exite: & his qui in tenebris: Revelamini. Et: Benedictus Dominus Deus Israel, quoniam erexit cornu salutis nobis, novum David, alterum Josiam, pacifici Imperii regem: qui faciens faciet quæ placita sunt Deo: qui lapsa restituet, disjecta conjunget, percutiet & sanabit, & tertia die, ut prophetice*

Theodori epistola ad JoannemLogoth. & ad Michaelem Imp.

JESU CHR. AN. 821. *tice loquar, resuscitabit*. ad edictum tertia die vulgatum pro liberandis captivis, aut exulibus, respiciens ajebat.

Theodori iter CPolim, & gesta.

13. CPolim autem profecturus, septimo anno, ex quo inde ejectus fuerat, viam ingressus, maxima omnium gratulatione Theodorus ubique exceptus est, ut pluribus in ejus vita narrat Michael, ac tamquam de impietate triumphum agens, inter populorum plausus rediit, quem illustriorem ob patrata in itinere miracula, Deus etiam reddidit, ut ibidem videre est. Inter fidei confessores, quos CPolim rediens videre meruit, duo præcipui recensentur. Josephus scilicet frater suus, & Episcopus Thessalonicensis, & Nicephorus CP. Patriarcha, quorum *aspectu non mediocriter recreatus, diuturnamque absentiam præsenti congressu compensans, eximio lætitiæ sensu profundebatur*, ait auctor vitæ Theodori.

Theodori epist. 92. ad Episcopos exules Chersonam.

14. Dum apud Nicephorum CP. Patriarcham esset Theodorus, adfuit Agapetus monachus ab Episcopis in Chersonesum relegatis, ad Nicephorum missus, cui Episcopi exules in mandatis dederant, ut Theodorum quoque salutaret. Quare ea occasione accepta, cum ad eos Agapetus rediret, litteras suas iisdem dedit Theodorus, quibus tum pro salutationis officio gratias agit, eosdemque illuc Dei providentia ad eas gentes in fide instruendas missos fuisse adnotat, ac tandem de mutato rerum statu, deque infelici Leonis Imp. interitu, hæc addit. *Denique finem vitæ sortitus est magnus Draco, mens Assyria, dignum temeritate sua, quam in Deum exercuit. Quomodo autem nunc se res hic habeant, supervacaneum dicere foret, cum idoneus divina gratia sit tabellarius, ut omnia doceat exacte, cui nos cum epistola distributionem quamdam commisimus, quam suscipere dignamini, venerandas preces ad animæ stabilimentum nobis largiendo*. hactenus de his Theodorus.

Michael Imp. hæreticis favet, ac disputare de fide prohibet.

15. At quam sub novo Imperatore speraverant catholici Episcopi rerum mutationem, ecclesiarumque tranquillitatem, ab Michaele Imperatore hæreticorum fautori, ac vaferrimi ingenii, assequi nequaquam potuerunt. Nam ut narrat Georgius monachus in ejus vita. *Is cum parum aliquid superioris malitiam temporis lenisset, hactenus solum, ut qui carcere detenti essent, qui laboribus subacti, qui exilio relegati libertatem, mitiorisque aliquid tractationis velut in somnis animo cogitarent. Cum decessoris ominosi hominis atque*

impii

impii exosam Deo sententiam subocculte faveret &c. Hinc conventu congregato, nihil a se in ecclesia innovaturum dixit. *Nam qui nos praecesserunt*, addit, *accuratam scrutati dogmatum sententiam, de illis quoque rationem reddituri sunt, num bene an male statuerint. Nos autem in quo ecclesiam incedentem accepimus, in eo & manere satius duximus*, & de imaginum cultu quaestiones agitari prohibuit. *Sanxit autem*, subdit idem auctor, *nulli liberum esse de imaginibus sermonem movere, sed ut facesserent ac de medio fierent, tum Constantini synodus, tum Terasii, ac quam nudius tertius de hujusmodi quaestionibus Leo habuisset, altoque silentio imaginum memoriam damnavit*. Eademque Leo grammaticus, & Constantinus Porphyrogeneta, & alii.

Michaelis Imp. ingenium pravum, & subdolum.

16. Quanta autem ingenii pravitate, & fraudulentia praeditus esset Michael his verbis describit Porphyrogeneta. *Cum jam Michael imperio potitus esset, suoque illud nutu moderaretur, scribit per epistolam Beatus Nicephorus*, CPolitanus Patriarcha, *rogans instaurari fidem, & ut denuo sacris Imaginibus sua veneratio cultusque adhiberetur*. Ad quem Michael: non veni, *inquit*, ut in dogmatis ac fide aliquid innovarem, atque ut eorum quae jam tradita sunt ac explorata quidpiam exagitarem ac everterem. Quisque igitur quod visum fuerit, sibique arriserit, secure faciat, nihil inde sibi laborum timens, nihil quod molestiam faciat. *Non tamen in fine usque hujus tenax propositi fuit, qui ne a principio quidem verus Christianus extiterit, sed quanto magis compos Imperii fiebat, tanto mala indole ac saevissima adversus Christianos, genusque suum bellum acrius excitavit modo quidem Monachos despuens, omnisque generis diris suppliciis torquens, aliasque ex aliis poenas excogitans, modo alios fideles, mirosque religiosos in carcerem trudens, ac exilio relegans*, & pejora his addens, non solum Judaeos praeceteris mortalibus diligebat, *modo Sabbatis jejunandum sanciebat, modo adversus divinos Prophetas linguam acuebat, ac tum futurae resurrectionis, tum bonis illam comitantibus, fidem detrahebat. Non esse prorsus Diabolum, ut quem Moses non tradiderit, affirmabat. Fornicationem amplexabatur, ac solum, qui est super omnia, Deum juramentis adhibendum statuit. Judam petulanti ac effreni lingua Beatis accensebat: salutaris Paschae festum conviciabatur, tamquam male nec legitimo tempore celebra-*

JESU CHR. AN. 821. *lebraretur. Græcaniam ac sæcularem eruditionem seu disciplinam despuens, nostram quoque ac divinam sic aspernabatur ut ne pueros illa imbui sineret.* Hæc & alia ibidem is auctor de Michaelis Imp. inscitia, & improbitate.

Catholici Episcopi cum hæreticis disputare recusant.

17. Interpellatus autem non semel ab Nicephoro Patriarcha, aliisque, ut antiquum, ac a Patribus traditum sanctarum imaginum cultum in ecclesia restitueret, ut una simul catholici cum hæreticis convenirent, Michael Imp. jussit. At Episcopi catholici, monasteriorumque præpositi hunc cum hæreticis congressum, utpote ecclesiasticis regulis contrarium, recusarunt, & communi omnium nomine litteras ad Imperatorem dederunt, quibus ut se ad ejus præsentiam admitteret, rogabant, rationem de fide sua reddituros, quas Theodori manu scriptas fuisse vix dubitatur. Eaque post gratias Imperatori redditas, quod eos ex carceribus eduxisset, exiliisque liberasset, ac qua ratione, cum dubium quid circa fidem exoriretur, definiendum esset, suggerunt, scilicet ad Apostolicam, & Romanam ecclesiam fidei causas, more majorum deferendas esse. *Jam vero*, inquiunt, *sermonem refellendi causa cum heterodoxis conferre, apostolico mandato repugnat, minimeque convenit, nisi ad correptionem tantummodo. Propterea indigni nos Imperii vestri famuli, ne hiscere quidem contra præceptum audemus. Quod si quid est hujusmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina magnificentia vestra pie a Patriarcha dissolvi posse, jubeat magna ipsius & a Deo confirmata manus ad communem utilitatem a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio paterna traditione transmissimus mos fuit; hæc enim, Christi æmule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam &c.* Hæc catholici Episcopi ad Imperatorem.

Catholici ab Imperatore admissi, quid obtinuerint.

18. Horum precibus annuens Michael Imp. catholicos quidem in suam admisit præsentiam, quorum etiam zelum laudavit, vix tamen quidquam obtinuerunt. Nam ut in vita Theodori narrat Michael. *Cum una cum selectis Episcopis Theodorus convenisset, omnes inter se cum Patriarcha consilium inierunt adeundi Imperatorem, eique preces offerendi, ut & ipsi proprias ecclesias reciperent, & qui eas occuparant hæretici,*

retici, pellerentur. Sic igitur eum convenientes, omnia commemorantes, quemadmodum ipsi violenter ab ejus decessore ejecti fuissent, ac divinæ imagines, quarum cultus e cælo, turpiter ac contumeliose tractatæ, aliaque id genus, quæ res posceret, diserte, planeque repræsentantes: non agnoverunt, se surdo canere, verba fundere non intelligenti: Divini enim verbi expers ad eam diem, prorsusque rudis, neque intelligere poterat, si quid recti ab eis diceretur, neque animum illis ullo pacto intendere. Qui enim? qui nondum quicquam sacri vel ex seipso viderat, vel ab aliis fuerat edoctus. Quare prolixæ Patrum, quam de Fide habuerunt, orationi hoc solum absurde, stulteque respondit. Tametsi, inquit, egregia & honesta sunt quæ dixistis, at mihi nequaquam amplectenda, qui hactenus imaginem nullam colui vel adoravi. Quocirca & me æquum est eum manere, qui fui, & vos pariter pristinum statum retinere, opinionesque vestras sequi. Per me enim licebit, ne cuipiam obsistam, nisi quod imagines in regia urbe a vobis erigi prorsus nolo, sed extra eam procul, & ubicumque volueritis. Quo audito statim exierunt, Theodoro ad Crescentis loca, (prope CPolim) redeunte ibique cum discipulis vitæ studium decurrente &c,

Theodorus Nicephorum consolatur, ac meliora sperare jubet.

19. Post congressum coram Imperatore habitum, de his, quæ ibidem gesta fuerant, Nicephorum CP. Patriarcham, qui his non interfuerat, certiorem litteris suis Theodorus reddidit, Nicephorus autem Theodoro rescribens, se quammaxime condolere testatus est quod post Leonis interitum pax ecclesiis nondum reddita esset, ille vero ut meliora speraret, alteris litteris suis admonuit. Atque hæc de gestis hoc anno in Oriente satis sint, cetera sequentibus annis reservamus.

Abulaz Seracenorum Rex in Hispania obiit, cui filius Abderamus succedit.

20. Etsi Dynastarum, seu Calipharum, qui Ragdati sedem fixerant, ac Syriam, Palæstinam, & Asiam sua sub potestate retinebant, seriem, successionemque texere annales nostri soleant, vix pauca de ceteris adnotamus, qui in Ægypto, Africa, vel in Hispania dominabantur, ne in iis recensendis, oratio nostra diu detineatur; Abulazam nihilominus, Seracenorum Hispaniensium Dynastam qui Cordubæ sedem fixerat, hoc anno obiisse adnotamus, eique Abderamem filium ejus successisse, cujus jussu martyrio coronati sunt Adulphus, & Joannes fratres, quorum gloriosum ago-

Jesu Chr. an. 821. nem scripserat in Speransdeus Abbas, ut narrat S. Eulogius ejusdem ætatis scriptor his verbis. *Artemia & ipsa summæ sanctimoniæ fœmina geminum pignus per martyrialem obitum olim Cœlo præmiserat, Adulphum scilicet, & Joannem, qui in primordio Regni principis hujus viriliter de hoste triumpharunt, quorum instar siderum cœli, gesta micantia ad emolumentum Ecclesiæ sanctæ, & exemplum debilium senex, & magister noster atque illustrissimus doctor, de quo in libro primo meminimus, beatæ recordationis & memoriæ Sperain-Deo Abbas latiori stylo composuit.* Hæc Eulogius. Sed perierunt adeo insigna martyrum monumenta. Fuerunt isti primitiarum manipuli a nobili Ecclesia Cordubensi oblati Domino, quos ingens sequuta messis Martyrum falce Sarracenorum obtruncatorum, de quibus suo loco dicturi sumus.

Fortunatus Gradi Patriarcha læsæ majestatis accusatus CPolim aufugit. 21. Hoc etiam anno, ut in annalibus narrat Eginhardus, Fortunatus Gradensis Patriarcha, *Cum a quodam Presbytero suo nomine Tiberio apud Imperatorem fuisset accusatus, quod Lindeuvitum ad perseverandum in perfidia, qua cœperat, hortaretur, eumque ad castella sua munienda, artifices & murarios mittendo juvaret, & ob hoc ad Palatium ire juberetur. Primo velut jussionem impleturus in Istriam profectus est.* Inde simulato reditu Gradum, nullo suorum, præter eos, cum quibus tractaverat, suspicante, navigavit, veniensque Juderam Dalmatiæ civitatem, Joanni Præfecto Provinciæ illius fugæ suæ causam aperuit, qui eum navi statim impositum, Constantinopolim misit, sicque Ludovici Imperatoris iram vitavit. Lindevitus autem, cui consilio suo, & opera favere visus est Fortunatus, inferioris Pannoniæ Dux erat, cum quo bellum hoc tempore Ludovicus Imperator gerebat.

Arnonis Archiep. Salisburgensis obitus. 22. Hoc quoque anno Arno Salisburgensis Episcopus, ob ingenii præstantiam, Aquila etiam dictus, ut ex Alcuini epistolis constat, vivere desiit, die 24. Januarii, ut Hundius de Metropoli Salisburgensi scribit, ceterique rerum Boicarum recentiores scriptores. Is porro ex nobili genere ortus, cum fratre suo Alcuino, eamdem pene vitæ, studiorumque institutionem habuit. At etsi Arno dignitate Alcuinum præcesserit, eruditione tamen rebus, gestis, scriptisque editis Arnonem Alcuinus longe superavit; Indicem tantum epistolarum, quæ Ecclesiæ Salisburgensi datæ sunt a Theodone, Othilone, Thassi-

Thassilone, aliisque Bavariæ ducibus, scripsit Arno, quem Canisius tomo 2. & 6. antiquarum lectionum refert, ait Pagius, ac in ea sede successorem habuit Adelramum, non vero Ammilonem, ut subdit Cointius an. 822. num. 43.

Kenulphus Merciorum Rex in Anglia obiit, ejus virtutes, & gesta.

23. Hoc etiam anno Kenulphus Merciorum in Anglia Rex vivere desiit, cujus virtutes, præclaraque gesta Angliæ scriptores celebrant. Inter cetera, cum magnificentia regali monasterium Vilchelcombense ædificasset, ecclesiam, ibi erectam solemni ritu ab Episcopis tredecim consecrari jussit, ea que occasione regia munera Episcopis, clero, cunctoque populo distribuit, ac redditibus monasterium dotavit. Ut patet ex charta fundationis, cui præter Kenulphum Regem subscripti leguntur Cuthedrus Cantuariæ, & Siredus Orientalium Saxonum Reges, deinde Episcopi 13., & Proceres Regni undecim.

Kenelmus Kenulphi Regis filius succedit, paulo post occiditur.

24. Kenelmum Regni sui hæredem filium suum septennem reliquit Kenulphus, cum duabus filiabus ætate majoribus, ex quibus major nomine Quemdreda, cui pueruli cura, & educatio commissa fuerat, ut Regnum ipsa occuparet, fratri necem inferre jussit, qui etiam inter martyres in Anglia recenseri meruit. De ipso hæc prodit Malmesburiensis. *Quid sancto Kenelmo teneræ ætatis puero, stylus hic comminiscetur dignum? Hunc Pater Kenulphus Rex Merciorum Quendridæ sororis fidei educandum reliquit. Sed illa falso sibi Regnum præsagiens, fraterculum tollendum de medio, satelliti, qui alumnus erat, commendavit. Is infantem causa remittendi animum vel recreandi quasi venatum ducens, inter fruteta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commissa, Romæ divinitus innotuit. Siquidem membrana super altare Sancti Petri superne columba ferente delapsa, necis & sepulcralis loci per ordinem index. Quæ quia elementis Anglicis erat conscripta, a Romanis & aliarum gentium hominibus qui aderant, frustra legi tentata. Sed salubriter & in tempore adstitit Anglus, & linguæ involucrum latialiter Quiritibus evolvens, effecit, ut Apostolici epistolæ Regibus Anglis compatriotam Martyrem indicaret. Quapropter frequenti cœtu innocentis corpus levatum Vinchelcumbam vehebatur &c., corpusculum sancti celebriter colitur, nec ullus fere locus in Anglia majori ad Festum adventantium veneratur frequentia. Exigit*

 hoc

JESU CHR. AN. 822. *hoc & antiquæ Sanctitatis persuasio, & miraculorum crebra exhibitio*. Idem habent cæteri Scriptores Angliæ, quorum loca in medium adducit Alfordus, & Kenelmum die XVII. mensis Julii in Anglia cultum fuisse ostendit. *Post illum Regnum Merciorum nutabundum, & ut ita dicam, exangue, nihil quod littera dignetur meruit comminisci*, inquit Malmesburiensis lib. 1. laudato, qui subdit: *Ceowulfus frater Kenulphi uno anno regnans. Altero a Bernulpho expulsus est: Bernulphus III. Regni anno ab Egberto Rege Vestsaxonum victus & fugatus, mox ab orientalibus Anglis occisus est, quod ille orientalem Angliam, ut debitum Merciis Regnum, a tempore Offæ invadere tentasset*. Quare Merciorum Regnum in occasum tendebat.

JESU CHRISTI ANNUS 822. PASCHALIS PAPÆ AN. 6. LUDOVICI IMP. 9. MICHAELIS IMP. 3.

Thomas rebellis CPolim obsidet.

1. Dum Michael Balbus nullam pro restituenda Orientalibus ecclesiis pace, restituendoque imaginum cultu sollicitudinem gereret, utpote cui nulla in Deum pietas, aut religio erat. Thomas quidam vir ignobili genere natus, se Constantinum Irenes Imperatricis filium esse simulans, collectis undequaque militibus, adversus Imperium, vivente adhuc Leone Armeno rebellaverat, *Parum validis adversus illum conflatis copiis, suis quidem cladis auctor fuit*, Leo Armenus, *ut qui primo hostium incursu terga dederint, illum vero*, idest Thomam, *audaciorem fecit, ac majora quam pro sui ratione sapere impulit*, ait Constantinus Porphyrogeneta, eademque Leo Grammaticus, Simeon Logotheta, aliique, cum itaque tam feliciter rebus suis fortuna favisset, audacior factus Thomas post Leonis Armeni obitum, a Jobo Antiocheno Patriarcha Imperiali auctus corona, & Imperator dictus, Michaelis exercitum fugavit, classemque occupavit, ac ultra progressus CPolim obsedit, *& navali exercitu circumdedit in mense Decembri, decimaquinta indictione*, idest mense Decembri anni elapsi 821. Atque *hæc obsidio modo propior, modo longior, usque ad unius anni spatium perseveravit*, idest ad labentis anni finem, cum inde ejectus, anno proximo 823., vinctus Michaeli Imp. traditus, rebellionis suæ meritas pœnas dedit, ut anno sequenti

ti dicturi sumus: de Thomæ rebellione, & tumultibus in Oriente excitatis plura referunt Michael, & Theophilus ejus filius in epistola ad Ludovicum Imperatorem, de qua anno 824. acturi sumus, atque eam rebellionem triennio integro perdurasse testantur.

Theodorus Studita CPolim redit, ejus in fide catholica restituenda sollicitudo.

2. Cum ad Regiæ urbis obsidionem accederet Thomas, ac finitima urbis undequaque vastarentur, Theodorus Studita, qui post Leonis Imp. obitum CPolim redux, in suburbiis se receperat, in urbem confugere coactus, non aliter ac si in summâ quiete esset, catholicam fidem verbis, exemplo, & scriptis tueri perseverabat, in eamque rem epistolam catecheticam ad monachos suos variis adhuc in locis dispersos dedit, qua pro toleratis hactenus exilii ærumnis, iis gratulatur, eosque gaudere debere, ac gratias agere, quod tandem persecutio cessasset, ac ut data libertate, paceque restituta bene uterentur, eamdemque vivendi normam tenerent, ne cuilibet offensionis, aut scandali causam darent, admonet, ac quo statu res suæ essent, his verbis exponit. *Nos hic sumus ad urbem habitantes, sciente Imperatore: videmus pariter, & videmur ab adventantibus fratribus, & patribus: & libertas ab pio Imperatore constituta est. De futuro, ut diriget Dominus, & jubebit Imperator, sive hic manere, sive alio secedere iter faciemus &c.* Deinde post aliqua, iterum. *Et quoniam de revocatione mentio incidit, revocatus est, nobisque cum aliis conjunctus, immo plus quam alii tabellarius dilectus filius noster Clemens religiosissimus Præpositus omnia libenter accipiens, quæ ipsi dici par erat, & de omnibus rationem idoneam reddens, qua quidem re nos recreati, toto eum sinu amplexi sumus, sperantes eum etiam salutaris nobis peccatoribus gloriæ fore. Hunc ipsum & vos quæso, admittite fratrem ut fratres, membrum ut membra, consentientem ut consentientes, sic enim illum reperietis Christi gratia in omnibus recte habentem, & quærentem Deum.* Ita Theodorus dispersos uniens, & in unum revocare satagens, eodem catholicæ fidei tuendæ zelo, in præcedenti persecutione lapsos ad pœnitentiam invitare non cessabat, ex his Eustratium Præpositum, ne de retenta in corde fide sibi blandiretur, datis ad eum litteris admonuit. *Gavisus sum accepta epistola tua,* inquit, *patrum carissime, ubi de sanctitatis tuæ rebus hæc & illa cognovi. Ceterum quod ex nuntiis*

tiis tantum, sed fide dignis accepi, ægerrime tuli audiens fictam subscriptionem. Ac sustine me reverendissime, liberius disserentem. Non sine causa fuit quod cum a regio ministro tenereris, indemnis dimissus fuisti. Hoc enim est quod rumores qui jactantur induxit. Nullum itaque eorum, qui libertate usi sunt, sine carcere, aut saltem sine exilio mansisse, in confesso est. Qui vero harum rerum expertes fuerunt, ii seducti sunt, ut ne quid asperius dicens te offendam. An non vidisti, vir oculatissime, gravem Leonis, nomine ferino digni, persecutionem? cujus Achabitica manus etiam eos, qui sub alio Imperio erant apprehendit, occidit, interemit, aut, quod humanius fuit in carcerem detrusit post diram flagellationem: nedum iis parcens qui erant sub ejus potestate. Quod si tu nihil hujusmodi passus es post comprehensionem, ignosce: spoliatus es vir sancte. Neque mihi dixeris servatas fuisse proprias Ecclesias, & picturas integras permanere, & commemorationem sanctissimi Patriarchæ nostri. Hoc enim & alii qui seducti fuerunt causari solent, non potuerunt hæc servari, nisi veræ defensionis proditio intercederet &c. Hæc, & alia Theodorus, ut eum plus æquo sibi blandientem ad meliora consilia, ac ad pœnitentiam agendam revocaret.

Ludovicus Imp. in conventu Attiniacensi publicam pœnitentiam agit.

3. Ludovicus Imperator, pius merito dictus, hoc anno insigne pietatis humilitatisque exemplum subditis suis, posterisque præbuit, dum ea quæ hactenus scienter, ignoranterque commiserat, memoria recolens, convocatis in unum apud Attiniacum Episcopis, Regnique Proceribus, se in pluribus peccasse confessus est, publicæque pœnitentiæ se se subjecit, uti Eginhardus in annalibus, & auctor vitæ ejus his verbis narrant. *Dominus Imperator consilio cum Episcopis, & Optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est, & tam de hoc facto, quam de iis, quæ erga Bernardum filium fratris sui Pippini, nec non & iis, quæ circa Adelhardum Abbatem, & fratrem ejus Valacham (sive Valam) gesta sunt publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo conventu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit in præsentia totius populi sui peregit, in quo quidquid similium rerum, vel a se, vel a patre factum invenire potuit, summa devotione emendare curavit &c.* De tribus itaque præcipue pœnitentiam egit, quod scilicet in fratres peccasset, Drogonem, Hugonem & Theo-

Theodoricum, quos cum pristinæ libertati restituisset, tunc contigit, quod Paschasius in vita Adelhardi commemorat, ut tonsura ad ignominiam data, transiret ad coronam, & sponte Deo darent, quod dudum inviti susceperant, cum scilicet Drogo, & Hugo in clericali statu sponte perseverarunt, quos Ludovicus honorifice exceptos, *Drugoni Episcopatum dedit*, Metensem, *Hugoni cœnobialia Monasteria*, de Theodorico nil additur, quem e vivis ereptum fuisse creditur; de Bernardi quoque nepotis, & Italiæ Regis supplicio pœnituit, eo quod tanta in eum sævitia agi, ut ex oculorum evulsione, obierit, non prohibuisset, ut supra diximus. Ac tandem de injuria Valæ, fratribusque ejus Adelhardo, & Bernario, sororique Guntradæ cognatis suis, illata pœnitentiam egit, eo quod absque ulla causa, viros innoxios, ac de Republica benemeritos, ac pietate insignes, nam Adelhardus, nempe, Abbatem. Bernarium vero monachum, in exilium ejecerat, eosque jam antea ab exilio & in aulam revocatos suæ gratiæ Ludovicus restituerat, ac Adelhardus præcipue inter primos, tam apud Ludovicum, cum apud omnes in aula Principes habebatur, cujus consilio, & exhortatione, in hoc ipso Attiniacensi conventu, quamplurima laude digna statuta fuisse, Paschasius, & Agobardus narrant: Ex his, ut Ecclesiis Episcoporum electio, & monasteriis Abbatum restitueretur, & ut laici, qui ecclesiæ bona occupaverant, ad restitutionem adigerentur, quod an factum fuerit, vel potius an ibidem statuta, exitum sortita sint, dubitari potest. In agenda pœnitentia Theodosii gloriam superasse Ludovicum undique patet, nam pro gravissimo facinore, nulla excusatione digno, hortante, ac fere cogente Ambrosio Theodosius publicæ se pœnitentiæ subjecit: Ludovicus vero, pro dubiis fere peccatis, aut saltem per subreptionem admissis, sponte, ut ad publicam pœnitentiam admitteretur, rogavit, in qua modum etiam excessisse, ait Daniel in historia Francorum, aut saltem ut inposterum sperneretur, occasionem dedisse. At quis hominum, ultra modum coram Deo se submittere, aut pœnitentiam agere potest, cum eo altius elevetur, quo magis se humiliaverit. Unde vix toto Imperii sui tempore, rem laude digniorem, eum gesisse patet. De Attiniacensi conventu, gestisque in eo

JESU CHR. AN. 822.

Jesu Chr. an. 822.

eo plura qui cupit, Cointium in annalibus Francorum Sirmondum, & Baluzium consulat.

Nothildis quærelæ de viro suo, ad Judices seculares delegata.

4. Attiniacensem conventum Hincmarus universalem totius Imperii synodum, cui legati sedis Rom. adfuerunt, & generale placitum vocat in libro de divortio Lotharii Regis, & Thetbertæ Reginæ, narratque causam Northildis cujusdam nobilis fœminæ cum viro suo Agemberto delatam in eo fuisse. *Quam Imperator ad synodum destinavit, ut inde Episcopalis auctoritas quid agendum esset, decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad Laicorum ac conjugatorum eam remisit judicium, ut illi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque legalibus judiciis eadem fœmina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret; si vero crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum, post illorum judicium, ab Apostolica auctoritate deposceret, secundum quod Sacri Canones præfixerunt, ei imponere non negarent. Nobilibus autem Laicis Sacerdotalis discretio placuit, quia de suis conjugibus eis non tollebatur judicium, nec a Sacerdotali ordine inferebatur legibus civilibus præjudicium, & legem proclamationi fœminæ protulerunt, ac legali judicio quæstioni terminum contulerunt.*

Lotharius in Italiam mittitur.

5. Italiæ Regnum, post Bernardi obitum, anno 819. vel 820. in Lotharium filiorum primogenitum, & Imperatorem transtulerat Ludovicus pius, quem hoc anno in Italiam, ad Regni administrationem transire jussit; hinc factum, ut ejusdem Regni epochæ variæ apud auctores occurrant, cum alii annos ab electione in Regem, alii ab ejusdem ingressu in Italiam, auspicati sint, de quibus pluribus agunt, Pagius, Mabillonius, Muratorius, aliique: Proficiscenti in Italiam Lothario administros, & consiliarios ei dedit Ludovicus *Valachum monachum propinquum suum*, (seu Valam) *fratrem Adelhardi Abatii, & Gerumchum Ostiariorum Magistrum, quorum consilio, & in re familiari, & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur*, ait Eginhardus. Gerunchus autem *summus sacri Palatii ostiarius* appellatur a Frotario Episcopo Tullensi lib. 2. epist. 4. eratque Ostiarius Palatii primus inter Ministeriales Palatinos, qui majoribus ministris suberant, ut docet Hincmarus de ordine Palatii cap. 7.

6. Hoc

6. Hoc anno 822. *Eigil Abbas Fuldensis cœnobii defunctus, Rabanum successorem accepit*, ait Annalista Fuldensis, cui ceteri consentiunt scriptores veteres, & recentiores. Hic ex Fuldensibus Abbatibus quartus numeratur, vir pietate & doctrina celebris, qui Sancti Sturmii primi Fuldensis Abbatis vitam scripsit, quæ adhuc superest. Eigilis vero vitam Candidus ejusdem monasterii monachus, hortante Rabano Abbate, versibus, & prosa conscripsit, ut in præfatione idem testatur, qua narrat, Baugulphi secundi Abbatis Fuldæ vitam quoque scripsisse, quam deperditam fuisse dolemus, ait Mabillonius, Epitaphium sibi Eigil conscripserat his versibus.

JESU CHR. AN. 822. Eigil Fuldensis Abbas obiit, Rabanum successorem habuit.

Abbas Hic Eigil tumulatus sorte quiesco,
Qui dudum multis notus in orbe fui.
Hicque mea parvo clauduntur membra sepulcro
Quod vivens ipse construere studui.
Hic dominum expecto, qui solvet vincula lethi:
Cum veniet, credo, surgere me faciet.

7. Eigilis in præfectura Fuldensis monasterii successor fuit, Rabanus Moguntiæ nobili genere anno 776. natus, Fuldensique monasterio ab infantia dicatus, qui ibidem humanas divinasque litteras didicit, quibus hoc labente seculo Gallicanam illustravit ecclesiam, anno 801. Rhabanus Diaconus factus est, ait Annalista Cæsareus ad annum Caroli M. 23. Ad Alcuinum anno sequenti 802., qui Duronensi monasterio præerat, quique litteras ibidem docebat, eum misit Radgarius Fuldensis Abbas, indeque biennio post Fuldam reversus, litteras ipse docere cœpit, ac inter plurimos, ex ejus discipulis, Valafridus Strabo, Servatus Lupus, Otfridus monachus, & Rodolphus vitæ ejusdem scriptor recensentur, atque eadem ætate, etsi annis adhuc junior, libris editis inclarescere cœpit, quorum primi fuere de laudibus Crucis, ac de Paschatis computo. Presbyter deinde ab Heinstulpho Mogontino Episcopo ordinatus est, ac paulopost ob vexationes ab Ratgario Fuldensi Abbate monachis suis illatas, uti supra diximus, e monasterio egressus, variis orbis regionibus peregrinatus, usque in Palestinam transiit, ut in commentario ad librum Josue indicat. Reversus inde, dum Ratgarius e Fuldensi monasterio ejectus fuisset, iterum scholæ Ful-

Raban Fuldensis Abbas, ejus initia & Studia.

Jesu Chr. an. 822. densi præfectus est, ac anno labente Eigilo successor datus, per annos plurimos, seu 22. Fuldensis Abbas fuit, quo tempore non solum monasticam disciplinam ibidem erexit, & auxit, sed etiam litterarum studia, ita ut inter Germanorum scholas, aut Francorum, sub tanto Abbate Fuldensis celeberrima haberetur. Quo autem tempore Mogontinus Episcopus ordinatus fuerit, quæque temporis tractu gesserit, suo loco dicturi sumus.

De Floro Subdiacono, & Diacono.

8. Hac ætate in Galliis florebat Florus Lugdunensis ecclesiæ Subdiaconus, deinde Diaconus, aut etiam Presbyter, qui sane etsi Rabanum, utpote Archiepiscopum dignitate non æquavit, eruditione tamen non inferior fuit, pietate etiam ipsum superavit. Hic in Hispania, seu potius in Gallia natus, litterisque eruditus, Lugdunensem ecclesiam pietate, & eruditione nobilitavit, ac Lugdunensi scholæ longo tempore præfectus, industria sua, & eruditione effecit, ut eadem inter hujus ævi scholas, celeberrima, non aliter ac Fuldensis, vel Corbejensis, haberetur. Versibus autem & prosa multa scripsit Florus, ita ut maxima ejusdem fama, ubique hoc tempore esset, quem Valafridus Strabo in carmine ad Agobardum Lugdunensem Episcopum, Valdebertus Prunienfiis monachus in Trevirensi diœcesi, aliique laudibus suis celebrarunt. Ex his Valdembertus Kalendarium suum scripturus, se ex Flori laboribus, & libris profecisse testatur in Præfatione his verbis: *Ope, & præsidio præcipue usus tum sancti, & nominatissimi Flori Lugdunensis ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore revera singulari studio & assiduitate, in divinæ scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia, & veritate cognoscitur abundare &c.* Inter multa opera, librum de electionibus Episcoporum Florus edidit, eumque vel anno 820., vel labenti 822. scripsisse videtur, occasione inde sumpta, quod in Attiniacensi conventu hoc anno celebrato, de libera Episcoporum, & Abbatum electione actitatum est, ut scilicet monachi Abbatem sibi, Clerus vero cujusque ecclesiæ Episcopum eligerent, hinc Flori scopus in eo est, ut demonstret, ex Apostolica auctoritate, & traditione descendere, ut Clerus, & populus Episcopos sibi eligerent, in quorum electione nulla Principibus potestas, aut nominationis jus erat. *Neque enim fieri potuit*, ajebat, *cum unus Imperator orbis terræ Monarchiam*

chiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes qui ordinandi erant Episcopi, ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra, & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem Apostolicam, & religiosæ observationis formam celebravit. Quod vero in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu Principis ordinatio fieret Episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis propter pacem & concordiam mundanæ potestatis, non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & ecclesiæ fidei consensu cuique conferri potest. Quoniam Episcopatus non est munus humanum, sed Sancti Spiritus donum, sicut ostendit Apostolus, ubi ad Episcopos loquitur, dicens, Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo &c. Hæc & alia ibidem Florus, ac iterum in fine. *Quæ omnia non ideo dicimus, quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum, sed ut clarissime demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam vero potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur, sine quibus Episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.* Hactenus de his Florus, cujus opusculum annalibus suis Baronius inseruit, Baluzius quoque aliique ediderunt. Inter Flori opuscula primum fere locum, & temporis nota, & argumenti dignitate tenet tractatus *De Actione Missarum*, seu etiam *De expositione Missæ*. Opus sane ex SS. Patrum sententiis digestum, at ea diligentia, ingeniique acumine distributum, ut in eo non solum Missarum ordo, ritusque servatus exponatur, eumdemque tunc fuisse Canonis precumque ordinem, qualis nunc in ecclesia catholica servatur, constat, sed eamdem quoque ecclesiæ fidem fuisse circa Sanctorum invocationem, pro defunctis preces panis & vini in Corpus, & Sanguinem Christi transsubstantiationem, ut ibidem videre est. Nec spernendæ utilitatis est eiusdem Flori tractatus, seu commentarius in epistolas Divi Pauli, libris 13. distinctus, atque ex præcipuis Sanctorum Patrum tum latinæ, cum Græcæ ecclesiæ dige-

Jesu Chr. an. 822.

T 2 stus,

JESU CHR. AN. 822. ſtus. De ceteris Flori ſcriptis, ſeu in cauſa Gotheſchalchi, cum de Prædeſtinatione quæſtio in Galliis eſt agitata, ſeu contra Amalarii librum de divinis officiis, infra opportuniori data occaſione ſermo fiet,

Fundatio monaſterii Corbejæ in Saxonia.

9. Hoc anno Monaſterium novæ Corbejæ in Saxonia erectum fuiſſe narrat auctor anonymus de origine novæ Corbejæ his verbis. *Anno Dominicæ Incarnationis 822., inchoatum eſt monaſterium in nova Corbeja per Adelhardum antiquæ Corbejæ in Francia Abbatem, Ludovicus enim electis probatiſſimis monachis de Gallia cum venerabili viro Adelhardo, datis reliquiis Sancti Stephani, Corbejenſe cœnobium in Saxonia conſtrui, & dedicari fecit: Ipſe Ludovicus Imperator ad idem cœnobium tradidit donationes &c.* Cum etenim Carolus M. victos Saxones ad Chriſti fidem variis modis perduxiſſet, eccleſiis ibidem conſtitutis, adoleſcentioresque ex iis in Gallias translatos in monaſteriis, poſuiſſet, ut in ea regione monaſtica quoque profeſſio floreret, Ludovicus pius, hortante Adelhardo, monaſterium ad Viſurgim Flumen in Saxonia ædificavit, cujus primus Abbas idem Adelhardus fuit, qui monaſticam diſciplinam in Corbejenſi monaſterio hactenus retentam, ibidem tranſtulit. Unde novæ Corbejæ monaſterium dictum eſt, in quo Adelhardus Abbas usque ad annum 826. vitæ ſuæ ultimum perſeveravit, ut in ejus vita narrat Paſchaſius Radbertns ejus diſcipulus, poſt diem octavam Natalis Domini, obiiſſe narrans, ut in epitaphio ad ejus ſepulchrum poſito legitur. Mortuo fratre ejus Vala in Præfectura novæ Corbejæ ſucceſſit, Adelhardi Abbatis, ac Caroli Magni conſobrini non ſemel ſupra mentionem fecimus, ad cujus laudem, ne ultra limites progrediamur, hoc unum adnotaſſe ſat erit, eum ſcilicet Auguſtinum ob doctrinæ præſtantiam, Antonium ob monaſticæ diſciplinæ obſervantiam, & Jeremiam, ob catholicæ fidei, & diſciplinæ eccleſiaſticæ tuendæ zelum dictum fuiſſe, cujus extant ſtatuta Corbejenſi monaſterio tradita, quibus variæ monachorum claſſes, eorumque officia deſcribuntur; de quibus aliiſque, quæ ad monaſticam diſciplinam pertinent, ex Mabillonii annalibus Benedictinis, lector quiſquis exſatiari poteſt.

Vinigiſus Spoleti Dux fit monachus, paulopoſt obiit.

10. Hoc etiam anno, ut narrat Eginhardus. *Viginiſius Dux Spoletanus jam ſenio confectus, habitu ſeculari depoſito, monaſticæ converſationi ſe mancipavit, ac non multo poſt tactus*

ctus corporis infirmitate decessit. In cujus locum Stuppo Brixiae Comes substitutus est. A Ludovico Imp. ait Pagius, cum beneficiarii essent Imperatoris hujuscemodi in Italia Duces, quo in monasterio monasticam cucullam induerit Vinigisus, non constat, ait Mabillonius, at in proximo Farfensi monasterio, sese recepisse vero proximum est.

JESU CHR. AN. 823.

11. Dum atrox inter Michaelem Imp. & Thomam vigeret bellum, Seraceni, qui in Hispania sedem fixerant, opportunitatem nacti, *Classe satis magna comparata a Siciliae partibus initium facientes, Cycladas omnes vastarunt, & in Cretam appellentes, eamque opportunam invenientes, nemine se opponente ceperunt, atque etiamnum possident*; ait Porphyrogeneta libro de administratione Imperii cap. 22.. Eademque fere Leo Grammaticus his verbis. *Occupato in hunc modum adversus rebellem Thomam Michaele, & aliam omnem curam huic unice postponente, Creta, Sicilia, & insulae vocatae Cyclades a Romano Imperio rescissae sunt ab Afris, & Arabibus*. Sicque cum maximo Italiae damno ex Africa, & Hispaniis in eam tandem regionem nefanda Agarenorum, seu Seracenorum gens transiit.

Creta Insula a Seracenis capta.

JESU CHRISTI ANNUS 823. PASCHALIS PAPAE AN. 7.
LUDOVICI PII IMP. AN. 10. MICHAELIS BALBI IMP. 4.

1. Cum toto triennio Orientale Imperium rebellione sua turbasset Thomas, ac CPolim irrito conatu per annum fere obsedisset, desinente anno elapso inde ejectus, Arcadiapoli se receperat, ubi ab Michaele Imp. captus, manibus pedibusque praecisis, laqueo vitam amisit, ut in epistola sua ad Ludovicum anno proximo data narrat Michael, quo extincto, paulo post cetera loca, quae in Thomae tyranni hactenus potestate fuerant, Michaeli sese sponte dederunt, ut Porphyrogeneta, Cedrenus, aliique narrant.

Thomas adversus Michaelem rebellis occiditur.

2. Dum adhuc Thomae rebellio hoc anno vigeret, timens Michael Imp. ne catholici in tyranni partes transirent, eos ut una cum haereticis conciliaret, ad mutuum inter se conventum habendum, hortatus est, quem nihilominus catholici recusarunt; ne tamen ecclesiae pacem refugere viderentur, quid ad eam conciliandam opus esset, scripta omnium nomine ab Theodoro Studita epistola ad Leonem Sacel-

Michael Imp. catholicos cum Iconoclastis conciliare studet.

Jesu Chr. an. 823. Sacellarium significarunt, eaque post redditas, pro sollicitudine ejus, in procuranda ecclesiis tranquillitate, gratias, quot pressuris, calamitatibusque tunc Orientale premeretur Imperium his verbis exponit. *Homicida* (idest Thomas) *postquam victus fuerit, debitas legibus pœnas dabit, nunc autem civile bellum adest, quod sicut alia iræ divinæ signa, terræmotus, & fames, eluviones maris, atque incendia ad correptionem nostram a Deo excitatum est, & populi vim tantam, quanta periit, absumpsit. Postquam ergo misertus dominus plagam repressit, minime vult superstites perire, alioquin communem omnium cladem, quemadmodum diluvii tempore induxisset*, ac meliora speranda esse adnotat.

Fidei, ecclesiarumque causæ ab Episcopis tractandæ.

3. *De altero autem capite*, idest de congressu catholicorum cum Iconoclastis. *Quid dicemus*, subdit Theodorus, *cum perspecta sint omnia prudenti ac solerti menti tuæ? Eodem nimirum tendebat Leonis Imperatoris conatus, ut nos cum Heterodoxis sermonem conferremus, discrepante illo atque in oppositum judicante, ut arbitrabatur. Quin & ejus qui nunc imperat, mens eadem fuit, cum ante tres annos nobiscum coram egit: ita tamen ut nequaquam Judicem se futurum diceret, sed hunc atque illum ex iis scilicet, qui nobiscum eadem sentiebant. Sed neque nos qui præsentes aderamus, neque inclytus Pontifex noster id tulit, quippe iniquum & alienum. Non enim de rebus seculi, carnisque sermo est, de quibus judicandi penes Imperatores potestas est, & judicium seculare, sed de divinis ac cœlestibus dogmatibus, quæ aliis commissa non sunt, quam iis quibus Deus Verbum dixit: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Quinam autem hi sunt, quibus hoc jussum fuit? Apostoli, & eorum successores. Quinam porro sunt successores? Qui Romanam nunc primam Sedem tenet. Qui Constantinopolitanam secundam. Qui Alexandrinam, & Antiochenam, & qui Hierosolymitanam. Hæc quini vertex, hoc est, quinque Patriarcharum, potestas Ecclesiæ, penes hos divinorum dogmatum judicium. Imperatorum vero, & Præsidum est opem ferre, & comprobare quæ decreta sunt, & reconciliare qui carnaliter dissident ac discrepant. Haud aliud quidquam illis de divinis dogmatibus neque a Deo traditum est; nec si fiat, stabit. Propterea explosa & rejecta fuerunt circa divinarum ima-*

imaginum dogma ea, quæ sub Constantino quodam & Leone regia potentia atque audacia in conciliabulo acta, & perperam dicta sunt. Quorum causa divisa hæc nostra Ecclesia fuit e ceteris quatuor, anathematismis affecta perennibus, approbante Spiritu Sancto. Post hæc, Deo miserante, erectum est cornu Fidei Orthodoxæ, magna Irene Imperium obtinente cum surculo suo, quo tempore coaluerunt quæ divulsa erant usque ad proximum Leonem: Sub quo iterum discerpta est Ecclesia nostra, & ab iisdem pariter anathemate damnata. Fieri ergo nulla ratione potest, domine, ut sæculari judicio divinum judicium comparetur, aut ut coalescat hæc ecclesia, non consentientibus quinque Patriarchis. Quod si roget quispiam, quo pacto fieri id possit? Si excedant, inquam, Ecclesiis Dei Heterodoxi, & proprium sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha. Qui coacto eorum conventu cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, ut ab aliis Patriarchis adsint vicarii (quod certe fieri potest, si velit Imperator, Occidentalem interesse, cui & potestas summa defertur Synodi Oecumenicæ) attamen pacem conficiet & conjunctionem, Synodicas suas ad primæ Sedis Præsulem mittendo. Quod si hoc minime probet Imperator; deflexitque (ut ipse ait) a veritate Nicephorus Antistes: Mittenda est ad Romanum ex utraque parte legatio, & inde Fidei accipienda certitudo. Etenim sic res habet, ut si aberret unus e Patriarchis, a ceteris ejusdem ordinis (quemadmodum divinus Dionysius tradit) correctionem admittat, non ab Imperatoribus judicetur, exurgant licet omnes quotquot umquam fuerunt Imperatores Orthodoxi. Aurea plane, & digna tanto doctore sententia, ut scilicet fidei causæ in concilio Oecumenico, cui Romani Pontificis legati adsint, definiantur; si vero fieri id non possit, ob mutua Patriarcharum diffidia, tunc ex utraque parte legatio ad Romanum Pontificem mittatur, ut ipse causam definiat. — Jesu Chr. an. 823.

4. Ne vero ob recusatum cum Hetherodoxis congressum, causæ suæ diffidere viderentur catholici, aut concordiam refugere, catholicorum nomine Apologeticam ad Michaelem Imp., ejusque filium Theophilum Theodorus misit, qua de fide catholica, quam profitebantur, rationem reddidit, eaque ob fidei perdiscendæ studium ab Imperatore conceptum, pacisque conciliandæ, Imperatorem laudat, eique gra- — Theodori Apologetica epist. ad Michaelem Imperatorem.

JESU CHR. AN. 823. gratias agit, cum adversariis autem fidei, catholicos nequaquam congredi posse, tum quia *adversarii nostri*, ait, *longo tempore, & per synodicos conventus in opinionibus suis affirmati sunt*. Iconoclastæ scilicet, unde ut meliora saperent, sperari vix poterat. *Nos vero Apostolorum, patrumque sanctionibus, sermonem de fide cum iis conferre prohibemur, qui sic occupati sunt*. Fidei autem professionem in ea inseruit, qua Oecumenicas synodos in ecclesia celebratas, Nicænam scilicet, CPolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, Quintam CPoli contra Origenem habitam, Sextam adversus Monothelitas, ac Septimam etiam adversus Iconoclastas se recipere testatur, cultumque sanctarum imaginum, ex sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum sententiis, synodorumque auctoritatibus longa oratione exponit, ac vindicat. Deinde post multa, suo catholicorumque nomine his verbis epistolam claudit. *Hæc igitur est ab ævo annunciata fides, hanc amplexæ sunt synodi sanctæ, & huic suffragantur omnes ubique locorum ecclesiæ, in Oriente, in Occidente, in Septentrione, & Mari, quam & nos minimi amplectentes oramus, jureque supplicamus, pro vestro, quod Deus earum habet Imperio*.

Theodorus Studita in Acritorum insula transit. 5. Cumque Thomas rebellis non solum urbe regia excessisset, sed ut diximus, interfectus fuisset, Theodorus, qui turbarum causa CPolim venerat, tranquillitate, ob tyranni obitum, restituta, ex urbe iterum excessit. *Non tamen amplius ad Crescentis loca profectus est, sed in Acritorum penisula S. Triphoni sacra, sedem fixit*, ait Michael in ejus vita, *ex quo sæpius ad Patriarcham ventitabat, Nicephorum scilicet, & cum eo pro re nata disserens, desiderium magis magisque incendebat. Patriarcha vicissim amoris officia reddente, animique studium multis argumentis declarante &c.* Ita ut primum ei locum in mensa concederet, ut ibidem auctor narrat. Cumque inter eos, & mutua charitas, & arctissima intercederet amicitia, non defuerunt, invidi, vel maligni homines, qui in vulgus spargerent, Theodorum Nicephori communionem vitare, quorum calumniam, Theodorus, ad Petrum Nicænum Episcopum scribens, diluere conatus est, qua de rebus suis in epistolæ exordio hæc adnotat.

Theodori epist. 127. 6. *Nunc opportuna scribendi paternæ sanctitati tuæ datur*

datur occasio, postquam ab exilio reversi sumus. Siquidem incursus Arabum nos quoque humiles cum aliis permultis ejiciens ab hospitio, in Principem insulam ante urbem abegit. In qua quibus ærumnis affecti fuerimus partim a profugorum urgente nos turba, partim ab æstu & aquis ad potum minime idoneis, quid opus est dicere? Postea vero, ut inde progressi sumus ad vicina Chalcedoni loca, ad ista duo accessit & hoc alterum, quod in gravissimum incidimus morbum qui miserum corpus nostrum totos septem dies renum doloribus afflixit: atque ut semel dicam, plane laboriosum iter nostrum fuit. Attamen tria hæc divino munere nobis obtigerunt: primum ut Beatissimum Pontificem nostrum salutaremus, sacris ejus precibus fruentes: deinde hos atque illos sacros patres ac fratres: ac tertio, ut objectiones & criminationes Dei misericordia diluerunt, quas contra nos, nescio unde, suscitarunt pacis opifices. Schismaticos nos antea depinxerunt, a divini Pontificis nostri consortio aversos: privata auctoritate usos fuisse affirmarunt in eorum pœnis, qui hæreticæ communioni adhæserunt: & alia multa quæ epistola includere difficilius est. Verum ad singula, ut diximus, auxilio precum tuarum apposite respondentes, & cum sacro Pontifice nostro communicare nos ostendimus, qui & summa humanitate nos excepit, & amanter tractavit & dimisit, nulla mentione facta eorum, quæ per dolum conficta fuerunt. Hæc, & alia ibidem videnda si lubet.

JESU CHR. AN. 823. ad Petrum Episcopum Niceæ.

7. Interea accidit, quod Basilius filius Leonis Armeni Imp., qui ex virilium sectione jussu Michaelis facta, ut diximus, vocem amiserat, ad statuam S. Gregorii Nazianzeni orans, vocem receperit, & cum ea catholicam fidem in cultu sanctarum imaginum, cui etiam mater ejus Theodosia, in monasterium relegata, consenserat, ut Cedrenus, & Constantinus Porphyrogeneta narrant. Hæc autem cum Theodoro delata sunt, gratulatorias statim ad Basilium, & matrem ejus dedit litteras, ut eos in proposito, ac in veneratione Sanctis imaginibus præstanda, confirmaret. *Cum ex variis fide dignis*, inquit, *inprimisque ex Deo amantissimo Esaja Episcopo, & reverendissimo Medicii Antistite, sanctis patribus nostris, de vestrarum rerum statu accepissemus, quod Dei nostri optimi nutu, ad pietatis, rectæque fidei rationem, & modum conversi fueritis, pristino valedicentes errori, egi-*

Basilio Leonis filio loquela redditur.

JESU CHR. AN. 823. *mus gratias Deo, qui non permisit vos in hæresis caligine permanere &c.* Eosque ut in suscepta fide, cultuque sanctarum imaginum perseverarent, hortatur, ac in tribulationibus, et in exilio positos consolatur, ut ibidem videre est.

Sacrilegæ Michaelis Imp. nuptiæ cum Euphrosina.

8. Interea Michael Imp., *bellis civilibus liberatus*, ait Cedrenus, *uxore mortua, aliam ducit jampridem desponsatam Christo, & monasticum amplexam vitæ genus, in quo Principis dicto monasterio id a pueritia exercentem, nomine Euphrosinam: ferebatur ea filia esse Constantini Imp. ejus, quem mater Irene, sua propter scelera juste oculis spoliaverat.* Idemque narrant Constantinus Porphyrogeneta, & Zonaras. Quare erraſſe constat Simeonem Logothetam, Leonem Grammaticum, aliosque, qui Michaelis uxorem, matremque Theophili Euphrosinam fuisse scripserunt, nam noverca fuit, ac Michaelis prima uxor, mater autem Theophili Thecla ut scribit Zonaras, qua defuncta, *bellis civilibus liberatus*, idest Thoma rebelli extincto, hanc alteram e monasterio ereptam, Euphrosinam, hoc, vel sequenti anno duxit; Euphrosinæ Augustæ meminit Theodorus in epistola ad Mariam ejus matrem, quam Reginam dicit, eo quod Constantino Imp. olim nupta, injuste ab eo repudiata in monasterium inclusa, & in exilium ejecta fuerat, quam ideo consolatur, & laudat Theodorus, ac ne in aulam apud filiam rediret, hortatur. *Pertulisti*, ait, *injustum conjugis divortium, ab Imperio quoque simul avulsa, cujus rei causa concussus est mundus*, de quibus supra egimus. Deinde *o miserandum spectaculum adultera purpuram gerens*. Euphrosina scilicet monacha, sacrilego ac incesto cum Michaele connubio conjuncta. *Et Regina*, idest Maria olim Imperatrix & Euphrosinæ mater, *pullo amictu tecta, famula imperans, & Domina serviens*. Cumque, Euphrosina Imperatrix Matrem suam Mariam, ut in Aulam rediret, invitaſſet, pia Fœmina ab Theodoro consilium exquisivit. Cui Theodorus *Tertia hæc plaga est*, idest tentatio post divortium, & exilium toleratum, *de qua quid deceat, exponere jussi sumus. Et alia quidem alii pronunciabunt: filiam matri adesse, eamque sequi oportere. Viderint illi. Nos vero humiles usurpabimus illud Domini. Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Quid consectarium; Religiosam pietatem tuam domi manere*, nec in aulam redire, ne scandali particeps fieres.

9. Lo.

9. Lotharium filiorum maximum ab Ludovico patre Imperatorem dictum, ac in Italiam missum fuisse supra diximus, qui cum Romam hoc anno pervenisset, a Paschali Papa Imperialem coronam in Paschatis festo suscepit, ut Eginhardus, ceterique auctores gestorum Ludovici, & Lotharii narrant. *Anno* 823. *Lotharius cum secundum patris sui jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia*, in Gallias, *prepararet, rogante Paschali Papa Romam venit, & honorifice ob illo susceptus, in sancto Paschali die apud S. Petrum, & Regni coronam, & Imperatoris Augusti nomen accepit*. Ac jubente Ludovico Patre ejus, id factum fuisse, narrat Paschasius Ratbertus in vita Vallæ Abbatis Corbejensis, dum his verbis Lotharium loquentem refert. *Ad eamdem sedem clementer me vestra Imperialis eximietas misit ad confirmandum in me quidquid pia dignatio vestra decreverat, ut essem socius & consors, non minus sanctificatione, quam potestate & nomine. Unde quia coram sancto altari, & coram S. corpore B. Petri Principis Apostolorum, & summo Pontifice, vestro consensu & voluntate, & benedictionem, honorem & nomen suscepi Imperialis officii, insuper diademata capitis, & gladium ad defensionem ipsius ecclesiæ, & Imperii vestri, nemo vobiscum magis, qui eam, quam ego defendere velit, aut debeat &c.*

JESU CHR. AN. 823. Lotharius a Paschali Papa Imperatoriam coronam accipit.

10. Romæ accepta Imperiali corona digressus Lotharius, *Papiam* profectus, mense Junio *ad Imperatorem*, in Gallias, *venit*, ait Eginhardus, *qui cum Imperatori de justitiis in Italia a se partim factis, partim incohoatis fecisset indicium, missus est in Italiam Adhalardus Comes Palatii, jussumque est, ut Mauringum Brixiæ Comitem secum assumeret, & inchoatas justitias perficere curaret*. Paulo post: *Nunciatum est etiam Theodorum S. Romanæ Ecclesiæ primicerium, & Leonem Nomenclatorem generum ejus in Patriarchio Lateranensi primo excæcatos, & deinde fuisse decollatos, & hoc contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes Lotharii juvenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel jussu, vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam: ad quod explorandum ac diligenter investigandum missi sunt Adalungus Abbas Monasterii S. Vedasti, & Hunfridus Comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt Legati Paschalis Pontificis, Joannes Episcopus Sylvæ Candidæ, &*

Paschalis Papæ Legatio ad Ludovicum, qua de inpacta calumnia purgatur.

JESU CHR. AN. 823. *Benedictus Archidiaconus Sedis Apostolicæ rogantes Imperatorem, ut illam infamiam a Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cum ille, juxta quod ratio postulabat, respondisset, eosque dimisisset, prædictos Legatos suos ad investigandam rei veritatem (sicut prius disposuit) Romam ire præcepit.*

Paschalis Papa innocens declaratur.

11. Cum Romam Ludovici legati advenissent, sequitur Eginhardus, *rei gestæ certitudinem assequi non potuerunt, quia Paschalis Pontifex, & se ab hujus facti communione cum magno Episcoporum numero jurejurando purificavit, & interfectores prædictorum hominum, quia de familia S. Petri erant, summopere defendens, mortuos velut majestatis reos condemnavit, jureque cæsos pronunciavit: atque ob hoc cum prædictis, qui ad eum missi fuerant, Legatis, Joannem Sylvæ Candidæ Episcopum, & Sergium Bibliothecarium, Quirinum quoque Subdiaconum, Leonem Magistrum militum ad Imperatorem misit, qui cum tam per illos, quam per suos Legatos de sacramento Pontificis, & excusatione reorum comperisset, nihil sibi ultra in hoc negotio faciendum ratus memoratum Joannem Episcopum, & socios ejus ad Pontificem dato convenienti responso remisit.* Idem habent Theganus in libello de Gest. Ludovici Imp. & Auctor Vitæ Ludovici Pii Imp. cujus verba recitat Baronius, qui & ostendit, Sanctum Pontificem ab iis criminibus innoxium fuisse.

Paschalis Papa oratione sua incendium extinguit.

12. Nam ut ad rem adnotat, nemo prudens nefaria gesta Paschali Papæ adscribere potest, quem tanti meriti fuisse adnotat Anastasius, ut excitatum Romæ incendium oratione sua extinxerit. *Neque silentio prætereundum esse arbitramur, quod eodem tempore diabolica operante versutia, per quorundam gentis Anglorum desidiam, ita est omnis illorum habitatio, quæ eorum lingua, Baxus (seu Burgus) dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut nec etiam vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent, ut ex iisdem incendiis pene tota porticus, quæ ducit ad Basilicam principis Apostolorum devastata sit. Et dum hæc ter beatissimus Pontifex, quasi hora noctis conticinio seu nocte media persensisset, subito propter honorem Ecclesiæ beati Petri Apostoli, atque tantam peregrinorum devastationem, nudis pedibus, discalceatus pedester cucurrit. Cui tanta omnipotentis Dei in ejus adventu misericordia affuit, ut locum, in quo primum idem coangelicus Pontifex*

tifex constitit, nequaquam ulterius impetus ignis transgredi potuerit, sed ipsam Dei clementiam exorando, & multitudine fidelium quæ aderat cooperante, flamma ignis, Deo miserante, extincta est, sicque peractum est, ut totius noctis spacium usque ad auroram perseverans, in eodem loco persisterit. Unde postmodum ter beatissimus Pontifex miseratus illorum peregrinorum inopiam, quæ ob desidiam & diabolicam fraudem irrepit, tanta dona, tantaque beneficia (sicut semper solitus erat) in eorum necessitatibus impertivit in auro atque in argento, tam vel indumentis, quam in alimentis omnibus, uberius ministrabat. Sed & lignorum copia eorum domicilia sicut antea fuerant, restauravit. Porticum etiam, quæ ob eamdem cladem vastata est, decentius quam fuerat, & melius firmissime restauravit. Hactenus Anastasius.

Jesu Chr. an. 823.

13. Italia egressus mense Junio, Lotharius Francofordii patrem adierat, ubi, teste Eginhardo, conventum hoc anno habuit, quo cum esset, Carolus Calvus postea Imperator Ludovico natus est, quem Francofordii in lucem prodiisse docet Hincmarus in litteris ad eumdem Carolum tunc Imperatorem datis, ubi ait. *Quando Deo disponente in Frunconofurt Palatio nati estis &c.* Eum vero idibus Junii in lucem editum fuisse testantur passim auctores, ac idem Carolus in diplomate anno 872 edito his verbis narrat. *In Idibus Junii, quando Deus nos nasci in mundo voluit, & octavo idus Junii, quando Rex Regum nos ungi in Regem sua dignatione disposuit &c.*

Francofordii Carolus nascitur.

14. Hoc etiam anno, dum adhuc Francofordii Ludovicus esset, Gundulpho Metensi Episcopo defuncto, *Clerus omnis, populusque ejusdem ecclesiæ, veluti uno spiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem sub canonico habitu nobilissime viventem sibi poscunt dari Sacerdotem, mirumque in modum tum Imperatoris, quam Procerum ejus, sed & totius populi consensus, quasi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur; ideo Imperator cum summo gaudio petitioni ecclesiæ annuit, eisque quem petebant, Pontificem dedit*, ait auctor ignotus vitæ Ludovici, qui Astronomus passim dicitur, eademque Eginhardus, aliique Annalistæ, locum, & diem, quo Drogo Episcopus ordinatus est, narrat auctor chronici S. Benigni his verbis. *Drogo pridie idus Junii in Francfurt Presbyter est ordi-*

Drogo Episcopus Metensis ordinatur.

JESU CHR. AN. 823.

ordinatus, cui & Episcopatus Metensis est datus: de quo inferius redibit sermo.

De Conventu Compendiensi.

15. In Francofordiensi conventu, statutum fuerat, ut mense Novembri iterum Episcopi, Proceresque pro ecclesiastica disciplina restituenda convenirent, ait Eginhardus, de quo conventu Agobardus, *sequenti anno*, post Attiniacensem synodum anno proximo celebratam, *cum adessent jussi in Compendio Palatio, & de his*, idest de rebus ecclesiasticis, *inter eos sermo haberetur, ad hunc modum*, post multa colloquia, *in quantum ego intellexi, ratiocinia sunt producta, ut primum quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus sacris inlicite usis: Post vero cum Dei timore in illis, quas habent laici, cautiores effecti, etiam in his, quæ remanserunt, ecclesiis fideliores atque clementiores existerent, ita ut, & suis exhiberent pietatem, & ecclesiis defensionem, fieretque compatienti concordia remediabilis ac veniabilis offensio, quæ comitante pietate, de indulgentia quoque esset secura &c.* His Ludovicus adstans Episcopos, & Comites, ut inter se pacem servarent, hortatus est. At vix quidquam profecit, ut ibidem adnotat Agobardus, qui etiam sacræ scripturæ auctoritate, Sanctorumque Patrum testimoniis, laicos nullam in rebus ecclesiasticis potestatem habere demonstrat, ac sacrilegii reos fieri, qui eadem sibi vindicant, aut retinere præsumunt. Extatque in eamdem rem Ludovici pii capitulare in viginti octo capita distinctum, quo etsi multa tum de imperii, cum de ecclesiæ rebus recte administrandis habeantur, præcipue tamen Episcopi, Abbates, Comites, Proceresque admonentur, ut officio suo satisfacerent, pacemque inter se, concordiamque servarent. *Unde apparet*, ait Imperator, *quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis, Nec enim ignoramus quid unicuique vestrorum in sibi commissa portione conveniat, & ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus &c.* Hæc, & alia ibidem, quæ scribere longum esset.

Ebbo Rhemensis Episcopus Danis evangelium prædicat.

16. Eidem Compendiensi conventui filios Godefridi Danorum Regis adfuisse narrat Eginhardus, ut ab Ludovico auxilium poscerent, adversus Harioldum fratrem, qui fratres suos a paterna hæreditate, & regno exturbare conabatur. *Cum quibus*, subdit Eginhardus, *& Ebbo Rhemorum Archiepisco-*

piscopus, qui consilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis, prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat æstate præterita, & multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regressus est. Hanc ad Danorum, Svecorumque legationem, ut apud eos evangelium prædicaret, in Attiniacensi conventu, suadente Ludovico Imp., hortantibus etiam Paschalis Papæ legatis, qui illic erant, susceperat Ebbo, cui Halitgarius comes datus est, *quam postea noster Ansgarius divina opitulante gratia feliciter peregit*, ait Adam in vita Anscharii: Paschalis Papæ decretum de Ebbonis missione in Daniam recitat Bollandus ad diem tertia Febr., qua S. Anscharius Hamburgensis Archiepiscopus Danorum, & Svecorum Apostolus colitur; Ancharii quoque vitam refert Mabillonius seculo quarto parte secunda, ac Paschalis decreto præponitur epistola ejusdem Anscharii omnibus Sanctis Dei ecclesiæ Præsulibus in Regno Ludovici Imp. commanentibus data, qua de Ebbonis missione in eam gentem hæc narrat. *Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, divino afflatus spiritu, temporibus Domini Ludovici Imp., cum consensu ipsius, ac pene totius Regni synodi congregatæ, Romam adiit, ibique a venerabili Papa Paschali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit &c.*

Paschalis Papæ epistola de legatione Ebbonis in Daniam.

17. De eadem legatione Ebbonis in Daniam, Paschalis Papa in suis litteris ad universos Coepiscopos, & Presbyteros, Principes, Duces, Comites, & cunctos christianos hæc habet. *Præsentem reverendissimum fratrem, ac Coepiscopum nostrum Ebonem Sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopum, necessarium cum consensu fidelium Dei duximus, illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate Beatorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli nostra fraterna vice informatus, ante corpus, & confessionem ipsius Principis Apostolorum evangelizandi publica auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem, ut verbum vitæ, viamque salutis ubique provideat &c. Collegam namque divinæ huic administrationis legationi providentes, Halidgarium religiosum adiicientes ministrum, constituimus, quatenus ad sedem Apostolicam opportuno valeat tempore de credito negotio facilius præstante Domino intimare*. Halidgarius Ebbonis socius, Cameracensis anno circiter 817. Episcopus ordinatus fue-

JESU CHR. AN. 823. fuerat, de quo Flodoardus, de Ebbone Archiepiscopo Rhemensi verba faciens, narrat. *Hujus Præsulis hortatu Alitgarius Cameracensis Episcopus sex libellos de remediis peccatorum, & ordine, vel judiciis pœnitentiæ conscripsit*. Deinde recitat epistolam Alitgarii ad Ebbonem, & Ebbonis ad Alitgarium. Hos autem de ordine pœnitentiæ libellos, se de scrinio Romanæ ecclesiæ sumpsisse testatur Halitgarius, idest, ex libro pœnitentiali, quo Romana utebatur ecclesia, ac usque ad annum 831. & ultra Alitgarium vixisse scimus, ut adnotat auctor historiæ litterariæ Francorum tom. 4. p. 505.

Ebbonis initia, & studia.

18. Hic porro Ebbo Cameracensis Episcopus, etsi servili genere natus, cum collactaneus Ludovici pii fuisset, nobiliorem habuit educationem, in divinis vero, humanisque litteris adeo excelluit, ut bibliothecarii officium apud Ludovicum meruerit, ac Cameracensis Archiepiscopus anno 816. ab eo electus, & consecratus fuerit, ubi multa pietatis indicia reliquit, ita ut nec ejusdem amplissimæ diœcesis confiniis procurandæ salutis zelus, se continuerit, sed, ut diximus, accepta a Paschali Papa legatione, ad prædicandum evangelium Saxonibus, seu Danis munus obire non recusaverit. Hæc nihilominus præclare gesta, ob rebellionem adversus Ludovicum pium benefactorem suum susceptam fœdavit, sed de his infra loco opportuniori.

Heitonis Basileensis Episcopi, & Abbatis Augiæ vitæ series, & scripta.

19. Ebbone illustrior fuit Hatto, seu Heito Basileensis Episcopus, & Augiensis monasterii prope Constantiam Abbas, qui in eo a primœva ætate educatus, litteras ibidem edocuit, ac Abbas deinde electus, ab Carolo vero magno ad aulam vocatus, ac Basileensis Episcopus ejus jussu consecratus, in maxima apud eum æstimatione fuit, ut etiam eum CPolim legatum miserit, ut cum Nicephoro Imperatore pacem firmaret, indeque redux, totum se ecclesiæ Basiliensis, & monasterii Augiensis, cujus Præfecturam retinuerat, regimini se dedit, gravi deinde infirmitate pressus anno decimo Ludovici pii, ut narrat Valfridius Strabo, utramque dignitatem abdicavit, deinde convalescens, privatam vitam, orationi, piisque operibus intentus egit, usque ad annum 826., quo septuagenario major obiit, cujus elogium Valfridus Strabo dum adhuc viveret, versibus scripsit. Quo inter plurima ait.

Cujus

Cujus ingenium nullus mihi sermo redundat
Narrandum, quando specialis in orbe refulsit
Doctus, in incultis jaciens sacra semina sulcis,
Largus in auxilio, vita probus, aptus amori,
Justus in arbitrio, arte sagax, perfectior actu.
Quid moror ista canens, cum possim jure fateri
Me nescire alium, qui compensetur ad istum.

Legationis suæ relationem scripserat Hatto, at ea vel deperdita est, vel adhuc in bibliothecis latet, extatque adhuc relatio ejusdem altera, scilicet visionis, quam Vetinus quidam Monachus, & discipulus ejus habuit, quam etiam versibus descripsit Valafridus, eaque in Purgatorium se primum deductum, ubi piacularibus flammis plurimos sibi notissimos torqueri vidit, ac inter eos Carolum M. Imperatorem, deinde etiam in cœlum transisse, narravit, ut apud Mabillonium videre est. Ex scriptis vero Hattonis, capitulare seu instructio ad clerum suum data, capitibus 25. distincta, præcipuum est, qua Presbyteros suos admonuit, ut *se ipsos, ac plebem sibi commissam caste & juste regere, atque in religione divina confirmare*, curarent, & ut statutis horis diu, noctuque clerus officium caneret, ut cum clero, populus quoque viri, ac mulieres Presbyteris missam celebrantibus responderent, ut trina immersione baptismum conferrent, ut festa omnia observarent, quorum ibidem catalogum texit, ut omnes etiam laici, Dominicalem orationem, & Apostolorum Symbolum, latine, & vulgari lingua, seu Teutonica discerent, aliaque scitu digne adnotat, eademque fere, continet, quæ Theodulphus Aurelianensis Episcopus, in suo capitulari inseruerat, extatque integrum apud Dacherium tom. 6. Spicilegii, & Labbeum tom. 7. concil. pag. 1522.

JESU CHRISTI ANNUS 824. EUGENII 2. PAPÆ AN. 1. LUDOVICI IMP. 11. MICHAELIS IMP. 5.

1. Hoc Christi anno 824. Paschalis Papa primus, cum Romanam sedem per annos septem, menses quinque, vel tres, ut alii Codices habent, dies 16. vel 17. administrasset vivere desiit, quem etsi hoc anno obiisse sciamus, quo die, Paschalis Papæ obitus.

JESU CHR. AN. 824.

die, tamen, vel menſe obierit incertum eſt, ut Muratorius, & Pagius adnotant. Eum vero de reſtaurandis exornandiſque eccleſiis ſollicitum fuiſſe, cum de translatione corporis S. Ceciliæ ageremus, jam adnotavimus, plura ex Anaſtaſio referre piget, quæ apud ipſum, vel Baronium videri poſſunt, ac ad ſucceſſorem ejus tranſimus; de quo hæc narrat idem Anaſtaſius.

Eugenius ſecundus Romanus Pontifex creatur, ejus elogium.

2. *Ceſſavit Epiſcopatus ejus*, ideſt Paſchalis, *dies quatuor in menſe Januario*, ſeu potius Junio, *indictione prima*, *Eugenius natione Romanus ex Patre Boemundo, vir magnæ ſimplicitatis atque humilitatis, doctus ſcientia & ſermone præcipuus, forma pulchrior, largus petentibus, mundum reſpuens. A Romanis cunctis pro meritorum pia relatione electus, poſt tranſitum Sanctiſſimi Domini Paſchalis Papæ Pontifex factus eſt*, deinde, *ſedit annos quatuor*, ſeu potius tres, menſes totidem, cum diebus aliquot.

Lotharius Italiæ Rex Romam a patre mittitur.

3. Diſſidium aliquod in Eugenii electione inter Romanos fuiſſe, narrat Eginhardus, qua de cauſa Ludovicus Imp. Lotharium filium Italiæ Regem Romam miſit. *Interea legati Romani Pontificis*, ideſt Paſchalis, anno proximo ad Ludovicum miſſi, *Romam regreſſi, eumdem valida infirmitate detentum, ac morti proximum invenerunt, qui etiam paucis poſt adventum illorum exactis diebus, vita deceſſit. In cujus locum cum duo per contentionem populi fuiſſent electi; Eugenius tamen Archipresbyter, Tituli Sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte, ſubrogatus atque ordinatus eſt. Cujus rei nuncium cum Quirinus Subdiaconus (unus ex iis, qui priori legatione fungebantur) ad Imperatorem detuliſſet, Conventu circiter VIII. Kal. Julii pronunciato, atque Compendii habito, ipſe ad Britannicam expeditionem per ſe faciendam animo intento, Lotharium filium Imperii ſocium, Romam mittere decrevit, ut vice ſua functus, ea quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, populoque Romano ſtatueret, atque firmaret. Et ille quidem ad hæc exequenda, poſt medium auguſtum in Italiam profectus eſt.*

Querelæ a Romanis ad Lotharium delatæ.

4. Nam præter diffidia in Eugenii electione excitata, nonnullæ etiam ab Romanis querelæ ad Lotharium delatæ fuerant, quas ſumma dexteritate, & æquitate Lotharius compoſuit, ut narrat Eginhardus. *Lotharius juxta patris mandatum Romam profectus, ab Eugenio Pontifice honorifice ſuſcipi-*

scipitur; cui cum injuncta sibi patefecisset, statum populi Romani jamdudum quorumdam perversitate Præsulum depravatum, memorati Pontificis benevola assensione, ita correxit, ut omnes, qui rerum suarum direptione, graviter fuerant desolati, de receptione bonorum suorum, quæ per illius adventum, Deo donante, provenerat, magnifice sunt consolati: Auctor vero vitæ Ludovici Astronomus dictus, rem adhuc clarius his verbis exposuit. *Cum Lotharius a patre missus Romam venisset, libentissime ab Eugenio Papa susceptus est, plurimorum querelæ excitatæ sunt. Repertum est quod quorumdam Pontificum, vel ignorantia, vel desidia, sed & judicum cæca & inexplebili cupiditate multorum prædia injuste erant sublata, Lotharius magnam populo Romano creavit lætitiam. Statutum etiam juxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes potestatem justitiam omni populo facerent, & tempore quo visum foret Imperatori, æqua lance penderent. Quæ cum rediens filius patri retulisset, tamquam amator æquitatis & cultor veritatis, magno gaudio perfusus est, eo quod oppressis inique relevatio pietatis occurrerit.*

JESU CHR. AN. 824.

5. Et ne iterum dissidiis, querelisque occasio daretur, constitutionem Eugenio probante, Romæ Lotharius vulgavit novem capitibus distinctam, quam pro majore parte Baronius hoc anno annalibus inseruit; eamdemque emendatiorem exhibet Holstenius; ac I. *Constituimus, ut omnes qui sub speciali defensione domni Apostolici, seu nostra fuerint suscepti, impetrata inviolabiliter utantur defensione. Quod si quis in quocumque violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ incursurum. Nam & hoc decernimus, ut Domino Apostolico in omnibus justa servetur obedientia, seu Ducibus & Judicibus suis ad justitiam faciendam.* II. *Ut deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto.* III. *In electione Romani Pontificis, nullus sive liber, sive servus præsumat aliquod impedimentum facere, sed illi solummodo Romani quibus antiquitus concessum est constitutione Sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem.* IV. *Volumus, ut Missi constituantur a Domno Apostolico, & a nobis, qui annuatim nobis renuncient, quamlibet singuli Duces & Judices justitiam populo faciant, & quomodo nostra Constitutio servetur; Decernimus*

Lotharii leges Romæ vulgatæ.

JESU CHR. AN. 824.

itaque, ut primum omnes clamores, qui negligentia Ducum, aut Judicum fuerint, ad notitiam Domni Apostolici referantur, ut statim aut ipse per suos Nuncios, eosdem emendare faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur. V: *Volumus etiam, ut omnis Senatus, & populus Romanus, interrogetur, quali vult lege vivere, ut sub ea vivat, eisque denuncietur, quod procul dubio si offenderint contra eamdem, eidem legi quam profitebuntur dispositione Domni Pontificis, & nostra omnimodis subiacebunt.* VI. *De rebus autem Ecclesiarum injuste retentis sub occasione quasi licentia accepta a Pontifice volumus, ut a Legatis nostris in potestatem Pontificis, & Romanae Ecclesiae celerius redigantur.* VII. *Praecepimus etiam, ut depraedationes in confinio nostro non fiant, quae facta sunt, & caeterae injustitiae, secundum legem ab utrisque partibus emendentur.* VIII. *Placuit etiam nobis, ut cuncti Duces, & Judices, sive alii, qui caeteris praeesse debent, in nostram praesentiam, dum Romae sumus conveniant; volumus enim & numerum & nomina scire, & singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.* IX. *Novissime praecipimus & monemus, ut omnis homo, sicut Dei gratiam, & nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus obedientiam, atque reverentiam Romano Pontifici &c.* Hactenus Lotharii Regis Italiae constitutio Romae edita, qua urbis quieti, civium incolumitati, & Romani Pontificis majestati consultum voluit; ut non solum libera ejusdem electio esset, sed etiam ut debita eidem obedientia, & reverentia ab omnibus praestaretur; cumque in urbe non solum Romani cives, sed Longobardorum, Francorumque plurimi essent, jussit Lotharius, *ut populus Romanus interrogaretur, quali vellet lege vivere*, an scilicet Romana Longobardica, vel Salica, ut ei quam quisque elegisset, *dispositione Domni Pontificis, & sua omnimodis subjaceret*. Itaque factum est, ut quos in officio continere hactenus vix potuerant Romani Pontifices, timore saltem poenae continerentur.

Romani judices in Gallias ducti, Eugenii Papae precibus revocantur.

6. Cum vero ex Romanis judicibus nonnulli, vel desidia, vel inexplebili cupiditate moti, civium plurimos bonis suis expoliassent; non solum injuste ablata, restitui jussit Lotharius, sed eos etiam in exilium in Gallias duci jussit; quos paulo post Eugenius Papa precibus suis in urbem

bem revocavit; ut narrat Anastasius his verbis. *Hujus diebus Romani judices, qui in Francia tenebantur captivi, reversi sunt, quos in parentum domo ingredi permisit, & eis non modicas res ex Patriarchio Lateranensi præbuit, quia erant pene omnibus facultatibus destituti &c.* Jesu Chr. an. 824.

7. Ad diffidia vero tollenda, quæ passim in Romani Pontificis electione, vel ordinatione a Romanis excitata fuerant, ut in Eugenio quoque accidisse, supra ex Eginardo vidimus; solemni decreto, Lothario ipso præsente, & consentiente Eugenio Papa, statutum est, ut Clerus, populusque Romanus fidelitatem Ludovico, & Lothario Imperatoribus jurarent, & ut idem juramentum ab electo Pontifice ante consecrationem suam missis Imperialibus præstaretur, cujus formulam exhibet auctor appendicis ad historiam Longobardicam Pauli Diaconi; In eo tamen fallitur, dum anno sequenti 825. hæc gesta narrat; nisi amanuensibus error adscribatur; atque his verbis constat. Promitto ego *per Deum omnipotentem, & per ista sacra quatuor evangelia, & per hanc Crucem Domini Nostri Jesu Christi, & per corpus Beatissimi Petri Principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero Dominis nostris Imperatoribus, Hludovico, Hlothario, diebus vitæ meæ, juxta vires & intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio; salva fide quam repromisi Domino Apostolico: & quod non consentiam, ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis nisi canonice & juste, secundum vires & intellectum meum: & ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in præsentia Missi Domini Imperatoris, & populi, cum juramento quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum.*

Rom. Pontifex coram missis Imperialibus consecrandus.

8. Hanc tamen juramenti formulam Ludovico, & Lothario Imp. ab Clero, populoque Romano prestitam, utpote ab ignoto auctore prolatam, suspectam habent eruditi, quam nihilominus Stephano primo, alii quarto, vel quinto adtribuunt, ejusdem meminit in sua canonum collectione Gratianus capite. *Quia sancta*, & capite *Ego Ludovicus &c.*

De Eugenii decreto, & juramento.

9. Consuetudo itaque, seu abusus ab Justiniano primum Imp. postquam Italiam Imperio suo subjugaverat, invectus

Cur electio Rom. Pon-

Jesu Chr. an. 824.

tificis coram legatis Imp. facienda esset.

vectus, quique in Gregorio Papa tertio, anno 731. in desuetudinem abjerat, presenti anno revocatus est; Nec Eugenio Pontifici, ut his consensum præberet, causæ defuerunt, immoderata, scilicet, Romanorum potentia, seu potius petulantia; qua in eligendo Romano Pontifice supra clerum primas etiam sibi partes passim vindicabant; turbasque & seditiones ea de causa excitabant, quibus ut modus imponeretur, cautum est, ut Pontificis electio coram missis Imperialibus fieret. Ad eamque consuetudinem respexit Anastasius, dum in Benedicto tertio adnotavit; *In conspectu omnium, Imperialibus missis cernentibus, in Apostolica sede, ut mos est, & antiqua traditio dictat consecratus, ordinatusque est Pontifex*, & supra de ejusdem electione, *Clerus, & cuncti Proceres decretum* (electionis) *componentes propriis manibus*; seu subscriptione, *roboraverunt, & ut consuetudo prisca exposcit, invictissimis Lothario, & Ludovico destinaverunt Augustis*. Valentinus tamen Eugenii successor, absque præsentia Imperialium legatorum ordinatus fuit; ac Gregorius quartus Valentini successor primus recensetur, qui præsentibus legatis Imperatoris consecratus fuit, qui mos postea ut plurimum, usque ad seculum undecimum retentus, tandem defecit; ac pristina libertas Romanæ ecclesiæ restituta est; ut anno 1073. dicturi sumus.

Michaelis Imp. legatio ad Ludovicum, de imaginum cultu,

10. Inter hæc Ludovicus pius hoc anno adversus Britannos sæpe rebelles, *adunatis undique copiis*, ait Eginhardus cum filiis Pippino, & Ludovico *Britanniam ingressus, totam ferro, & igne devastavit, consumptisque in hac expeditione quadraginta, vel eo amplius diebus, acceptis quoque a perfido Britonum populo, quos imperaverat, obsidibus, ad Rothomagensem Civitatem, ubi conjugem se opperiri jusserat, ad XV. Kal. Decemb. reversus est. Nam & illic Legatos Imp. Michaelis, qui ad eum mittebantur, sibi occurrere jussit. Cum quibus & Fortunatus Patriarcha Veneticorum regressus, ad ejus venit præsentiam. Sed Legati Imperatoris litteras & munera deferentes, pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes pro Fortunato nihil locuti sunt. Inter cætera tamen ad Legationem suam pertinentia; quædam de Imaginum veneratione protulerunt: propter quæ se Romam ire, atque Apostolicæ Sedis Præsulem consulere debere*

debere dixerunt. Quos cum Legatione eorum audita, ac responso reddito, absolveret, Romam ut se velle dicebant ducere jussit. Fortunatum etiam de causa fugæ ipsius percontatus, ad examinandum eum Romano Pontifici direxit: ipse Aquisgrani, ubi hyemare statuerat, profectus est, inquit Eginhardus; & merito sane ad Romanum Pontificem, tum de imaginum cultu quæstionem, cum Fortunati Gradensis Patriarchæ causam Ludovicus delegavit, cum ad eam sedem majores undique ex toto orbe ecclesiiasticæ causæ referri deberent.

Ermoldus Nigellus Abbas bellicæ expeditionis socius.

11. In Britannica expeditione Ermoldum Nigellum Anianensis monasterii Abbatem fuisse, prout infelix eorum temporum conditio, seu corruptela ferebat, ut Episcopi, & Abbates, qui servitia Imperatori debebant, eumdem in expeditionibus bellicis sequerentur, idem ipse testatur, addens nihilhominus, se neminem aut feriisse, aut vulnus accepisse, quem cum Pippinus galea ac thoraca tectum, armisque instructum vidisset, non sine risu Abbati dixit *Cede armis, frater, literas amato magis*: Hæc cœvus auctor in poemate quatuor libris distincto de laudibus Ludovici pii.

Fortunati Gradensis Patriarchæ obitus, cui Venerius succedit.

12. Fortunatus autem Gradensis Patriarcha, inquieti ingenii vir, Græcis olim suspectus in Gallias transierat; At cum Græcis favere videretur, Ludovici iram timens Constantinopolim aufugerat; ut suo loco diximus; hoc anno cum Michaelis legatis in Gallias reversus est, ut Imperatoris gratiam promereretur, ac ab eo ad Romanum Pontificem remissus antequam Romam perveniret, in Galliis obiit, ut narrat Dandulus in chronico, successoremque in Gradensi Patriarchatu Venerium in Rialto natum, seu Venetiæ, habuit, quem ecclesiarum plurimarum vetustate labentium restauratorem fuisse Dandulus narrat, de quo infra suo loco sermo redibit.

Michael Imp. ad Ludovicum Imperatorem, & ad Eugenium Papam litteras cum muneribus mittit.

13. Michael itaque Imperator, Thoma tyranno extincto, redditaque Imperio Orientali pace, legationem cum litteris suis ad Ludovicum Imp., & ad Eugenium Romanum Pontificem, ac munera ad utrosque misit; ad Ludovicum *Prasinovultim unum, Minovultim unum, Tyria duo, Blactas veras duas, Dirodina duo, Diventa duo*, varii generis vestimentorum, aut vestium ornamenta hæc erant. Ad Eugenium vero Papam religiosa hæc munera misit. Evangelium aureum lapidibus pratiosis ornatum. Calicem simili

JESU CHR. ANN. 824. simili modo ornatum, cui duorum Imperatorum nomina inscripta erant; *ut Deo jubente*, ait in epistola ad Ludovicum, *illus pervenientes deferant ad Templum sanctissimi Apostolorum Principis Petri, qui intercedet pro nobis, & vobis*. Michaelis epistola ad Eugenium Papam intercidit, extat tamen altera suo, ac Theophili filii in imperio collegæ nomine Ludovico inscripta, qua etsi catholicus apparere, cum Iconomachus esset, conatus sit, impietatis tamen ejus non obscura indicia, eadem epistola præfert; qua etiam, exageratis in imaginum cultu abusibus, in suam sententiam Ludovicum pium, cum tota Galliarum ecclesia trahere conatus est; Epistolæ autem hæc est inscriptio. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unius soli veri Dei. Michael, & Theophilus fideles in ipso Deo Imperatores Romanorum, dilecto & honorabili fratri Hludovico glorioso Regi Francorum, Longobardorum, & vocato eorum Imperatori*, ubi Ludovicum Imperatorem quidem Francorum, & Longobardorum vocatum dicit Michael, eo quod neminem Romanum Imperatorem Græci Imperatores nisi se ipsos agnoscerent, ut ex dictis supra, dicendisque infra manifeste patebit; atque epistolæ initio, omnia quidem bona ex Deo esse testatur, ac ut se Dei ope ad Imperium pervenisse Ludovico probaret; qua ratione ab Thoma tyranno Leo Armenus occisus fuerit, quotque per triennium, quo Imperium obtinuit turbas Thomas excitaverit, exponit. Hinc se communi Cleri, Procerum, & populi suffragio ad Imperium evectum, fuisse longa oratione prosequitur; tandem quanta virtute, Deique ope, miraculis etiam testata, tyrannum vicerit, meritaque pœna, manibus pedibusque truncatum affecerit, narrat, quæ exscribere longum esset, atque hæc in causa fuisse, cur tandiu legationem mittere distulerit, ut antiquam cum eo pacem firmaret.

Michael Imperator cum Ludovico pacem confirmat.

14. Hinc post multa subdit. *Ex eo tempore*, idest post Thomæ tyranni interitum; *omnes Christiani Imperii nostri ad unitatem pacis, & pristinam concordiam redierunt, glorificantes & magnificantes propugnatorem nostrum Dominum Jesum Christum, qui ad unitatem Fidei coadunare populum suum dignatus est, in subjectionem, quod ab eo est, Imperii nostri. Quocirca dignum existimavimus hæc, quasi pacifico amico, & spirituali fratri nostro, & ut credimus socio*

socio gaudii a Deo Imperii nostri manifesta facere, quæ nobiscum acta sunt, ut pariter sicut unius ejusdem Fidei, & religionis cultoribus facere oportet, laudibus & hymnis collaudemus & glorificemus Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum. Oportuerat enim statim in exordio Imperii nostri, sicut spiritali fratri nostro, & pacifico amico, per veros apices nostros, quæ erga nos gesta sunt, vobis manifestare; sed sicut supra dictum est, præfati tyranni & rebellis, ac turpi morte condemnati Thomæ seditio nos facere prohibuit. At vero nunc dedit Deus nobis hoc præsens & opportunum tempus post ejus interfectionem & coadunationem & concordiam populi nostri; et ideo justum existimavimus mittere ad vestram gloriam Theodorum Protospatharium nostrum, & Stratigon, Nicetam sanctissimum Metropolitanum Myrensem Lyciæ, Fortunatum Archiepiscopum Venetiæ, Theodorum reverendissimum diaconum & œconomum istius sanctissimæ Dei Catholicæ & magnæ Ecclesiæ sanctæ Sophiæ, & Leonem nostrum candidatum; & non tantum per has syllabas, sed & per ipsos viros annuntiamus vestræ gloriæ omnia quæ proposita sunt, ut tam per eos, quamque & per Missos vestros iterum scire possemus vestræ directionis sanitatem, simulque fidelium vestrorum incolumitatem, nec non & omnium rerum vestrarum apud vos consistentium prosperitatem. Porro nunc per has nostras veras & fideles syllabas corroboramus, & confirmamus priorem pacem & amicitiam inter vos & nos constitutam, deprecantes mediatorem ejusdem pacis Dominum, qui dixit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, eamdem pacem & charitatem splendidiorem & robustiorem facere, & ostendere temporibus & potestatibus præteritis, quoniam & nos sic tenemus, & speramus, quod & vestra gloriosissima potestas ita consentiat sicut & nostra.

JESU CHR. AN. 824.

15. Ut autem Ludovico, ecclesiisque Galliarum persuaderet imaginum cultum ut pote illicitum abjiciendum esse, varios in earumdem veneratione abusus irrepsisse adnotat, quos etiam in immensum exagerat his verbis. *Sed & hoc Christo amabili dilectioni manifestamus, quia multa de Ecclesiasticis, seu & laicis viris alieni de Apostolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primum quidem honorificas & vivificas Cruces de sacris templis expellebant,* & ad

Abusus in imaginum cultu Michael Imp. exagerat.

JESU CHR. AN. 824.

& ad eadem loca imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant, sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant & adorabant, atque ab iisdem imaginibus auxilium petebant: plerique autem linteaminibus easdem imagines circumdabant, & filiorum suorum de Baptismatis fonte susceptrices faciebant: Alii vero religiosum habitum monasticum sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui prius comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus, quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant. Quidam vero sacerdotum & clericorum colores de imaginibus radentes immiscuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione post Missarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli vero spreta Ecclesia in communibus domibus tabulis imaginum pro altaribus utebantur, & super eas sacrum mysterium celebrabant & alia multa his similia illicita, & nostræ religioni contraria in Ecclesiis fiebant, quæ a doctioribus & sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Propterea statuerunt Orthodoxi Imperatores, & doctissimi sacerdotes locale adunare Concilium, ad inquisitionem super his habendam, qui in idipsum convenerunt, sancto spiritu inspirante. Talia ubique communi consilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas quæ in sublimioribus locis positæ erant, ut ipsa pictura pro scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur, neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc sentimus, & tenemus abjicientes de Ecclesia Christi eos, qui hujusmodi malignis inventionibus student &c. hæc, & alia ibidem, quibus se iconoclastam fuisse manifesto indicat; nam sex tantum Oecumenicas synodos laudat; Septimam vero, seu Nicænam secundam adversus Iconomachos celebratam non solum præterit, sed alteram Iconoclastarum CPoli habitam non sine laude commemorat; ac nullum imaginibus cultum, nullamque venerationem exhibendam esse aperte testatur; Si abusus tunc forte

forte in imaginum cultu irrepserant, hosce dumtaxat a Græcis Præsulibus emendare, debitumque eis cultum retinere satagere oportebat Imperatorem, at dum Michael omnem illis cultum denegat, cum Iconoclastis consentire se prodit.

De Orthodoxis Romam profugis, & legatis suis Romam profecturis Michaelis petitio.

16. Tandem ut ex Oriente Romam persecutionis causa profugos, inde expelli, legatosque suos Romam profecturos incolumes perduci jubeat, Ludovicum rogat. *Propterea quidam illorum, qui noluerunt suscipere concilia localia, & a veritate redargui; fugerunt hinc, & venerunt ad antiquam Romam a Deo conservatam, injuriam, ac calumnias ecclesiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes, quorum pessima verba, & blasphemiis plena postponentes, nostra potius orthodoxæ gloriæ tuæ manifesta facimus, quia nos symbolum sanctarum, & universalium sex Synodorum, quod ab omnibus orthodoxis tenetur, non tantum prædicamus, sed etiam inviolabiliter corde tenemus &c.* Septimam ergo synodum, seu Nicænam contra Iconoclastas nequaquam Michael suscipiebat; in epistolæ autem fine de legatis, & muneribus ad Romanum Pontificem missis, hæc addit. *Unde honorem Ecclesiæ Christi quærentes, fecimus litteras ad sanctissimum Papam antiquæ Romæ, & eas misimus per prædictos Missos nostros ad eum, dantes eis Evangelium aureum ex lapidibus pretiosis ornatum, similiter & patenam auream, & ipsam ex lapidibus pretiosis ornatam, & calicem simili modo ornatum, ambobus inscripta Imperii nostri nomina, ut Deo jubente, illuc pervenientes efferant ea ad templum sanctissimi ac beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui intercedat pro nobis & vobis. De cætero ordinet vestra spiritalis dilectio, ut cum omni honore & illæsione ad eum veniant, auxilium eis ferentes in his quæ Deo placeant, & ad honorem ejus pertineant in satisfactionem charitatis, quæ inter nos est, jubentes eis, ut si amodo manifesti fuerint quidam seductores pseudochristiani, Ecclesiæ calumniatores, illuc eos expellere, ut quod scriptum est, de his adimpleatur; dicit enim Scriptura: Deijcite malum de medio vestri, ut non tantum in Republica ad invicem concordemus, sed etiam & de magna re, quæ ad salutem animæ pertinet, idest, Ecclesiastica & Deo amabili consentiamus.* Hæc, & alia ibidem ad Ludovicum Imp. Michael, filiusque ejus Theophilus. Quot inde quæstiones in ecclesia Gallicana de ima-

Jesu Chr. an. 824. imaginum cultu & veneratione excitatæ sint, inferius dicturi sumus; nam ineunte novembri mense hujus anni Michaelis legatos Rothomagi Ludovicus audivit, eosdemque anno proximo, una cum legatis suis Romam dimisit; de his autem anno sequenti.

Dionysii Areopagitæ libri in Gallias delati.

17. Præter munera Eugenio Papæ, & ecclesiæ Sancti Petri Romæ ab Michaelis Imperatoris, ac Theophili legatis allata; libros Dionysii Pseudo Areopagitæ iidem legati in Gallias detulerunt; quos summa cum lætitia Gallicana ecclesia excepit, tamquam monumenta Dionysii Areopagitæ, & primi Parisiorum Episcopi, cum nemo tunc temporis, aut de adventu Areopagitæ in Gallias, aut de veritate librorum, qui ejus nomine circumferebantur, dubitaret; eosque in Abbatia S. Dionysii tunc reconditos, decennio post Hilduinus S. Dionysii Abbas jussu Ludovici pii in lucem edidit, una cum vita, gestis, & miraculis S. Dionysii; Extatque in principio librorum Areopagiticorum Ludovici Imperatoris epistola ad Hilduinum, qua jussit, ut scripta, & gesta Dionysii commentariis suis illustraret, deinde Hilduini responsio, qua se morem gesisse, opusque absolvisse nunciat, & de illorum in Gallias translatione hæc adnotat. *Authenticos autem eosdem libros Græca lingua conscriptos, quando Economus ecclesiæ CPolitanæ, & ceteri missi Michaelis legatione publica ad vestram gloriam Compendio functi sunt; in ipsa vigilia solemnitatis Dionysii pro munere magno suscepimus. Quod donum devotioni nostræ, ac si cælitus allatum, adeo est divina gratia prosecuta, ut in eadem nocte decem & novem nominatissimæ virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum ex notissimis, & vicinitatis nostræ personis contiguis, ad laudem & gloriam sui nominis, orationibus & meritis excellentissimi martyris Christus Dominus sit operari dignatus, &c* Dionysii Areopagitæ libros fama cognoverat Gregorius M. qui CPoli diu fuerat, uti homilia 24. testatur his verbis. *Fertur Dionysius Areopagita, antiquus & venerabilis pater dicere, quod ex minoribus Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur.* Post Gregorii vero tempora latinis Patribus eadem scripta innotuisse inde patet, quod non semel Romani Pontifices Gregorii successores, ad fidei dogmata confirmanda, eorum quoque auctoritate

ritate

ritate usi sunt. At postquam eadem Hilduinus latine reddita vulgavit, iterumque Joannes Scotus Erigena jussu Caroli Calvi latinitati donavit, eam utique auctoritatem adepta sunt, ut de ipsorum veritate, auctoritateque ad nostram pene ætatem nemo dubitaverit; portenti tamen loco habenda est Dodvelli conjectura, seu sententia, qua libros eosdem latino potius scriptori, ac Gregorio M. Pontifici tribuendos esse litteris ad Caveum datis, censuit. At de Areopagiticis scriptis, eorumque auctore jam alias nonnulla adnotavimus, quæ huc repetere nihil adtinet, ideoque ad eum locum lectorem remittimus.

Bernardus Dux Septimaniæ Dodanam uxorem ducit.

18. Antequam Gallia excedamus adnotandum est hoc anno Bernardum Sancti Villelmi filium Dodanæ Ludovici Imperatoris consanguineæ nupsisse, ut eadem clarissima fœmina in præfatione manualis libri Villelmo filio suo missi his verbis testatur. *Anno feliciter Christo propitio undecimo, Domino nostro Lodovico quondam fulgente in Imperio, concurrente VIII. Kalendarum Julii die, in Aquisgrani Palatio ad meum Dominum, tuumque genitorem Bernardum legalis in conjugio accessi uxor.* Dux Septimaniæ erat Bernardus, idemque Præses Marcæ Hispanicæ, seu Comes Barcinonensis, &c, ut inquit Theganus cap, 36. *De stirpe Regia, & Domini Imperatoris ex sacro fonte Baptismatis filius*, idest, spiritualis filius Ludovici Pii tunc Aquitaniæ Regis, postea Imperatoris, quem agnatione contingebat. Dodana vero fœmina piissima libellum illum a Mabillonio Sæc. IV. Benedict. part. 1. pag. 350. recitatum ad filium suum Villelmum direxit, ut eum ad pietatem excitaret; de cujus laudibus, gestis, scriptisque, plura dabit auctor historiæ litterariæ Francorum tom. 5. pag. 17.

JESU CHRISTI AN. 825. EUGENII SECUNDI PAPÆ AN. 2. LUDOVICI IMP. 12. MICHAELIS BALBI IMP. 6.

Ludovici Imp. legatio ad EugeniumPapam.

1. Michaelis Imp. legatos ad Ludovicum Imp. anno proximo Romam profecturos advenisse diximus. Quid porro Michaelis legati Romæ egerint, quo modo ab Eugenio Papa excepti, aut d, missi fuerint, nullibi constat, hæc autem Anastasium ignorasse, aut præteriisse miramur, hoc unum scimus, quod cum Ludovicus ex Michaelis litteris accepisset,

JESU CHR. AN. 825. set, Orientales ecclesias, ob imaginum cultum turbatas esse, legationem ad Eugenium Papam misit, ab eo petens, ut ab aliquot Regni sui Episcopis de earumdem cultu inquisitio fieret, eaque legatione Freculphus Episcopus Lexoviensis, & Adegarius perfuncti sunt, ut patet ex epistola quam delecti ad hoc Episcopi Imperatori dederunt. *Fecimus*, inquiunt, *epistolam nobis relegi, quam vobis legati Graecorum anno praeterito detulerunt. Venerabilis namque Freculphus Episcopus subtiliter, prudenterque, qualiter ipse, & Adegarius socius illius de hac re cum domno Apostolico, & cum venerandis Episcopis, & Ministris illius egissent, viva voce parvitati nostrae innotuit.* Et iterum, quid per legatos petitum, & obtentum fuerit, his verbis narrant. *Aperuit vobis Dominus ostium juxta optatum vobis desiderium, ut licentia vobis ab eodem tribueretur auctoritate tantae rei cum vestris quaerendi familiariter veritatem. Ut quoniam inerat vobis voluntas consulendi, & deerat auctoritas quaerendi, ejus auctoritate quaeretis veritatem, cujus auctoritas deviare videbatur ab ipsa veritate.* Haec Galliarum Episcopi Parisiis congregati, in cultu sanctarum imaginum, ab ecclesiae Romanae consuetudine, ut patebit, diffidentes. Eademque de petita, & obtenta ab Eugenio Papa potestate inquirendi, quo cultu, & veneratione Jesu Christi, B. Virginis, sanctorumque imagines prosequendae essent, Ludovicus testatur, tum in epistola, seu commonitorio legatis suis dato, cum in epistola ad Eugenium tunc scripta.

Synodi Paris. epistola ad Ludovicum, & Lotharium Imperatorem.

2. Quid vero ab Episcopis in Parisiensi collatione praestitum fuerit, ipsorum epistola ad Ludovicum, & Lotharium plane declarat. *Nos*, inquiunt, *servi & fidelissimi oratores vestri, qualiter proximis Kalendis Novembris apud Parisiorum urbem juxta praeceptum vestrae magnitudinis in unum convenimus, qualiterque de negotio a vestra pietate nobis injuncto, de causa videlicet imaginum egerimus, ad memoriam vestrae celsitudinis reducimus. Sed ut melius nobis manifestum fieret, ob quam causam vestra pietas, quae erga Dei, sanctaeque suae ecclesiae amorem ardentissime flagrat, ad hoc inquirendum primo accensa fuerit, necessarium duximus initium hujusce rei cognoscere: Et ideo primam epistolam domini Hadriani Papae, quam pridem pro imaginibus erigendis Constantino Imperatori, & Irenae matri ejus ad eorum depre-*

precationem in transmarinis partibus direxit, *coram nobis legi fecimus*, *&* *quantum nostræ parvitati res patuit*, *sicut juste reprehendit illos qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere*, *&* *penitus abolere præsumpserunt*, *sic indiscrete noscitur fecisse*, *id quod superstitiose eas adorare jussit*. *Pro quarum Synodum congregari præcepit*, *&* *sua auctoritate sub jurejurando censuit*, *ut erigerentur* *&* *adorarentur* *&* *sanctæ nuncuparentur*, *cum eas erigere licitum*, *adorare vero nefas sit*. *Inseruit etiam in eadem epistola quædam testimonia sanctorum Patrum*, *quantum nobis datur intelligi*, *valde absona*, *&* *ad rem de qua agitur*, *minime pertinentia*. Hæc isti in Hadrianum Pontificem, vel in ipso epistolæ initio iniquiores, sed pergunt. *Ex hujus namque epistolæ textu Imperator*, *&* *clerus simulque populus auctoritatem sumentes Synodum fecerunt*, *in qua sicut illi multum deviaverunt*, *qui imagines Sanctorum in illa alia Synodo*, *quæ sub Constantino avo memorati Constantini facta est*, *penitus abdicandas esse decreverunt*, *sic illi non mediocriter erraverunt*, *qui eas non solum coli*, *&* *adorari*, *&* *sanctas nuncupari sanxerunt*, *verum etiam sanctimoniam ab eis adipisci professi sunt*. Et ista quoque, quam calumniose ingerantur, cum de objectionibus in eam Synodum illatis tractatum est, ostendimus, deinde. *Et ut id esse verum*, *quod nitebantur astruere*, *demonstrarent*, *quædam sanctarum scripturarum testimonia*, *&* *sanctorum Patrum dicta*, *ad suum superstitiosum errorem confirmandum violenter sumpserunt*, *&* *eidem suo operi incompetenter aptaverunt*, *quoniam non eo sensu*, *quo dicta*, *nec eo intellectu*, *quo a sanctis Patribus exposita*, *ab illis esse produntur prolata vel intellecta*. *Eamdem porro Synodum cum sanctæ memoriæ genitor vester coram se*, *suisque perlegi fecisset*, *&* *multis in locis* (*ut dignum erat*) *reprehendisset*, *&* *quædam capita quæ reprehensioni patebant*, *prænotasset*, *ea per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxisset*, *ut illius judicio* *&* *auctoritate corrigerentur*. Falli rursus adversarii convincuntur in eo, quod ajunt a Carolo quædam Synodi septimæ loca reprehensa: nam constat non ab ipso Carolo objectiones excogitatas fuisse, sed ab aliis sibi propositas ad Hadrianum misisse, in quem isti e malo stomacho rursus hæc evomunt, dicentes. *Ipse Hadrianus rursus favendo illis*, *qui*

JESU CHR. AN. 825.

JESU CHR. AN. 825. *qui ejus instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere quae voluit, non tamen quae decuit, conatus est. Talia quippe quaedam sunt, quae in illorum objectionem opposuit, quae remota Pontificali auctoritate, veritati & auctoritati refragantur. Sed licet in ipsis objectionibus aliquando absona, aliquando inconvenientia, aliquando etiam reprehensione digna testimonia defensionis gratia proferre nisus sit, in fine tamen ejusdem Apologiae sic se sentire, & tenere, & praedicare, ac praecipere de his quae agebantur, professus est, sicut a beato Papa Gregorio institutum esse constabat. Quibus verbis liquido colligitur, quod non tantum scienter, quam ignoranter in eodem facto a recto tramite deviaverit. Nisi enim in conclusione objectionum suarum retinaculis veritatis, beati scilicet Gregorii institutis astrictus, iter devium praecavisset, in superstitionis praecipitium omnino labi potuisset.* Media in luce excoecutiisse, tum ea, quae de Hadriani epistola suo loco adnotavimus, cum ea quae de Gregorii epistola ad Serenum Massiliensem Episcopum diximus, aperte demonstrant; itaque lectorem ad dicta ibidem delegamus: Quid Ludovico pio, qui sibi sapientes esse videbantur, insipienter consuluerint, videamus, nam addunt. *Nos igitur pro captu ingenii animadversis & intellectis, ut plenius etiam nobis cuncta patefacerent, fecimus epistolam vobis relegi, quam nobis Legati Graecorum anno praeterito detulerunt. Venerabilis namque Freculfus Episcopus subtiliter, prudenterque qualiter ipse & Adegarius socius illius de hac re cum domno Apostolico & cum venerandis Episcopis, & ministris illius egissent, viva voce parvitati nostrae innotuit. Sed cum prudenti relatu illius cuncta cognovissemus, qualiter partim veritatis ignorantia, partim pessimae consuetudinis usu, hujus superstitionis pestis illis in partibus inolevisset, & priora & posteriora studiosissime considerassemus: intelleximus, quantum nobis res patuit, quo zelo ad haec consideranda vestra sancta devotio excitata fuerit. Non enim ignoramus animum vestrum magno taedio posse affici, cum illos a recto tramite, quoquo modo conspicitis deviare, qui summa auctoritate praediti deviantes quosque debuerant corrigere. Illo nempe zelo accensi estis, de quo B. Paulus Apostolus dicit: Quis scandalizatur, & ego non uror?*

Cum

Cum enim duos in periculo constitutos perspexistis, & a via regia declinantes, unum scilicet ad sinistram in abruptum confringendarum imaginum prolapsum, alterum vero ad dexteram in superstitiosam videlicet earumdem imaginum adorationem proclivem: voluistis vos affectu pietatis medium opponere, & utriusque partis morbo salutiferam medicinam conferre. Sed quoniam maximum vobis in eo obstaculum erat, eo quod pars illa quæ debebat errata corrigere, suaque auctoritate hujusce superstitionis errori obniti, ipsa prorsus eidem superstitioni non solum resistere, verum etiam incauta defensione, contra auctoritatem divinam, & sanctorum Patrum dicta nitebatur suffragari: aperuit vobis Dominus ostium juxta optatum vobis desiderium, ut licentia vobis ab eadem tribueretur auctoritate, tantæ rei cum vestris quærendi familiariter veritatem: ut quoniam inerat vobis voluntas consulendi, & deerat auctoritas quærendi: ejus auctoritate quæreretis veritatem, cujus auctoritas deviare videbatur ab ipsa veritate, quatenus sancto vestro desiderio & vigili studio veritas patefacta, dum se in medium ostenderet, etiam ipsa auctoritas volens, nolensque veritati cederet, atque succumberet. Verum quoniam fratrum salus non est negligenda, & eminens auctoritas non est facile reprehendenda, visum est extremitati nostræ, ut omnis vestræ serenitatis sermo ad illos specialiter ex Apostolicarum auctoritate litterarum dirigatur, quorum primum causa ad hæc quærenda estis excitati, & quicquid reprehensionis in utrisque partibus dignum cognoscitur, ad illorum personam potius referatur, qui libere admoneri possunt, & quorum scandalum, si pro veritate ortum fuerit facilius tolerari potest.

Jasu Char. an. 825.

3. Et iterum qua ratione hæc Romano Pontifici suggerenda essent, hæc adnotat. *Credimus itaque quod illos reprehendendo, illisque compatiendo, istos vero demulcendo, laudando, & preferendo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ condignam laudem deferendo, veritatem ex testimoniis sanctarum scripturarum & sententiis sanctorum Patrum in medium proferendo, & veraciter sobrieque exponendo, poterit vestra sanctissima devotio sicut optat, utrisque consulere. Sic quippe refragator vinculis veritatis modo blandiendo, modo honorando, modo secundum rationem veritatem demonstrando subtiliter adstrictus, non audebit aliter docere, quam quod veritas habet, nec poterit aliter tenere, quam quod veritas habet, nec aliter tentare, quam quod veritatis documen-*

Qua ratione Eugenio Papæ hæc suggerenda essent.

JESU CHR. AN. 825.

to aliis tenendum tradiderit. Tali nempe modo visum est nostræ mediocritati, ut utriusque partis saluti commodissime prodesse, magnamque vobis a Domino remunerationem hujus rei gratia præparare possitis. Credimus sane, quia quamquam aliqua ex parte superstitiosam consuetudinem forte vendicare velint, nullatenus tamen ab eadem Sede aliter quam auctoritas & veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur siquidem potestatem vestram, auctoritatem Sedis, & testimonia veritatis. Cum igitur a vestra sancta devotione ita peracta fuerint, licet (quod non optamus) in aliquo, aut isti, aut illi deviare voluerint, & vestram saluberrimam admonitionem, quæ tota ex auctoritate veritatis profertur, audire contempserint, non minor id vobis a Domino recompensatio fiet, quia totum, secundum verba Heliæ Prophetæ, quod vestrum fuit, facere studuistis. Ita viri prudentes, quibus cum tantum data fuerit a Romano Pontifice inquirendi facultas, definierunt isti, sententiamque protulerunt non solum adversus epistolam Hadriani, sed etiam in ipsam Oecumenicam septimam Synodum, & quid de imaginibus sentiendum sit, ipsi primæ sedi legem præscribere studuerunt. Quid vero in iis colligendis ipsi egissent, his verbis narrant. *Nos denique servi vestri, sicut superius præmissum est, in unum convenientes, & de nobis injunctis pro captu intelligentiæ nostræ familiariter conferentes, testimonia ex auctoritate divina, & sententias sanctorum Patrum, quas, prout temporis angustia permisit, collegimus, & coram nobis legi fecimus, & quicquid cum his de negotio de quo agetur necessarium aptumque judicavimus, in unum congerere studuimus, vestræque Imperiali potentiæ per venerabiles viros Halitharium, & Amalarium dirigere præsumpsimus, ut videlicet vestra a Deo vobis collata sapientia ex his eligat quicquid necessarium, dignumque ad idem negotium pertinens judicaverit. Obsecramus itaque humiliter abundantissimam pietatem vestram, ut non nobis adscribatur quicquid ibi minus, aut indecens, aut aptum inventum fuerit. Vere enim fatemur, quia angustia temporis præpediente, nec quanta potuimus, collegimus, sed tantum vestris sacris jussionibus, ut decet, & oportet, totis nisibus parere cupientes, quæ parvo in tempore ad manus nobis occurrere potuerunt, breviatim collegimus, & huic operi usque ad vestram sagacissimam examinationem inseruimus. Nam quidam nostrorum de longe venientes non habuerunt spacium temporis quærendi,*

di, quidam vero nec causam pro qua ad hunc conventum venire jussi sunt, donec pervenerunt veraciter nosse potuerunt. Moduinus namque infirmitate, qua diutissime laborat, detentus venire nequivit. Scit itaque plenissime excellentia vestra, quia illud quod per omnes Catholicorum libros indagari necessitas urget, prolixi temporis spacio ad legendum indiget. Nam si sufficiens spacium temporis nobis tributum fuisset, tanta Domino opitulante, poteramus colligere, quæ huic operi copiose poterant abundare. Tamen in his quæ collecta sunt, summam hujus negotii, de quo agitur, discrete comprehensam esse, juxta auctoritatem divinam, & sanctorum Patrum sententias, arbitramur, ita videlicet, ut unusquisque fidelis ea perlegens, animadvertere queat, quod imagines Sanctorum stulta præsumptione non sunt confringendæ, & ad iniuriam Sanctorum abolendæ & penitus despiciendæ: Nec assertione superstitiosa colendæ, aut adorandæ, sed potius hujuscemodi superstitione remota, juxta veram religionem, memoriæ & amoris causa ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ, sicut a beatissimo Gregorio satis catholice perspicue dictum declaratur.

4. At nec ipsis Romanis Pontificibus aliud retinere atque servare, quam quæ a sancto Gregorio de his scripta & facta esse noscuntur, semper in consilio fuit & opere, quæ isti non percipientes, cum pugnant, aerem verberant, dum hæc alia adnotant. *Quia igitur nos his, qui in sacra Sede Petri Apostoli resident, dignam honoris reverentiam jure tribuendam non dubitamus, & illorum erga imagines superstitiosam venerationem quidam visu, omnes vero aliorum relatu cognoscimus: voluimus primum contra illos sententias ponere, qui imagines præsumptuosa temeritate confringere præsumpserunt, quatenus inde isti animati, aliorum errata valentius vobiscum corrigerent, & ad suam superstitionem cognoscendam veritatis testimonia suscipienda animum facilius flecterent. Sicut igitur nobis videtur, & superius præmisimus, aperte sermo vestræ correctionis contra illos usque quaque dirigi potest, a quibus vobis illa epistola quam relegimus, directa esse cognoscitur: quoniam ejus textu utramque partem reprehensione dignam demonstravit, & illam scilicet quæ indebito & superstitioso cultu imagines venerabatur, & illam quæ ab inferioribus locis easdem imagines evertere & delere præcepit: & ideo credimus, quamquum cætera alia secundum auctoritatem veritatis, sicut in suis scriptis continetur,* Consilium subdolum.

Z 2 *idem*

JESU CHR. AN. 825. *idem Imperator fecerit, propter hoc tamen factum quosdam illarum partium infirmos scandalizasse, nec non quosdam nostræ Urbis Romanæ perturbasse*; Hæc illi, quibus salutationem, addentes prospera cuncta Ludovico augurantur.

Collatio Parisiensis in lucem edita.

5. Hæc ubi primum anno 1596. absque auctoris nomine Francofordii prodierunt, ex ignota prorsus Bibliotheca, in Romanæ ecclesiæ odium conficta & in vulgus edita esse, non levis suspicio fuit, eaque Bellarminius, tamquam Parisiensi synodo falso inscripta, confutavit, at cum ex aliis postea Codicibus eadem scripta catholici etiam scriptores vulgaverint, nec de eorum veritate dubitandi locus superfit, id modo dicendum superest, nimirum Gallicanos illos Episcopos, tota via errasse, cum quæstionem tunc de imaginum cultu agitatam non intellexerint, ac adorationis vocabulo perterriti, eumdem imaginibus cultum, ab Romana Ecclesia, & a Synodo Nicæna secunda tributum fuisse falso autumantes, imagines quidem retinendas esse contra Græcorum errorem decreverunt, at eas nequaquam adorandas, alioque cultu colendas esse dixerunt; ne in idololatriam labi viderentur. Eamdem nihilominus, quam professi fuerant hactenus fidem circa Sanctorum cultum, invocationem, & intercessionem apud Deum retinuerunt, quin majori etiam zelo eorum reliquias non solum servarunt, ac undique quæsitas solemni pompa eodem tempore transtulerunt. Neque omnium, sed aliquot tantum Galliæ Præsulum fuit illa sententia, & sane cum Claudius Taurinatium Episcopus hoc tempore Græcorum errorem sequens, imagines Sanctorum in sua Diœcesi deponere præsumpsisset, nullibi quam in Galliis alacriores passus est adversarios; Theodomirum scilicet Abbatem, Dungalum, Jonam Aurelianensem Episcopum, Valafridum Strabonem, aliosque, qui etsi imagines nequaquam adorandas esse cenlerent; cum veneratione tamen, eas retinendas esse censebant; ita ut teste Valfrido. *Non sunt omnimodis honesti, moderati imaginum honores abjicendi*. Cum tamen hæc ibidem in eo conventu collecta, ac Ludovico pio oblata, Iconoclastis favere viderentur, inter Gallicanas synodos, neque Sirmondus, neque Labbeus edidere, & Harduinus in sua conciliorum editione hæc de hujusmodi retantum adnotavit.

Harduini adnotatio.

6. *Hanc illorum collectionem, cum epistola, quam Eugenii Papæ ad eosdem Imperatores nomine concinnatam, cum accepisset Ludovicus, unamque mox Romam misit ad Eugenium*

cum

tum altera privata epistola sua, quam nos solam hoc loco cum subdito ad Episcopos Romam misso commonitorio edendam censuimus: ceteris, quæ in hujus conventus actis continentur prætermissis, quod Gallorum ejus seculi ab imaginum adoratione, ut alias dictum est abhorrentium hæresim redoleant &c. Multæ quippe causæ suæ, ut putabant, faventes, ibidem Gallicani Episcopi collegerunt, ac ad Imperatorem miserunt, quæ utpote fusiori stylo digesta, brevitatis studio præterimus, ait Harduinus, formulas scilicet litterarum, quas pro ineunda concordia ad Eugenium Romanum Pontificem, & ad Michaelem, & Theophilum Imperatores Ludovicus scribere debuisse, quibus etsi Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem, debito honore, Primatuque in Ecclesiis non fraudaverint, multa nihilhominus in iis Romano Pontifici indigna inseruerunt; ut cum nullius momenti quæstionem in Oriente de imaginum cultu excitatam fuisse tradunt; quam pacis charitatisque servandæ causâ, Romanus Pontifex præterire potuisset; Imperatorem maxime pium, humana prudentia fallentes, cum ea scribere suggesserunt, quæ non solum Romano Pontifice indigna fuissent, sed etiam errores admixtos haberent, dum aperte synodum Nicænam rejicerent, abolerique optarent.

JESU CHR. AN. 825. Concil. tom. 4. pag. 1258.

7. His autem acceptis Ludovicus pius pro insita sibi pietate, ad Eugenium Pontificem litteras in Romanam Ecclesiam obsequii sui testes, his verbis dedit. *Quia veraciter nos debitores esse cognovimus, ut his quibus regimen Ecclesiarum, & ovium Dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem & auxilium pro qualitate virium nostrarum, & intellectus nostri capacitate feramus, idcirco prætermittere nequivimus, quin tunc quando Legati Græcorum nobis manifestaverunt, qualem ad vos deberent perferre legationem, summa cura ac sollicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc a vestra sanctitate petivimus, ut sacerdotibus nostris liceret de libris sanctorum Patrum sententias quærere, atque colligere, quæ ad eamdem rem, pro qua iidem Legati vos consultari erant, veraciter definiendam, convenire potuissent. Quas cum illi juxta concessam etiam a vobis licentiam solerter inquirerent, & divina opitulante gratia, quicquid invenire tam brevi temporis spacio potuerunt, colle-*

Ludovici pii epist. ad Eugenium Papam.

JESU CHR. AN. 825. *legissent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea vestræ sanctitati legenda atque examinanda per hos Legatos nostros Hieremiam, ac Jonam venerabiles Episcopos mittere curavimus, cum quibus, si vestra paternitas dignum duxerit, de eadem legatione, quæ in Græciam a vobis mittenda est, non inutilem, sed potius proficuam collectionem habere potestis, quia & in sacris sunt litteris admodum eruditi, & in rationibus disputatoriis non minimum exercitati. Quos non ob hoc ad vestræ almitatis præsentiam cum memoratis sententiarum collectionibus misimus, ut hic aliquo velut magisteri officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur quia jam, sicut commemorati sumus, nos debitores existere, ut huic sacratissimæ Sedi in quibuscumque negotiis auxilium ferre debeamus, ideo & hos Missos, & quas deferunt litteras, si quid vobis adjutorii conferre potuissent, mittere dignum duximus. Hos vestræ sanctitati commendamus, & ut benignam apud vos receptionem, & familiariter vobiscum loquendi locum inveniant. Novit quippe sanctitas vestra, qualiter populus Græcorum in hac imaginum veneratione divisus sit. Ideo rogamus, ut almitas vestra curam & diligentiam adhibere dignetur, quomodo per vestram saluberrimam doctrinam, atque admonitionem magis ad concordiam & unitatem revocetur, quam propter hoc ad majorem discordiam & dissentionem impellatur. Et ideo cautissime considerare debetis, ut legatio vestra, quam illuc dirigere disponitis, tanta prudentia, tantaque moderatione fulta sit, ut a nemine, neque a Græco, neque a Romano juste valeat reprehendi, sed talis sit, qualem semper decet in omnibus causis ab ipsa sacratissima sede proficisci. Et si vestræ sanctitati placet, ut pro hac ipsa legatione Missi nostri simul cum vestris in illas partes dirigantur, & hoc nos tempore congruo scire permittite. Et non solum hoc, sed etiam si ituri sunt, ubi, & quando cum vestris Missis se jungere debeant. Non ideo tamen de nostris Missis illuc dirigendis interrogamus, quasi necessarium nobis videatur, aut nos vestros Missos hanc legationem per se perficere dubitemus, sed potius propter hoc eos vobis offerimus, ut sciatis nos in omnibus esse paratos, quæ hujus sacratissimæ Sedis necessitas aut voluntas postulaverit. Oramus sanctam & venerabilem paternitatem vestram semper in Christo bene valere, & nostri, ac nostrorum omnium in sacrosanctis orationibus me-*

meminisse, sanctissime ac beatissime Pater. Hucusque ad Eugenium Papam Ludovicus Imperator. JESU CHR. AN. 825.

8. Tunc etiam ipsis Legatis ejusmodi litteras commonitorias dedit de his, quæ ad functionem muneris injuncti spectarent.

Ludovici Imp. ad Legatos Romæ mittendos admonitio.

Jeremiæ, & Jonæ venerabilibus Episcopis in Domino salutem.

Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi octavo idus Decemb. deferentes collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id propter quod collectæ sunt, necessariæ atque utiles a nobis judicantur, sub omni celeritate censuimus dirigendas. Idcirco admonendo præcipimus solertiæ vestræ, ut priusquam de his aliquid domno Apostolico indicetis, diligenti cura eadem vos recensere curetis, & ea, quæ melius & aptius præsenti negocio convenire inveneritis, excerpere atque describere, illique ad legendum offerre studeatis. Quia enim (ut nostis) nos ab eo petere voluimus licentiam, quatenus has collectiones a sacerdotibus nostris fieri permitteret; & ideo non potuit prætermitti, quin ostendatur quod ex ejus permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea de his illi ostendatis, quæ rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniunt, & quod ipse, vel sui minime reijcere valeant. Sed & vos ipsi tamen patienter ac modeste cum eo de hac causa disputationem habeatis, ut summopere caveatis, ne nimis ei resistendo, eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis, sed paulatim verbis ejus quasi obsequendo magis, quam aperte resistendo ad mensuram, quæ in habendis imaginibus tenenda est, eum deducere valeatis. Et ideo potius efficere contendatis, ut negotium de quo agitur, ad meliorem, quam ad pejorem statum, cum Dei adjutorio perducatur. Postquam vero hanc rationem de earumdem imaginum causa consummaveritis, si tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permiserit, ut ratio inter vos habita aliquo bono & convenienti fine claudatur, & ille vobis indicaverit, quod Legatos suos ob eamdem causam in Græciam mittere velit: volumus ut eum interrogetis si ei placeat, ut nostri legati pariter cum suis in Græciam pergant, et si hoc ei melius visum fuerit, seque hæc omni-

no

no velle responderit, tunc volumus, ut sub omni festinatione litteris vestris a vobis ad nos directis, nos inde certos faciatis, simulque & de vestro adventu ad nos, ut eo tempore, quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Haligarium & Amalarium nobiscum inveniatis. Vos autem cum domno Apostolico considerate, ubi ille, vel quando velit, ut sui, ac nostri Legati ad naves conscendendas se jungere debeant. Et hoc nobis per vosmetipsos, cum, Deo volente, veneritis, annuntiare potestis. Hactenus Legatis suis data admonitio ab Ludovico Imperatore, qui quidem suorum consiliariorum imperitia, ne dicam nequitia, ferme in trasversum actus est, sed Deus eum cadere non permisit. Qua in re mali ipsius consiliarii arguendi sunt magis, ut qui post Oecumenicum Nicænum Concilium, post Romanum alterum, ad quod convocati sunt (ut dictum est) doctiores Episcopi Gallicani, postque alias itidem Synodos Romæ habitas ea de re adversus Iconoclastas, post tot decretales epistolas Romanorum Pontificum, post Hadriani Papæ adversus eosdem Gallos apologiam ad Carolum Magnum missam, post rescissa Acta illa Francofordiensis Synodi, quibus ab eis impugnatus esset idem cultus imaginum, post etiam (ne hoc prætermittamus) Orthodoxorum Orientalium doctissima scripta, & per tot Confessores effusum sanguinem, atque consummata martyria, post denique consensum quatuor sedium Patriarchalium, totiusque Catholicæ Ecclesiæ, ipsi adhuc suæ ipsorum pertinaciæ immobiles hactenus inhærerent, & alios, ipsamque Apostolicam Sedem, si licuisset, eumdem secum in errorem adducere adeo laborarent. Quod autem ad Eugenium Pontificem spectat, certum est nec minimum quidem deflexisse a majorum suorum confirmata traditione, scriptisque sententia. Immo, ut vero proximum est, ea, qua par erat severitate redarguisse Legatos dici potest, cum numquam post hæc reperiantur ipsi, vel alii Occidentalis Ecclesiæ de ea causa, vel verbum fecisse. Licet enim quæ transacta sunt Romæ, cum Legati convenere Pontificem, haud scriptis posita reperiantur; tamen nihil per Eugenium Papam innovatum esse certo certius affirmatur. Quomodo enim non toto orbe terrarum vulgatum fuisset, atque ore omnium conclamatum, tam in Oriente, quam in Occidente, & a Catholicis, & ab hæreticis, si Eugenius Papa ex quorumdam Gallorum persuasus scriptis,

se-

ſeptimam Oecumenicam Synodum condemnaſſet, & Hadrianum una cum omnibus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus eam confirmantibus pari ſententia affeciſſet? Sequenti autem anno Eugenium Pontificem ad Ludovicum Imperatorem legatos ſuos miſiſſe, Francorum Annales ſub eodem Ludovico conſcripti teſtantur, quid tamen ea legatione actum ſit, incertum eſt, veriſimile valde videtur, ad hoc eam legationem ab Eugenio in Galliam miſſam fuiſſe, ut ab aſſertis erroribus Ludovicum revocaret. Prædeceſſorum quippe ſuorum veſtigiis Eugenium Papam inhæſiſſe ex præfatione ad ſeptimam Synodum Anaſtaſii Bibliothecarii ad Joannem octavum Romanum Pontificem certiſſimum eſt, dum ab eo aſſeritur, inconcuſſam ſemper manſiſſe Apoſtolicæ Sedis de cultu ſanctarum imaginum religioſam traditionem, ut idem Anaſtaſius adnotat, ac addit Gallorum aliquos ad ſua uſque tempora in eodem errore perſeveraſſe, quorum pertinaciam Romanorum Pontificum ſollicitudo vincere nequaquam potuerat.

Catholici Orientales Gallorum ſcripta rejiciunt.

7. An autem in Orientem ad Michaelem Imp. profecti ſint Ludovici legati, ſicuti ſtatuerat, ac Eugenio Papæ declaraverat, non conſtat, Gallorum tamen ſcripta, ſive per legatos Ludovici, aut per alios per Orientem vulgata quidem, ſed eamdem ibi qualem in urbe, & alibi ſortem habuiſſe compertum eſt; rejecta quippe fuere, & confutata, cum non eam ſacris imaginibus venerationem deferrent, quam per orbem ſparſa eccleſia deferebat; Id enim diſerte teſtatur Theodorus Studita in epiſtola ad Nicetum Monachum, a quo Gallorum ſcripta receperat. *Quem ſanctitas veſtra per religioſiſſimum Metropolitam ad nos librum miſit, legimus; & profecto qui hunc ſcripſit in venerandarum imaginum dogmate non recte ſentit*; dum ſcilicet rudibus tantum pro inſtructione imagines utiles eſſe docebat, quibus veneratio non debebatur, ut ibidem Theodorus adnotat, quare poſt aliqua ſubdit. *Repugnat ergo vir egregius ſacris ſcripturis, ſicut & ſummo Patri, ideſt Romano Pontifici; & dum alium in hoc ipſo dogmate corrigere ſtudet, ipſe frivola dixiſſe deprehenditur, & ob hanc cauſam tales nugas nos quidem omnino reijcimus &c.* Hæc, & alia ibidem Theodorus, qui ad Joannem Joannicium etiam dictum, inter Eremitas celeberrimum, litteras hoc anno

JESU CHR. AN. 825. no dedit, de reditu ad fidem Catholicam Theotisti eremitæ; ad ipsum vero Theotistum, quem litteris suis ad resipiscentiam excitaverat, cum pœnitentiæ & rectæ fidei libellum Theodoro misisset, altera data epistola, fidei formulam, cui coram Joannicio, subscribere debebat, misit; ut ibidem videre est.

Gallis Episco. pi ab hæresi, aut schismate vindicantur.

8. Ceterum etsi in maximi momenti quæstione cum Romano Pontifice, & Catholica Ecclesia circa cultum, & venerationem sacris imaginibus exhibendam dissiderent Galliarum Episcopi; Nihilominus haud eo progressa res est, ait Baronius, ut vel isti ob eam causam separaverint se a communione Catholicæ Rom. Ecclesiæ, vel Pontifex eos ipse privaverit, nec illi quidem contentiosum funem animo adeo obstinato traxere, ut aliquid præter illa, quæ dicta sunt adversus cultum sanctarum imaginum scriberent, redarguerent, & more hæreticorum studiis indefessis, animo obstinato contenderent, sed magis in eadem Ecclesiæ Catholicæ communione connexi, uno eodemque capiti juncti, bellum adversus Iconomahos converterunt: hucusque Baronius, quod ex gestis, scriptisque Gallorum adversus Claudium Taurinensem Episcopum confirmat, atque ex dicendis infra patebit; Interim adnotare juvabit, eos quidem Nicænæ synodo secundæ, sub Constantino & Irene, tempore Hadriani Papæ primi celebratæ adversatos fuisse, sed errore facti, dum adorationis vocabulo scandalizati eumdem imaginibus cultum ab eadem tributum fuisse censebant, quem Deo soli debitum esse sciebant, dum vero nullo imagines cultu, vel obsequio prosequendas esse dixerunt, de cultu imaginibus exhibendo intelligendi sunt, qui in iis quasi venerationis obiecto consisteret, non vero de cultu, vel veneratione, quæ ad prototypa refertur, quin omni execratione dignos eos censebant, qui quovis prætextu imagines deponerent, infringerent, aliave iniuria afficerent; eosque verbis quidem, scriptisque hæresim docuisse constat, re tamen & mente hæreticos nequaquam fuisse. Hinc factum, ut etsi eorum scripta ab Eugenio Papa minime probata fuerint; nullibi tamen hoc, vel sequenti tempore, in auctores anathematis sententia lata est, quin defervescente disputationis æstu, eumdem cum Romana, & Catholica ecclesia sacris imaginibus Gallicana quoque ecclesia cultum detulit; Sed de celebri hactenus quæstione tunc in Galliis circa imaginum cultum agi-

agitata, plura dabit in annalibus hoc & sequentibus annis Cointius; meliora etiam Mabillonius præfatione ad acta Ord. S. Benedicti secul. 4. §. 3. Nat. Alex. secul. 8. differt. VI. 5. 9. & 10. Jesu Chr. an. 825.

9. Hactenus vero breviter dicta, ex gestis, scriptisque adversus Claudium Taurinensem Episcopum clariora fient. Hic porro natione Hispanus cum in Gallias transiisset, in aula Ludovici pii aliquandiu fuit, sacris humanisque litteris eruditus, Palatinæ scholæ Præfecturam obtinuit, Presbyter vero ordinatus in omnes fere sacræ scripturæ libros, Genesim scilicet, Exodum, Leviticum, libros Ruth; Regum, Psalmos, Evangelium Mathei, ac Epistolas fere omnes S. Pauli commentaria edidit, ac viris doctrina, & pietate clarissimis, quorum amicitia fruebatur, inscripsit, ideft Theodomiro Psalmoti abbati, in Genesim, Exodum, & Leviticum, Justo etiam Abbate Carrofensi commentarium in Mathæum tribus libris distinctum, Dracteramo Abbati in epistolas plures D. Pauli; ad Ephesios vero Ludovico Imp. Quare doctrina excellens, virisque clarissimis amicitia conjunctus, ac pietatis speciem retinens Taurinensis Ecclesiæ præfecturam circa annum 829. obtinuit; at Episcopali dignitate ornatus, ut tamquam lucerna supra candelabrum posita, gregi commisso luceret, pro luce tenebras effudit, etenim Adoptianorum hæresim, utpote Felicis Urgellitani Episcopi discipulus e cineribus revocare conatus est, omnem præterea S. Cruci, sacrisque imaginibus cultum negavit, quas etiam in sua Diœcesi deponere jussit, ut narrat Jonas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum; *Idem Felix, ait, in quodam discipulo suo nomine Claudio, ut pote Euphorbus in Pithagora, renascitur, is exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod temporis in Palatio memorati gloriosissimi, ac serenissimi, Deoque amabilis Augusti in officio Præsbyteratus militavit, sed ut aliorum utilitati doctrina prædicationis Evangelicæ, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius Principis clementia Præsul Taurinensis subrogatus est ecclesiæ*, et iterum. *Is namque* ideft Ludovicus Imperator *dilectissimus Princeps inter cætera bonitatis suæ studia erga divinum cultum amplificandum multiplici modo ferventior, quemdam præsbyterum natione Hispanum, nomine Claudium, qui aliquid temporis in palatio suo in presbyteratus militaverat honore, cui in explanandis sanctorum Evange-*

De Claudii Taurin. Episc. studiis & gestis.

Jesu Chr. an. 825.

geliorum lectionibus, quantulacumque notitia inesse videbatur, ut Italicæ plebis, quæ magna ex parte a sanctorum Evangeliorum sensibus procul aberat, sacræ doctrinæ consultum ferret, Taurinensi præsulem subrogari fecit Ecclesiæ, sed quam pestiferum dogma, & ab Ecclesiæ auctoritate abhorrens in plebem sibi trasfuderit commissam, libellum, quem ad Theodomirum venerabilem Abbatem, se charitate imperante, corrigentem, eumque a superstitiosa doctrina avertere volentem scripsit, eumdem legere & nosse volentibus, patenter demonstrat. In quo inter alia ista leguntur: *Hæc autem*, inquit, *idcirco pervenit, quia postquam coactus suscepi sarcinam pastoralis officii, missus a pio principe sanctæ Dei Ecclesiæ filio Ludovico, veni in Italiam, civitatem Taurini, inveni omnes basilicas, contra ordinem veritatis sordibus anathematum, & imaginibus plenas. Et quia quod homines colebant, ego destruere solus cœpi, idcirco aperuerunt omnes ora sua ad blasphemandum me, & nisi adjuvasset me dominus, vivum deglutissent me.* Hæc Claudius Iconoclasta, quibus indicat Taurinenses cives, ob depositas ab eo imagines, tanta in eum ira exarsisse, ut vivum quodammodo deglutire minati fuerint, atque ipse fidei clamor, quænam ibidem erga imaginum cultum religio esset, aperte docet, quas ideo sibi auferri, pati non potuit Taurinatium religio.

Claudii Apologeticum adversus Theodomirum.

10. Claudius itaque Episcopus ordinatus anno circiter 823. commentario in Leviticum edito, ac Theodomiro Abbati inscripto, hæresis Iconoclasticæ venena inseruerat, quæ cum pluribus scandalo essent, ut ea corrigeret, datis litteris Theodomirus cum eo amicitia conjunctus, admonuit; at Claudius, amici spreta admonitione, Apologeticum pro hæresi tuenda adversus Theodomirum vulgavit, quod ipse duobus libris, qui deperditi sunt, confutavit, ut ex Jona scimus; Theodomiro autem paulopost e vivis sublato, Dungalus monachus Claudii apologeticum circa annum 827. iterum confutavit, opusque suum Ludovico, & Lothario inscripsit, eoque Claudii verba referens, sacræ scripturæ textibus, sanctorumque Patrum auctoritate, S. Cruci venerationem & cultum exhibendum esse docet, sicuti & sanctorum imaginibus, & reliquiis, etsi iis cultus Deo debitus non debeatur; quo loco peregrinationes ad loca sancta, utpote in sanctorum reliquias, venerationis indicia, laude digna

gna contra Claudium, demonstrat; atque hæc dum adhuc Claudius viveret, quem hæreticum, & schismaticum dicere non dubitavit Dungalus, eumque hactenus ab Episcopis toleratum, nec anathemate percussum fuisse, mirari se ait; Quanta autem sanctam Crucem, Sanctorumque imaginines, vel reliquias veneratione Dungalus prosequeretur in fine libri his verbis adnotat. *His ergo omnibus superius comprehensis certissime, & evidentissime patet picturas sanctas, & sanctam domini Crucem, & sacras electorum Dei reliquias, dignis, & congruis honoribus a catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non ut sacrificando eis, divinus honor, & cultus soli Deo omnium creatori debitus sit a quoquam deferendus, sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua, sancta insignia, & venerabilia vasa, prout decet, singula eorum a fidelibus & religiosis, salva fide, & non ficta honorentur, & amplectantur.* Hæc ibidem Dungalus; de quo iterum ad annum 829. nonnulla adnotabimus, cujus sane sententia cum iis, quæ Catholica docet Ecclesia de Sanctorum cultu, eorumque imaginibus conciliari facile potest, neque ab iis differt, quæ tum Hincmarus Remensis Episcopus, & Valafridus Strabo, idem argumentum tractantes docuerunt; Hinc cum Agobardus, Jonas Aurelianensis, Parisiensis, vel Francofordiensis synodus, nullam sanctorum imaginibus venerationem exhibendam esse dixerunt, disputationis æstu abrepti, minus caute locuti sunt, vel saltem privatam eorum, non Ecclesiæ Gallicanæ sententiam potulere.

Jonas Aurelian. Episc. contra Claudium scribit.

11. Post Dungalum monachum, Jonas Aurelienensis Episcopus Claudii Apologeticum confutavit circa annum 840. Claudio jam vita functo; quem etiam ante Jonam Agobardus Lugdunensis Episcopus confutaverat. De Claudii Apologetico, hæc adnotat Jonas. *Memoratus denique libellus*, Apologeticus ipse dictus, *eidem domino nostro, genitori vestro sincerissime ac religiosissime Orthodoxam Fidem colenti, ob defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ab eodem Claudio, sicut textus suarum litterarum prodit, hostiliter impugnabatur, delatus est. Qui ab eo suique palatii prudentissimis viris examinatus, justo judicio est repudiatus. Quem licet ego non legerim, nec viderim, quoddam tamen ex eo excerptum, eodem genitore vestro mittente, suscepi, præcipiens, admonens memoratus Deo ca-*

rus

JESU CHR. AN. 825. *rus Cæsar, ut ad refellenda, & improbanda ejusdem Claudii quæ in eodem excerpto perversissima continebantur dicta, & in blasphemiam, vituperationemque sanctæ Dei Ecclesiæ irreverenter erant jaculata, secundum tenuitatem sensus mei) nullatenus rescribere omitterem. Cujus jussioni libentissime parens, prout Deus posse dedit, & facultas temporis sivit, quoddam opusculum digerere cœperam, & magna ex parte digesseram. Sed audiens, eumdem Claudium juxta humanam conditionem ultimam clausisse diem, ab eodem opere perficiendo stylum meum feriandum statui. Rebar enim, quod illo moriente, pariter ejus error non comparuisset secundum Domini sententiam dicentis: Delebo memoriam de Amalech sub cœlo: nibilominus memoria illius perversæ doctrinæ deleta fuisset in omnium virorum prudentium pectore. Sed quia, ut relatione veridica didici, non modo error de quo agitur in discipulorum suorum mentibus reviviscit, quin potius, eo docente, hæresis Ariana pullulare deprehenditur, de qua fertur quædam monumenta librorum congessisse, & ad simplicitatem, puritatemque Fidei Catholicæ & Apostolicæ oppugnandam in armario Episcopi sui clandestina calliditate reliquisse: non sum ausus, quin monitu & hortatu filiorum sanctæ Dei Ecclesiæ, opus quod prætermiseram, enucleatim discutiendum repeterem, ec.* atque hæc ad Lupum Ferrarienfem Abbatem misit, ab eoque petiit, num probaret, vel emendatione digna censeret, cui Lupus rescribens, nil laude, vel vituperatione dignum adnotare voluit. *Librum vestrum, sicut rogasti excurrimus. Sed ut parcissime dicumus, immutare in eo nihil voluimus, ut operis vestri sitis ipsi correctores, cujus estis auctores: Siquidem expendenda nobis fuit tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac ordinis vestri habenda consideratio, nec facilitatem ac delectationem quemdam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus debuimus imitari.* Hæc Lupus, cujus aliæ plurimæ ad eumdem Jonam extant epistolæ; Eginhardus autem librum de adoranda Cruce inscriptum ad eumdem Lupum misit, quo accepto, opus his verbis probavit. *Libellum de adoranda Cruce, meo judicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit amplexus sum.* Eginhardo autem occasionem scribendi de Crucis adoratione Claudium dedisse, qui omnem eidem venerationem abnegabat, dubitari vix potest; at de Claudio hæretico, ejusque hæresi hæc satis sint, cujus opuscula, si pau-

pauca excipias a Mabillonio edita, manuscripta in bibliothecis delitescunt, quorum catalogum post Caveum, recenset Odinus, ac ubi sepulta remanent, indicat; hoc unum addimus, Commentarii ejusdem in Mattheum tribus libris distinctum, & Justo Abbati dicatum, cujus præfationem Mabillonius tom. 3. Annalium sui ordinis in appendice edidit pag. 720. egregium volumen in bibliotheca nostra Vallicellana extare. Quousque autem hæc de imaginum cultu, & veneratione quæstio progressa sit, aut quem tandem habuerit finem, in progressu historiæ hujus seculi dicturi sumus, quare ad sequentem Christi annum transimus.

JESU CHRISTI ANNUS 826. EUGENII PAPÆ AN. 3. LUDOVICI IMP. 13. MICHAELIS BALBI IMP. 7.

Concilium Romanum ab Eugenio Papa celebratum.

1. Hoc Christi anno ad Ecclesiasticam disciplinam restaurandam Eugenius Papa secundus Romæ synodum congregavit, cui Episcopi 63. ex tota Italia convenerunt, Presbyteri 17. Diaconi quinque aut sex, quorum nomina ex collectione Romana Holstenii post Baronium, emendatiora exhibet Labbeus; Omnium primus post Pontificem, Petronacius Revennatensis Archiepiscopus legitur, utpote dignitate ex adstantibus primus, cum Mediolanensis abesset; synodi annum, & diem inscriptio indicat, his verbis concepta: *In nomine domini Dei Salvatoris J. C: Imperante D. N piissimo Aug. Hlodovico a Deo coronato magno Imperatore anno* 13. *& Regni ejus anno* 13.: sed ut legendum putat Pagius; *Post consulatum ejus an.* 13., *sed & Hlotario novo Imperatore ejus filio anno quinto, indict. XV. mensis Novembris die* 15.. Itaque cum in Basilicæ Principis Apostolorum, seu *coram sacratissimo corpore Beati* Principis Apostolorum convenisset Eugenius Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quorum nomina ibidem inscripta sunt, omnium nomine Eugenius Papa, dixit. *Cum simus dominicæ plebis superna miseratione rectores, studiose nos convenit Dei præsidio pro eorum semper cogitare salute &c.* Quare post aliqua de pastorum sollicitudine subdit. *Hinc namque est, quod ingemiscens dico, quia populi Cristiani per provincias, & loca commorantes audio temere contra Catholicæ fidei documenta, & Patrum statuta agere, quod opportunum spi-*

JESU CHR. AN. 826. *spiritali mucrone amputare, atque si vestræ placet sanctitati radicitus evelli, ne seges boni agricolæ zizaniorum mixta horrentibus fructibus sordescat.* In eamque rem canones triginta octo vulgati sunt, quorum plurimi de Episcoporum, Presbyterorum, aliorumque clericorum ordinatione, deque eorumdem qualitatibus, & officiis agunt; atque imprimis Episcopos nonnisi irreprehensibiles ex Apostolo ordinandos esse jubetur, doceturque ex S.Gregorii libro de cura pastorali, quales se in pastorali munere exhibere debeant, doctrina potissimum instructos tam Episcopos quam Presbyteros esse oportere, statuitur: Indoctus itaque si inveniatur, si Episcopus est, a Metropolitano admoneatur, ac instruatur, Presbyteri vero vel Diaconi a proprio Episcopo doceantur, atque interea ab officiis suis suspensi maneant, *ut docti valeant ad debitum ministerium pervenire &c.* Episcopi nullibi absque cleri, populique consensu, vel postulatione consecrandi declarantur, ut Cælestinus, & Leo Magnus Pontifices docuerant, quorum ibidem auctoritates recitantur; si in ecclesia viduata, nullus Episcopatu dignus inveniatur, ex altera ecclesia eligatur; invitus tamen nemo ordinetur; atque imprimis, ne absque gravissima causa a suis Diœcesibus absint, canone sexto Episcopi admonentur.

De Clericorum vita communi & religiosa.

2. Ut in unum clerici habitent, itaut singulis unum sit refectorium, ac unum dormitorium jubet canon 7. admonentur etiam Episcopi, ne ultra ecclesiarum necessitatem clericos ordinent, *ne necessitas in secularibus domibus illis habitandi occurrat &c.* quos ideo Episcopus in Episcopio, aut in monasteriis revocare debet, ut ibidem officio suo fungantur. Quia vero Sacerdotes divina eloquia die, ac nocte meditari decet, ideo ab ludis, venatione, aucupio, rusticisque officiis abstinere debent, neque sine urgenti necessitate testimonium in seculari judicio ferre; Sacerdos, aut quilibet ex clero officio suo dejectus, Episcopi providentia eo in loco constituatur, *ubi peccata lugeat, & ulterius non committat*; Quisquis vero de crimine fornicationis suspectus, ab omni fœminarum consortio non se abstinuerit, deponatur. Præsbyteri indiscriminatim oblationes non recipiant; ne scilicet turpis lucri gratia oblationes ab indignis acciperent; Episcopi vero res Ecclesiæ sibi non vindicent, neque Sacerdotibus, aliisque clericis sibi subditis facile dimmisorias concedant; ne si quis eas acceperit, quasi ovis perdita vaga-

ri

ri incipiat. Dimissorias vero, quoties eas dari contingat, Bulla universalis Pontificis, vel Imperialis, aut Metropolitani roboratas esse admonet, ut omnis falsitatis suspicio vitaretur, Episcopi, æque ac Sacerdotes pro causis ecclesiasticis advocatum habeant; si quispiam Sacerdotum non habuerit, si bonæ famæ est, ab Episcopo ei detur; Monasterium, vel Oratorium canonice constructum a domino seu patrono non auferatur, & ad ejus petitionem Sacerdos ibidem ab Episcopo constituatur; in locis sacris, qui Sacerdotibus sunt destituti, aut a secularibus occupati, ab Episcopo Præsbyter constituatur, ut divina ibidem officia peragat; si sub secularium potestatę sint, atque ab episcopo admoniti, intra trimestre Sacerdotem ibidem costituere neglexerint; *Episcopus absque neglectu Principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia*. Loca vero pia, quæ neglecta, vel destructa fuerint reparentur, nec Episcopus ultra statuta Patrum a Sacerdotibus, vel clericis exigat.

Jesu Chr. an. 826.

De vita, & officio Abbatum.

3. In monasteriis nonnisi dignos Abbates eligant Episcopi; *ita docti, ut quandoque fratrum negligentia acciderit omnino cognoscere possint, & emendare, Sacerdotalem quoque honorem sint adepti, ut peccantium sibi subiectorum fratrum, valeant refrenare & amputare commissa*. Curabunt etiam Episcopi, ut regularis ubique disciplina servetur, vagantesque monachos ad sua monasteria redire compellent. Fœminæ quoque, quæ habitum religiosum, vel velamen susceperunt viro sociari non permittantur, sed vel in monasteriis, vel in propria domo religiosam vitam ducant &c. Si quis in monasterium, sine criminis probatione invitus inclusus fuerit, invitus detineri non debet ait canon 32. De festorum observantia hæc ibidem statuta sunt; *ut die Dominico nullus audeat operationes, mercationesque peragere, præter in cibariis rebus pro itinerantibus &c.* ut omnes ad ecclesiam convenire possent. Si quæ vero delicta diebus festis committantur, liceat judici, actorique suspectam personam eo die, aut accepta fide, aut sub custodia retinere, ut licitis diebus judicetur; Festis vero diebus nemini liceat, mulieribus præcipue ad Ecclesias advenire, *balando, verba turpia decantando, choros tenendo aut ducendo, similitudinem paganorum peragendo. Tales enim si cum minoribus ad ecclesiam veniunt peccatis, cum majoribus revertuntur*. Quare ut hæc prohibeant Sacerdotes canon 35. jubet.

Jesu Chr. an. 826.

De Matrimonio non solvendo, & ne cognata vel affinis ducatur.

4. De nuptiis non solvendis hæc canon. 36. habet. *Nulli liceat excepta causa fornicationis adhibitam uxorem relinquere*, aut aliam uxorem ducere; Religiosæ vitæ intuitu sine Episcopi, licentia, & alterius partis consensu se separare conjugatis non licet, aut duas tenere uxores, aut cum uxore legitima concubinam; Nec quisquam, *Consobrinam*, *Neptem*, *Novercam*, *fratris uxorem*, *vel etiam de propria cognatione*, *aut quam cognatas habuit*, *sibi in conjugium copulare*: si quis contra hæc fecerit, anathemate percutitur; *Si vero conversus divisusque ab illicita fuerit copulatione*, *dignæ pœnitentiæ submittatur*, *ut Sacerdos loci consideraverit*.

De aperiendis scholis Eugenii Papæ decretum.

5. Nec silentio prætereundus est canon. 34. quo de Scholis ubique aperiendis, frequentandisque hæc leguntur. *De quibusdam locis ad nos refertur*, *non Magistros*, *neque curam inveniri pro studio litterarum*, *idcirco in universis Episcopiis*, *subjectisque plebibus*, *& aliis locis*, *in quibus necessitas occurrerit*, *omnino cura*, *& diligentia habeatur*, *ut Magistri*, *& doctores constituantur*, *qui studia litterarum*, *liberaliumque artium*, *ac sancta habentes dogmata*, *assidue*, *doceant*, *quia in his maxime divina manifestantur*, *atque declarantur mandata &c.* Quanta in humanis, divinisque litteris promovendis Caroli M. fuerit sollicitudo, ac ut in omnibus ubique Cathedralibus ecclesiis, & monasteriis Scholæ aperirentur, ubi tum clerici, cum seculares convenire possent, supra suo loco adnotavimus. Eodem zelo excitatus Eugenius Papa, sciens cleri, populique ignorantiam vitiorum uberrimam fontem esse, ac ipsam quoque Catholicam fidem periclitari, undique scholas aperiri iterum jussit, quia vero non ubique erant, qui sacras, humanasque litteras docerent, in oppidis præcipue: Leo quartus non multopost, anno scilicet 853. in altero Romano concilio, Eugenii decretum confirmans hæc addidit. *Etsi liberalium artium præceptores in plebibus*, *ut assolet*, *raro inveniuntur*, *tamen divinæ scripturæ Magistri*, *& institutores Ecclesiastici Officii nullatenus desint*, *qui & annualiter proprio Episcopo suo ejusdem actionis opere sollicite inquisiti debeant respondere*. *Nam qualiter ad Divinum utiliter cultum aliquis accedere possit*, *nisi justa instructione doceatur &c.*

Ludovici pii sanctio-

6. Eodem disciplinæ ecclesiasticæ zelo, pravisque moribus corrigendis excitatus Ludovicus Pius Imperator, conventum Ingel-

Ingelsehemii hoc anno Episcoporum, Procerumque Regni sui celebravit; ut his verbis narrat auctor vitæ ejus. *Imperator Kal. Junii mensis ad Ilgelhem venit, ibidemque illic conventus populi secundum quod præceperat occurrit. In eodem placito secundum morem suum, multa quæ Ecclesiæ essent utilia admonuit, statuit, ac definivit, legationesque tam a sancta sede Romana, quam a Monte oliveti per dominicum Abbatem perlatas suscepit, audivit, absolvit &c.* seu dimisit. Inter cetera ibi decreta, raptores in triplum puniri jubentur; gravius, adhuc si de rebus ecclesiarum aliquid abstulerint; *Quia sacrorum rerum ablatio sacrilegium est, & sagrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ.* Si quis vero Sacerdotem, Levitam, aut Monachum interfecerit, vel debilitaverit, post compositionem juxta legem Italicam factam ad agendam pœnitentiam in Monasterium toto vitæ tempore detrudatur; *nusquam postmodum seculo, vel secularibus militaturus, neque uxori copulaturus.* Qui Episcopo injuriam fecerit, omnia quæ habet Ecclesiæ tradantur, & in triplum solvat, vel fisci servitio adscribatur. *Nam detractio Sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione in ecclesia funguntur.* Si quis religiosam fœminam sollicitaverit, rapuerit, vel corruperit, utriusque bona ecclesiæ tradantur; ipsi vero capitali pœna subduntur; Si mulier non consenserit, cum suis rebus monasterio restituatur. Si Comes crimen vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, ac publica pœnitentia mulctetur. Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab Episcopo, vel Comite in carcerem usque ad satisfactionem tradatur, & publicam aget pœnitentiam. Qui oratorium in domo habet, ibidem quidem oret. At missam absque benedictione, & licentia Episcopi, nemo celebret, alioquin domus fisco addicatur. Tandem ut privilegia, quæ ecclesiis, & clericis ab antecessoribus nostris, vel nobis concessa sunt semper maneant incorrupta, ait ibidem religiosissimus Imperator.

JESU CHR. AN. 826. nes in conventu Ingelsehemii vulgatæ.

7. De eodem Ilgehemensi conventu hoc anno habito agens Eginhardus adnotat. *Imperator*, Ludovicus, *medio mense Majo Aquisgrano egressus circa Kal. Julii*, seu potius Junii, ut supra diximus; *Ad Ilgeheim venit, habitoque conventu*

Christiani in Marca Hispanica vexati.

JESU CHR. AN. 826.

ventu non modico, multas, & ex diversis terrarum partibus missas legationes audivit, & absolvit, inter quas precipua ceterisque præeminens erat legatio sanctæ sedis Apostolicæ, Romanæ videlicet Ecclesiæ. Eugenii autem legati Leo Centumcellensis Episcopus & Theophilactus Nomenclator fuere, ut ait auctor gestorum Ludovici. Inter cetera de tuendis in Marca Hispanica finibus tractatum est, in quibus Pippinus Ludovici filius & Aquitaniæ Rex instabat, qui post conventum *in Aquitaniam regressus æstatem deputato sibi loco transegit*, ait idem Eginhardus. Pii tamen principis consilia evertit perfidia Aisonis Comitis, qui rebellis Ludovico factus, atque ab aula aufugiens *Ausonam ingressus, & a populo illo quem dolo deceperat receptus totam civitatem destruxit*, seu potius Rhodam Oppidum ab Ausona duodecim milliaribus circiter distans evertit. Misso deinde fratre suo *ad Regem Seracenorum Abdiraman nomine, validum contra nos robur exercitus accepit*, ait auctor vitæ Ludovici, eademque Eginhardus. Quæ ut Ludovicus, accepit, dum conventum alterum hoc anno mense Octobri in villa, quæ Salthæ dicebatur, celebraret, de expeditione in Saracenos & Aisonem anno proximo suscipienda consilium iniit. Interea litteris suis CæsarAugustanos admonuit, ut conjunctis secum viribus adversus Seracenos decertarent, ac pro viribus resisterent excitavit, eisque se anno proximo auxilium præstiturum pollicetur; Ludovici epistolam, quæ inter Eginhardi epistolas 39. recensetur, recitat, Pagius; at hæc adnotasse sufficit, de quibus iterum anno sequenti sermo redibit.

Translatio reliquiarum S. Sebastiani in Gallias.

8. Hoc anno reliquias S. Sebastiani, petente Hilduino Abbate Roma in Gallias translatas fuisse docent veteres Francorum annales, Eginhardus scilicet, aliique. *Dum hæc agerentur, ait auctor vitæ Ludovici pii, Hilduinus abbas S. Dionysii Martiris Romam mittens, ossa beatissimi Martyris Sebastiani accepit, & ea apud Suessionem civitatem S. Medardi collocavit, ubi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerant, juxta S. Medardi tumulum jacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomine ejusdem beatissimi martyris emicuit, ut a nullo mortalium eorumdem miraculorum, aut numerus comprehendi, aut varie-*

varietas valeat enuntiari: quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum nostrum Jesum Christum, pro quo idem passus est, omnia quæ vult, per divinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra subjecta est. Dum autem corpus S. Sebastiani in Gallias translatum fuisse audis, partem corporis intellige, quod diserte Ado Viennensis indicat his verbis. *Huius Imperatoris tempore*, Ludovici pii, *pars corporis beati Sebastiani Martyris ad Suessionicam urbem delata, ubi multa mira in laudem Dei omnipotentis, varia genera sanitatum infirmis collata.* De translatione reliquiarum S. Sebastiani Martyris, & S. Gregorii Papæ in Monasterium Suessionense S. Martini librum sequenti seculo scripsit Odilo ejusdem monasterii monachus, opusque suum Ingranno Medardensis monasterii Decano inscripsit, cujus opusculum Bollandus, & Mabillonius exhibent.

Translatio reliquiarum SS. Martyrum Petri, & Marcellini in Gallias.

9. Non multo post translationem reliquiarum S. Sebastiani in Gallias, Sanctorum quoque Martyrum Petri, & Marcellini reliquiæ translatæ sunt, anno scilicet sequenti 827. ut adnotat Pagius: hujus translationis non solum meminit Eginhardus in Annalibus, & in vita Ludovici pii, sed etiam totius translationis historiam descripsit, cujus ipse auctor fuit, ut apud Surium, Bollandum, & Baronium videre est, qui eam integram fere in annales suos transtulit. Paucis contenti, ne cum Baronio integrum fere opus, quatuor distinctum libris, referamus, hæc in Annalibus ab eodem Eginhardo relata excribimus; *Eugenius Papa mense augusto decessit, in cujus locum Valentinus diaconus a Romanis electus & ordinatus, vix in Pontificatu unum mensem complevit. Quo defuncto Gregorius Presbyter tituli S. Marci electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam venit, & electione populi qualis esset, examinavit. Legati Michaelis Imp. de Costantinopoli ad Imperatorem, quasi propter fœdus confirmandum, missi, septembris mense Compendium venerant. Quos ille ibi benigne receptos & audivit, & absolvit. Ipso tempore Heinardus sui temporis prudentissimus virorum, sancto devotionis incitatus ardore, Romam misit: & corpora S. Marcellini & Petri, annuente Papa, in Franciam fecit transvehi: & valde decenter*

Jesu Chr. an. 826.

center in proprio territorio, propriisque sumptibus, recondidit. Quorum meritis hactenus ibi dominus multa operatur virtutum miracula. Eadem iisdem fere verbis scribit Auctor Vitæ Ludovici Pii, qui de Eginhardo ait: *ipso anno* (nempe 827.) *Heinardus virorum sui temporis prudentissimus, sancto devotionis ardore incitatus &c.*. Denique Annalista Fuldensis ad eumdem Christi annum habet: *Corpora Beatorum Christi Martyrum Marcellini, & Petri mense Novembri in Franciam allata sunt. Eugenio post paucos dies mortuo, Gregorius Presbyter Tituli S. Marci Pontificatum suscepit*. Quibus ex verbis colligo, ait Pagius, Annales Eginhardo attributos, ab eo conditos non esse; cum ipsemet Historiam Translationis utriusque Sancti, quorum Reliquias in Franciam advehendas curavit, scripserit, & prorsus incredibile sit tam magnifice de semetipso in illis locutum fuisse. Eosdem nihilominus de rebus Francicis Annales Eginhardo vindicant tum auctor historiæ litterariæ Gallorum, cum Mabillonius, ac Cointii & Pagii in eam rem objectiones commode explicant. Miracula plurima tunc in translatione reliquiarum S. Sebastiani, vel SS. Petri & Marcellini patrata, ac ab Eginhardo narrata præterimus, quæ ibidem videri possunt. Hoc unum adnotamus, id quod tempore S. Gregorii M. in Ecclesia Rom. inauditum erat, ut scilicet Sanctorum reliquiæ tangerentur, aut de loco ad locum asportarentur, hac ætate familiare jam fuisse.

Harioldus Danorum Rex cum uxore baptizatur.

10. Hoc eodem anno cum Ingelhemii apud Magontiam mense Junio, ut supra diximus, esset Ludovicus, ad eum venit Harioldus, sive Herialdus Danorum Rex cum uxore sua regno suo ejectus, qui suadente Imperatore cum conjuge ad Cristi fidem conversus, Moguntiæ in Ecclesia Sancti Albani baptizatus est, quem Imperator e fonte suscepit, Judith vero Augusta Herialdi uxorem ait Theganus, de quibus hæc in vita Ludovici pii. *Herioldus e Nortmanniæ partibus cum uxore veniens, Danorumque non parva manu, Mogontiaci apud S. Albanum cum suis omnibus sacri baptismatis unda est perfusus, plurimisque muneribus ab Imperatore donatus. Verens autem piissimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio soli naturalis, dedit ei quemdam Comitatum in Phrysia, cujus est vocabulum Rhiustri, quo se, suosque si necessitas exigeret, tuto recipere posset.*

ſet. Hæc ipſe, quibus ceteri Francorum annales conſentiunt. Ermoldus Nigellus a Muratorio editus tom. 2. rer. Ital. part. 2., ac quanto cum apparatu hæc geſta fuerint, ſingulatim deſcribit, hisque ſe adſuiſſe indicat.

Anscharius in Daniam cum Ausberto monacho proficiscitur, ibique Christi fidem prædicant.

11. In patriam reverſurus Harioldus Ludovicum Imp. rogavit, *Si quem inveniret ſanctæ devotionis virum, qui cum eo ire poſſet, eique continuo adhæreret, fieretque illi, & ſuis ad corroborandam, ſuſcipiendamque fidem Domini Magiſter doctrinæ ſalutaris*, tunc Vala abbas veteris Corbejæ Imperatori dixit, *unum ſe ſcire Monachum in Monaſterio ſuo, qui multo ardore circa Divinam religionem ferveret &c. Deductus itaque ad præſentiam Auguſti* (Monachus ille, ſeu Anſcharius) *cum ab ipſo interrogaretur, utrum pro Dei nomine, cauſa in gentibus Danorum Evangelium prædicandi, comes fieri vellet Harioldo, omnino ſe velle conſtanter reſpondit*. Cui etiam Autbertus Monachus nobilis proſapiæ comitem hujus profectionis ſe obtulit, & ſuſcepta peregrinatione pervenerunt Coloniam, ubi Hadelbondus Archiepiſcopus dedit ei optimam navem, cujus ope ad confinia pervenerunt Danorum, ut in vita Anſcharii narrat Nambertus ejuſdem diſcipulus. Quare Anſcharius & Autbertus in Daniam profecti multos ibidem, temporis tractu, verbo, & exemplo, ad Chriſti fidem perduxerunt, ac pueros quotquot poterant ementes, ac baptizantes Chriſtianis imbuebant moribus, ſicque factum eſt, ut ſcholam inibi paulopoſt ſtatuerint, duodecim aut eo amplius puerorum. Alios quoque hinc inde ſibi adſciverunt adjutores, cœpitque eorum fama, & Religio fructuoſius creſcere. Cum itaque in hoc ſancto propoſito biennio, aut eo amplius morarentur, Anſcharii ſocius adverſa laborans valetudine, ad novam Corbejam deductus, ingraveſcente morbo ibidem paulo poſt obiit. *Interim vero contigit, Legatos Sueonum ad memoratum veniſſe Ludovicum, qui inter alia legationis ſuæ mandata, clementiſſimo Cæſari innotuerunt, eſſe multos in gente ſua, qui Chriſtianæ religionis cultum ſuſcipere deſiderarent*. At hæc legatio biennio poſt contigit, anno ſcilicet 829. cum Anſcarius biennium apud Danos jam tranſegiſſet, de quibus ibidem ſermo fiet.

S. Theodori Studitæ obitus.

12. Hoc ipſo anno, die undecima Novembris ex hac vita migravit magnus ille Theodorus Studitarum monachorum Præfectus, iterata confeſſione clarus, doctrina inſignis, vita admi-

JESU CHR. AN. 826.

admirabilis, & miraculis celeberrimus, cujus exhantlatos pro catholica Ecclesia adversus hæreticos Iconoclastas labores ex ipsius litteris supra recensuimus. De ejusdem vero obitu plura commemorat Michael discipulus ejus; auctor etiam vitæ S. Nicolai Studitæ, ac Nicolai discipulus addit Theodorum, & Nicolaum ad Peninsulam Acritæ post Thomæ tyranni excidium, ex urbe Regia transiisse, *De nomine Martyris Triphonis dictam, ubi demum multis certaminibus gloriosus Pater, ac Beatissimus Theodorus vivendi finem fecit. Migravit autem cum maxima nominis celebritate die undecima Novembris; Ejus vero beatum tabernaculum* (idest corpus) *inde translatum ad insulam nomine Principem gloriosæ, ac sanctæ sepulturæ mandatur*. De sancti viri transitu, & funeris solemnitate agit Neucratius in epistola, *Ad Patres, fratresque spirituales ubique dispersos, & persecutionem propter Dominum sustinentes*, quam post Baronium Combefisius edidit;

Extrema Theodori gesta, & testamentum.

13. Morti proximus Theodorus ad suos verba convertens, *Fratres, Patresque, ait, poculum hoc commune est, quod biberunt omnes Patres nostri; ipsum ego bibiturus sum, vadoque ad Patres meos. Videte testamentum, quod condidi vobis*; cum audis testamentum a Theodoro monachis suis traditum, ne cogites temporalia bona eis reliquisse, nam testamentum ejus fidei professionem continet, qua se hæreses omnes, ac præcipue Iconoclasticam, aversari testatur. Monachis deinde suis patrem sibi successurum destinavit Neucratium, cui monita, pro religiosa vita tuenda dedit, & ne propinquis suis quidquam daretur, jussit, ac tandem post plurima, de se ipso, *De cætero fratres, valete*, addidit, *iter enim ingredior, unde reditus non patet, quod omnes ab ævo ingressi sunt, quod & vos postmodum, hac vita peracta ingressuri estis. Ignoro autem, fratres mei, quo pergam, & quale judicium me maneat, aut quisnam me locus excipiet. Opus enim bonum in conspectu Dei nullum egi, ne unum quidem, at contra reus sum omnis peccati.* Ita Sanctus ex affectu timoris, se ipsum considerans ut hominem, et secundum illud Davidicum: *Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui*: statim tamen, divinæ bonitatis consideratione, in spem erectus & fiducia exaltatus, longe diversa protulit, ista mox subdens. *Verumtamen lætor & gaudeo, quod ex hoc mundo in cœlum abeo, a tenebris in lucem, a servitute in liberta-*

bertatem, ab incolatu in veram habitationem, & patriam, a peregrinis, & alienis (incola enim ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei) ad mea & propria: confidentius adhuc dicam, quod ad Dominum meum abeo, ad Dominum, & Deum meum, quem dilexit anima mea, quem agnovi patrem, tametſi non colui ut filius, quem poſſedi præ omnibus, tametſi ut germanus ſervus non ſervivi. Hæc ut inſipiens dixi, ſed propter vos dixi, ut propenſiores ſitis, & oretis pro ſalute mea, quam ubi adeptus fuero (ea ſpondeo in oculis veritatis) non deſiturum me confidenter orare Deum, ac Dominum meum pro omnibus vobis, ut bene vobis ſit, ut ſalvemini, ut impleamini, expectans unumquemque ſingillatim, cum ex mundo migrabit, ut videam, & excipiam, & amplectar. Fiduciam enim hanc habeo, quod bonitas ejus in idipſum vos omnes hic ſervabit, & in futuro ſeculo, mandatis obſecutos, ad celebrandam ejus ſummam potentiam. Recordamini humilium ſermonum meorum filii. Depoſitum cuſtodite in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Cujus gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen. Hactenus Theodori teſtamentum. JESU CHR. AN. 826.

14. Atque ut in Patriarchæ Nicephori, ceterorumque Catholicorum Epiſcoporum communione perſeverarent, ex hac vita migrans hortatus eſt. *Domino noſtro Epiſcopo* (Nicephoro) *ſalutem & oſculum cum reverentia, & honore a me impertimini, reliquis etiam Patribus, Epiſcopiſque, & Sacerdotibus Chriſti Confeſſoribus propter Dominum perſecutionem ſuſtinentibus: fratribus univerſis, amiciſque & notis, ac iis qui vobiſcum laborarunt in certamine fidei, tum parvis, tum magnis &c. Denique percontante mea humilitate, quid de illis juberet, vel fratribus, vel laicis, qui pœnis obnoxii eſſent, ac pœnitentibus: reſpondit vere compatiens medicus, & Chriſti imitator: Indulgebit Dominus univerſis, ſeque ipſum tertio conſignans adprecatus eſt, dicens: Dominus pacis erit cum ſpiritu veſtro:* Omneſque, qui aderant amplexatus, die undecima novembris, quæ in Dominicam incidit, obiit, cujus funeri, ut idem auctor narrat, non ſolum monachi turmatim, ſed etiam Agricolæ, Nautæ, Mercatores, opere relicto certatim adſtiterunt. Cujus corpus, poſt decem & octo annos integrum adhuc, & ſuaviſſimo flagrans odore, CPolim in Studitarum Monaſterio translatum, & ſepultum fuit; ut in ejus vita narrat Michael cap. 131. pag. 79. cujus nomen Urbani octa- De Theodori funere.

Jesu Chr. an. 827. vi Pontificis jussu martyrologio Romano inscriptum fuit. De Theodoro nihilominus sanctissimo viro, ac ob iteratas pro cultu sanctarum imaginum confessione, passionesque toleratas, celeberrimo, agens Hermanus Vehema tom. 5. hist. eccles. pag. 323. secul. 8. eiusdem obitum referens, paucis his verbis, ac uno maledicto rem explicat impie dicens: *Vitam turbulentam finivit*, cujus scripta erroribus scatere adnotat, pag. 224. & sane cum scripta ejus eo potissimum colliment, ut sanctas J. Christi, B. Virginis, sanctorumque imagines retinendas venerandasque esse doceat, hæc Vehema Lutherano scriptori superstitiosum cultum, ac pene Idolatriam sapiunt, de quibus plura addere non juvat.

Creta Insula a Michaele Imp. frustra tentata.

15. Cretæ insulam ab Saracenis sibi ereptam vindicare non semel, ac Rom. Imperio restituere conatus est Michael Imperator, cujus in eam insulam repetitas expeditiones fusiori stilo persequitur Constantinus Porphyrogeneta. De gestis hoc tempore, cum frustra id alias tentasset, hæc adnotat Zonaras. *Imperator missa contra Agarenos in Cretam classe victus est*; aliquot ante annos: *Post aliam ingentem classem contra eosdem mittit, Duce Cratero, qui principio rem contra Agarenos bene gessit, multis eorum captis & interfectis. Deinde & ipse, & ejus milites victoria freti, quasi adversariis jam enervatis, neque umquam ausuris ipsos aggredi, se voluptati & poculis dediderunt, eoque nocte sine excubiis comessati ociose dormierunt. Quo hostes intellecto, noctu eos cum maximo clamore adorti, omnes ita ceciderunt, ut vix nuncius cladis superesset. Nam & ipse Classis Præfectus Craterus, cum in nave mercatoria fugisset, captus, atque in Crucem actus est.*

JESU CHRISTI an. 827. Gregorii 4. Papæ an. 1. Ludovici Imp. 14. Michaelis Balbi Imp. 8.

Concilium Mantuanum in causa Patriarch. Aquilei, & Gradi.

1. Hoc Christi anno 827., dum adhuc Eugenius Papa secundus viveret, annum Pontificatus sui quartum ingressus, Mantuanum concilium celebratum est in causa Venerii Aquilejensis Patriarchæ contra Maxentium, qui Fortunato in Patriarcatu Gradensi successerat, cujus concilii acta ex Bibliothecæ nostræ Vallicellanæ manuscripto codice a Baronio vulgata, monumentis Ecclesiæ Aquilejensis inseruit Derubeis, dein-

deinde in recentiorem conciliorum collectionem Venetam inserta sunt. Synodus autem congregata est. *Regnante D. N. J. C. in perpetuum, Anno Pontificatus Sñi, & universalis Papæ Eugenii quarto, & Impp. piissimis Catholicis, & Dei cultoribus Clodovico, & Clotaro divis Impp. anno septimo & decimo, per indictionem quintam, octavo idus Junii in civitate Mantua.* Indictio porro quinta, & annus quartus Eugenii, labentem Christi annum 827. indicant; Synodo adfuerunt Benedictus Episcopus, & Leo Diaconus Bibliothecarius Romani Pontificis legati, Sicardus Palatinus Præsbyter, & Theoto Legati Imperatoris, & Archiepiscopi Ravennatensis, & Mediolanensis, Petronas scilicet, & Angelpertus cum Episcopis Æmiliæ, Liguriæ & Venetiæ. Causa ibidem, quæ diu inter Aquilejensem, & Gradensem Patriarcham agitabatur, acta, & definita est, ut scilicet Gradensis, & Istriæ Episcopi Aquilejensi Patriarchæ subderentur. Qua autem occasione Aquilejensis Metropolis scissa fuerit, ut alter Aquilejæ Patriarca esset, alter Gradensis, non semel supra, cum de schismate ob tria capitula excitato egimus, verba fecimus, atque acta ipsa Mantuanæ Synodi narrant iis verbis. *Relatum igitur a nonnullis est in eadem synodo, quod eo tempore, quo Longobardi Italiam invaserant, Romanam ecclesiam Benedictus Papa regebat, Aquilejensi quoque civitati, ejusque populo Paulus Patriarcha præerat, qui Longobardorum barbariem & immanitatem metuens, ex Civitate Aquilejensi, & de propria Sede ad Gradus Insulam, plebem suam, confugiens, omnemque Thesaurum, & sedes Sanctorum Marci & Hermacoræ secum ad eamdem Insulam detulit, idcirco non ut Sedem, aut Primatum Ecclesiæ suæ, suæque Provinciæ construeret inibi, sed ut Barbarorum rabiem posset evadere. Qui XII. annis Sacerdotium gerens ab hac luce subtractus est; regendamque Ecclesiam Probino reliquit. Isto quoque Aquileja defuncto, præfata Aquilejensi Ecclesiæ Sacerdos Helias præficitur: & hoc quoque mortuo, Severus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Defuncto item Severo, ordinatus loco ejus Joannes Patriarca in Aquileja eo tempore, quo Agilulphus, Rex Longobardorum regnabat, in Grados quoque ordinatus est hæreticus Candidianus Antistes. Hic enim Candidianus, nec per consensum comprovincialium Episcoporum, nec in Civitate Aquileja, sed in Diocesim, & plebem Aquilejensem Gradus,*

Jesu Chr. an. 827.

JESU CHR. AN. 827. *dus, quæ est perparva Insula, contra canonum statuta, & sanctorum Patrum decreta ordinatus est.* Atque id ex epistola Joannis Aquilejensis Patriarchæ ad Agilulphum Longobardorum Regem tunc data, ac in Synodo recitata probare nititur, qua de Candidiani ordinatione in Gradensem Episcopum, Exarchi auctoritate & jussu peracta, ac de vi illata ab eodem Exarcho Episcopis Histriæ, qui Græcorum Imperio suberant, ut Gradensi Patriarchæ subjicerentur conqueritur, ac Regem rogat, ut *postquam infelix Candidianus de hoc sæculo ad æterna supplicia transmigraverit, altera iniqua ordinatio ibi minime celebretur, nec populus in amplius tribuletur &c.*

Cur, & quando Aquilejensis Metropolis in duas divisa fuerit.

2. Cum etenim, ut supra diximus, Severus Aquilejensis Patriarcha ob tria capitula schisma a Romana Ecclesia fecisset, cui Episcoporum aliquot consenserant; ne tota Histriensis provincia, ceterique Venetiarum Episcopi in schisma prolaberentur, Romanorum Pontificum, & Ravennatis Exarchi jussu, & auctoritate factum est, ut in Gradensi oppido, quod Græcis Imperatoribus suberat, Patriarcha eligeretur, cui alii Episcopi Histriæ, aut sponte, vel coacti ab Exarcho subjecti fuerunt. Horum primus fuit Candidianus Aquilejensis etiam Patriarcha aliquando dictus, sicuti & ceteri successores usque ad hæc tempora, cum Venerius, Fortunati successor Gradensem cathedram tenebat. Cumque Aquilejenses Patriarchæ Metropolim suam in duas dividi ægre ferrent, Gradensibus Episcopis semper restiterunt, at frustra, nam Romani Pontificis auctoritate, ac Exarchorum protectione muniti Gradenses, acquisitam jamdiu in Histriæ Episcopos jurisdictionem retinuerunt. Unde Maxentius Aquilejensis pro causa sua ad Synodum Mantuanam conquestus est, his verbis, *& quia Gradus mari, & fluctibus cingitur, & Istria, quæ prius Aquilejæ suæ Metropoli subjecta fuerat, Smeragdo Exarcho resistente tunc a Longobardis capi non potuit, sed ad jura Græcorum tenebatur, quo factum est, quod Rex ei nullum potuit præstare auxilium, ac per hoc ipso annuente Exarcho, Istriæ Episcopi de Ecclesiis suis a militibus Græcorum translati sunt, & hunc Candidianum ordinare compulsi,* cum ab Apostolorum temporibus totius Istriæ Aquileja Metropolis erat, Gradus vero plebs eidem Aquilejensi Ecclesiæ subdita. Quare auditis Maxentii querelis, & precibus,

quibus

quibus aperte constabat Aquilejensem Patriarcham Istriæ Episcopis præfuisse, expectatoque Venerii Gradensis Episcopi adventu, ut causam suam tueretur, auditoque ejusdem Diacono Tiberio illuc misso, qui dignitatem Aquilejensis ecclesiæ negare non potuit, ut in pristinam dignitatem Aquilejensis ecclesia restitueretur, ac ut ejus potestati restituerentur, Istriæ Ecclesiæ, consentientibus Romanæ Sedis, & Imperatorum legatis, Mantuana Synodus jussit, ut *Maxentius sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ Patriarcha, ejusque successores in singulis Histriæ Ecclesiis, electos a clero, & populo ordinare Episcopos, sicut & in ceteris civitatibus suæ Metropolis subjectis*, potestatem habeat &c. Synodi Mantuanæ sententiam diplomate suo confirmarunt Imperatores Ludovicus, & Lotharius.

Venerius Gradensis Patriarcha contra synodi sententiam ad Gregorium appellat.

3. At Venerius, ne jure suo jamdiu retento caderet, Romanæ sedis, & Gregorii quarti, qui hoc eodem anno Eugenio, post paucos Valentini Pontificatus dies, successerat, auxilium imploravit data ad eum epistola, quam e Codice Tarvisano Venetus editor Italiæ sacræ vulgavit; eaque Venerius Gradensis Patriarcha, dissimulato Mantuanæ synodi decreto, Imperialia edicta commemorat, quibus jubebatur, ut Romæ a Pontifice tota quæstio dirimeretur. Idemque confirmat tum Aquilejense chronicon, cum Diploma Ludovici II. in gratiam Teutimari Patriarchæ datum, quo narrat Imperator: *definitam causam fuisse temporibus B. Papæ Eugenii, qui ad suggestionem piæ recordationis Ludovici Avi nostri*, (ut inquit) *atque Domini Genitoris nostri gloriosæ memoriæ Lotharii præstantissimi Augusti petitione, Synodale Concilium Mantuæ congregari præcepit: in quo sub præsentia Legatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adsistente coram Maxentio Aquilejensi beatæ recordationis Antistite, supradicta controversia Aquilejensis, & Gradensis ecclesiæ sententiis Episcoporum penitus est absoluta*. Hæc ille de synodo Mantuana, quam Gradenses dissimulabant, eam tamen sub Gregorio quarto iterum agitatam, ac definitam fuisse scimus. Eadem nihilominus quæstio sopita tunc magis, quam extincta fuit; reclamantibus non semel Gradensibus Episcopis, usque ad tempora Sancti Laurentii Justiniani Venetiarum Episcopi, cum Patriarchæ titulus ex Grado ad Episcopos Venetiarum translatus est. Aquilejensis vero Patriarchatus ad tollenda dissidia, quæ

jamdiu

Jasu Chr. An. 827. jamdiu cum Histriæ Episcopis, Austriacæ ditioni subditis, vigebant, in duas Metropoles Utinensem, scilicet, & Goritiensem divisus, Benedicti decimi quarti Rom. Pontificis diplomate extinctus est.

Eugenii secundi Papæ obitus.

4. Dum Synodus Mantuæ haberetur, Eugenius Papa secundus, cum annos tres, non quatuor ut in aliquot Anastasii Codicibus legitur, menses duos, dies aliquot, Rom. Ecclesiam administrasset, vivere desiit, ut in annalibus narrat Eginhardus. *Eugenius Papa mense Augusto decessit, in cujus locum Valentinus Diaconus a Romanis electus, & ordinatus, vix in Pontificatu unum mensem complevit; quo defuncto, Gregorius Presbyter tituli S. Marci electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis esset examinavit.* Hæc ille, eademque auctor vitæ Ludovici, ceterique Annalistæ.

Valentinus Diaconus Eugenio succedit, deinde Gregorius quartus.

5. Eugenio itaque defuncto, Valentinus Diaconus, seu Archidiaconus ab Anastasio dictus, Cleri, Senatus, populique Romani non solum consensu, sed plausu electus & ordinatus fuit Romanus Pontifex, vir sane ob egregias animi, corporisque dotes, ut narrat Anastasius, longiori Pontificatu dignus, quem Deus monstravit magis, quam Romanæ Ecclesiæ dedit, nam ut ex Eginhardo audivimus, vix mense uno, aut diebus quadraginta transactis, e vivis ereptus est, mense Septembri; in ejus autem locum *Gregorius quartus natione Romanus ex Patre Joanne* in uno spiritu, & anima una consentientibus omnibus ex Clero, & populo *electus est*, ut idem Anastasius narrat, *& in Patriarchio Lateranensi inductus, abstrahentes quidem illum per vim, dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore; sed quoniam tantæ multitudini resistere non valuit, ad locum jam ante prædictum, cum hymnis, & canticis spiritualibus eduxerunt*, ac per annos sexdecim Romanam Ecclesiam administrasse, ac tenuisse addit, de cujus etiam laudibus plura adnotat. Inter cetera. *Vir strenuus erat, ac benignissimus, sanctitate atque pietate repletus, ornatus scientia, verbo jucundus, modestus præ omnibus sermone, firmissimus fide Catholica, justus operibus, & litterarum divinarum solertissimus inquisitor. Ecclesiarum quoque sanctarum infatigabilis visitator, pater pauperum, & alitor omnium viduarum.* Hæc, & alia in ejus laudem Anastasius, at hæc exscripsisse sufficiat.

6. Ubi

Jesu Chr. an. 827. Gregorius Papa quartus reliquias Gregorii M. transfert, ejusque sepulchrum exornat.

6. Ubi autem Romanæ Ecclesiæ thronum conscendit Gregorius Papa quartus, velut e specula contemplatus universum Christiani orbis ovile sibi a Deo concreditum, ad tantam præfecturam expavescens, suis penitus diffidens viribus, divinum auxilium conciliandum sibi, Sanctorum protectione sategit, inter alios Magnum Gregorium, quem cura pastoralis adeo bene persuncta, & optima scripta commendant, demereri studuit beneficiis, quo ejusdem sanctissimi Patris fultus juvamine precum, susceptum onus Pontificale, ut decet, absque dispendio salutis suæ, vel damno commissi suæ custodiæ gregis, ad finem usque inoffense, validis atque robustis humeris ferret, eam ob causam Sancti Gregorii reliquias ex veteri sepulchro transtulit, oratoriumque ejus exornavit. *Quoniam tunc divino ignis amore succensus*, ait Anastasius, *corpus B. Gregorii hujus universalis Ecclesiæ Præsulis, ex loco quo sepultus prius fuerat, tulit, & non longe ab eo in alium noviter constructum infra ecclesiam B. Petri Apostoli summo honore perduxit: ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, & Oratorium suo sancto nomine titulavit*, reliquiasque sanctorum martyrum Sebastiani, Gregorii, & Tiburtii, in eodem oratorio transtulisse addit, multaque ornamenta ex auro, argento, & sericis vestibus obtulisse, ac jussisse, ut *Monachi, qui ad officium persolvendum in Ecclesia B. Petri Apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Deo canere non desistant*. Cum autem corpus Sebastiani martyris in oratorio Gregorii M. ab Gregorio quarto locatum fuisse narrat Anastasius, quod antea in Gallias translatum fuisse diximus, iterum memoria recole, pro corpore alicujus sancti, indicare partem ejus, quod etiam de corpore S. Gregorii M. intelligendum est, hinc factum, ut etiam ad hunc annum adnotat Pagius, ut Romani æque, ac Galli corpus B. Gregorii primi, seu Magni se possidere glorientur, cum utrique partem habeant. De eadem translatione reliquiarum S. Gregorii M. agens Joannes Diaconus, ac vestimenta, quibus indutus erat Pontifex in sepulchro describens; inter cetera adnotat. *Porro exhilitate balthei, quæ unius pollicis mensuram numquam excedit, speciem propositi regularis, olim a S. Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens in dialogo, regulam quoque laudaverat, eum servasse, luce clarius manifestat*. Hæc Joan-

Jesu Chr. an. 827. Joannes, qui in his, quæ asserit, ex cingulo cognitum, Gregorium vixisse usque ad vitæ finem observantia monachum, id nulli dubium esse debet. Quod autem asserat ex balthei exilitate (ut ait) convinci fuisse monachum instituti S. Benedicti: id minime ex hoc probari potest, cum Occidentales omnes monachi ejusmodi cinguli genere uterentur. Testatur enim S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, consuevisse monachos pelliceo uti cingulo etiam in Africa; Cassianum etiam scripsisse non monachorum tantum, sed Apostolicorum quoque virorum consuetudinem fuisse ejusmodi uti cinguli genere, ait Baronius.

Orientalis Imp. res afflictæ.

7. Orientalis Imperii res hoc tempore afflictas, attritasque fuisse paucis verbis narrat Leo Grammaticus, gesta sub ultimis Michaelis Balbi annis his verbis complectens, *Creta, Sicilia, & insulæ vocatæ Cyclades a Romano Imperio rescissæ sunt ab Afris, & Arabibus. Inde primum propter peccata populi, & impietatem Principum, ut insuper populus christianus, eorumque res sub adversariorum manu humiliarentur, bellum exortum est. Deinde rebus in hoc statu positis, Michael urinæ difficultate, renumque dolore in cruciatibus vitam finivit*, cui filius ejus Theophilus successit biennio post, ut ibidem dicturi sumus.

Euphemi perfidia Saraceni Siciliam invadunt.

8. De Saracenorum in Siciliam irruptione, unde diu Italia pene tota afflicta fuit, cum frequentes excursiones inde in Calabriam, Campaniam, Aprutium agere iisdem familiare fuerit, hæc narrat Zonaras in annalibus, ubi narratis expeditionibus pro Insula Creta recuperanda a Michaele Balbo Imp. factis lubdit. *In Sicilia quoque alia mota est seditio. Nam quidam populi Princeps Euphemius Monacham quamdam, cujus insano amore flagrabat, rapuit. Qui cum a Prætore ad supplicium quereretur, ad Africæ Amyram confugit, eique pollicitus est se Siciliam proditurum, & magna tributa pensurum, si Romanorum Imperator appellaretur. Ille hominem voti compotem facit, magnis copiis datis: quibus Euphemius receptis Siciliam ei prodit. Sic illa in potestatem Agarenorum venit, tyrannus autem non multo post sui sceleris, & desperationis dat pœnas, crudelissime interfectus*, ut fusiori stylo narrant Curopalates, Porphyrogeneta, & Cedrenus. Cum etenim perfidus Euphemius Imperatoria veste ornatus advenisset, duo Siracusani fratres, ad eum, tamquam salutaturi acce-

accedentes, interfecerunt. At Agareni, ut adnotat Curopalates: *Non Siciliam ex eo cunctam, sed & Calabriam, & plerasque Italiæ partes occupaverunt, omnia incursionibus, ac populationibus infestantes*. Non omnem tamen Siciliæ tractum primo impetu obtinuerunt Seraceni, nam Græci Siracusas, Taurominum, & Panormum longo post hoc tempore tenuerunt, ut ex chronico Siculo arabico scimus. De Euphemii tamen defectione agens auctor chronici Salernitani, adnotat; Euphemium ideo ad Seracenos in Africam aufugisse, atque inde cum Seracenis in Siciliam rediisse, ut injuriam ab Græco Siciliæ Præsule acceptam ulcisceretur, eo quod is pecunia corruptus, virginem quamdam Omonizam nomine sibi desponsatam, alteri tradiderit. Unde tota historia de rapta, & desponsata ab Euphemio virgine, quæ monasticam vitam profitebatur, inter fabulas Græcis scriptoribus familiares recenseri potest.

Jesu Chr. an. 827.

Dalmatæ Græcorum jugum excutiunt.

9. Cumque in dies Imperii Orientalis vires decrescerent, ac Creta, Sicilia ceterisque Joniæ insulis amissis, vix classem in mari Adriatico Græci tenere possent, Dalmatæ quoque opportunitate usi, Græcorum excusso jugo, in libertatem se se vindicarunt. *Liberi, suisque, non alienis legibus usi fuerunt*, inquit Porphyrogæneta libro de administratione Imperii capite 21. eademque continuator Theophanis de hac Dalmatorum defectione pag. 52. scribit. *Omnis Dalmatia sub id tempus a Romano Imperio defecit, suique omnes juris, ac sibi capita extiterunt, quoadusque inclitus ille Basilius Imperium regendum suscepit, tunc enim Romanæ facti sunt ditionis*. Dalmatæ scilicet, ii nempe, qui Græcorum Imperio olim subditi erant.

Seracenorum in Hispania victoriæ.

10. Atque hoc eodem tempore, cum undique fere christianus orbis Seracenorum armis vexaretur, in Hispania quoque victores fuerunt, nam, ut anno proximo diximus, cum Aizo Comes vir genere Gothus, Ludovico Imp. rebellis factus, auxilium ab Cordubensi Rege petiisset, ac obtinuisset, longe lateque finitimas Hispaniæ, Galliæque oras, excurrens, victor fuit, ut in annalibus narrat Eginhardus ad hunc annum. *Imperator Helisacharem Presbyterum, & Abbatem, & cum eo Hildebrandum, atque Donatum Comites ad motus Hispanicæ Marchæ componendos misit. Ante quorum adventum Aizo Seracenorum auxiliis fretus multa ejus-*

JESU CHR. AN. 827. *dem limitis custodibus adversa intulit, atque assiduis incursionibus in tantum fatigavit, ut quidam illorum, relictis, quæ habuerant, Castellis recederent.* Ad Seracenos quoque Valemundum filium Beræ Comitis defecisse, addit, qui Azoni conjunctus, rapinis atque incendiis plurima loca vastarunt. Quibus etsi Bernardus Barcinone Comes fortissime resisteret, ac Ludovicus Imp. contra Seracenorum exercitum, eorumque Ducem Abumarum Regis propinquum *Filium suum Pippinum Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens, Regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, nisi Ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad Marcham venisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, ut Abumarcam vastatis Barcinonensium, ac Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis, etiam quæ extra Urbes invenerat, direptis, incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet, priusquam a nostro exercitu vel videri potuisset. Hujus cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aere discursus &c.* Sicque nonnulli Marcæ Hispanicæ Comitatus in Seracenorum potestatem hoc tempore transierunt.

Egbertus totius Angliæ Monarchiam obtinet.

11. Ad hæc autem tempora, & fortasse ad hunc annum Brittanniæ Insulæ variis olim Regibus subditæ, in Egberti dominatum transierunt. Nam Malesburiensis in sua historia, postquam narravit Vidlasium Merciorum Regem, ab Egberto Vest Saxonum Rege, Regno dejectum fuisse, mox subdit. *Eodem anno Northenybri, qui se solos remansisse* (liberos scilicet) *timentes ne diu conceptam iram in eos effunderet, tandem vel sero datis obsidibus faverunt deditioni. Ita tota Brittannia potitus*, Egbertus, *reliquum vitæ per annos novem tranquille concurrit.* Hæc autem hoc anno contigisse his aliis verbis indicat, nam Northumbriæ Reges recensens, quorum ultimus fuit Ethelredus, subdit. *Transactis triginta tribus annis, hanc quoque regionem cum ceteris obtinuit Rex Egbertus anno Dominicæ Incarnationis* 827., *Regni sui* 33. At de his hactenus, de quibus plura ad hunc annum adnotat Pagius.

JE-

JESU CHRISTI annus 828. Gregorii 4. Papæ an. 2. Ludovici Imp. 15. Michaelis Balbi Imp. 9.

Conventus Aquisgranensis Comites ob res male gestas pœna afficit.

1. Ut acceptis anno proximo tum in Hispania, cum in Bojaria, seu Pannonia cladibus, mederetur Ludovicus pius, celebrem hoc anno Aquisgrani conventum Episcoporum, & Procerum celebravit mense Februario. *In quo*, ut ait Eginhardus in Annalibus, *cum de multis, & aliis causis, tum præcipue de iis, quæ in Marca Hispanica contigerunt, ratio habita, & legati, qui exercitui præerant, culpabiles inventi juxta merita, bonorum ammissione mulctati sunt. Similiter & Balderius Dux Forojuliensis, cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ superioris impune vastassent, honoribus, quos habebat, privatus, & Marca quam solus tenebat inter quatuor Comites divisa est*, in quatuor scilicet divisa Comitatus, Furojuliensem, Trevisanum, Paduanum, Vicentinum, & Veronesem. His subdit *Halitgarius Cameracensis Episcopus, & Ansfridus Abbas Monasterii Nonantulæ CPolim missi, a Michaele Imp., sicut ipsi deinde reversi retulerunt, honorifice suscepti sunt*, ac ad Ludovicum hoc anno dum Aquisgrano esset, redierunt, ut aperte auctor vitæ Ludovici his verbis indicat. *Halitgarius Cameracensis Episcopus, & Ansfridus Abbas Monasterii Nonantulæ a transmarinis partibus redeuntes, humanissime se susceptos a Michaele retulerunt.*

Legatos a Gregorio Papa missos Ludovicus recipit Ingelhemj.

2. Ex Aquisgranensi Palatio ad Ingelheimense Ludovicus Imp. transiit. *Junio mense*, ait idem Eginhardus, *ibique per aliquot dies placitum habuit, in quo cum de filiis suis Lothario, & Pippino cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id quomodo fieret, ordinasset, Missos etiam Romani Pontificis, Quirinum Primicerium, ac Theophylactum Nomenclatorem, qui ad eum illo venerant, audita eorum Legatione dimisisset, ad villam Franconofurt profectus est. Ibique aliquandiu moratus, Vormatiam venit, & dein Theodonis villam perrexit.* His addit Auctor Vitæ Ludovici Pii: *Imperator cum in Theonis (seu Theodonis) villam devenisset, famaque venturos in nostros fines Saracenos, pervulgasset, misit filium Lotharium ad eamdem Marcam, adjunctis illi Francorum validis multisque copiis.*

Jesu Chr. an. 828. *piis. Ubi cum præceptis paternis parens Lugdunum devenisset, & nuncium præstolaretur partium Hispanicarum, Pippinus ejus frater collocuturus advenit. Ibidemque illis morantibus Missus rediit dicens, movisse quidem Saracenos Maurosque exercitum quam maximum, sed pedem continuisse, nec illo tempore longius in nostros fines processuros, quibus auditis Pippinus in Aquitaniam, Lotharius autem ad patrem prospere rediit.*

In SS. Martyrum translatione prodigia patrata.

3. Aquisgranensi conventui ab Ludovico hoc anno celebrato, se quoque adfuisse Eginhardus in libello a se scripto, de translatione SS. Martyrum Petri, & Marcellini, his verbis narrat. *Imperator Ludovicus eo tempore Aquisgrani Palatio consistens, conventum Procerum ibi fieri, media fere hyeme præceperat. Ubi & ego inter ceteros adesse jussus, quia de vicinia SS. Martyrum abesse cogebatur, parum jucundas in Palatio moras faciebam. Ideoque post unum ex quo illo veneram mense exactum, misi quemdam ex nostris nomine Ellenhardum, præcipiens ei ut ad limina beatorum Martyrum,* (quorum reliquiæ in Gallias paulo ante delatæ fuerant) *quanta posset celeritate festinaret, visitatisque fratribus nostris, quos inde digrediens ad divinum servitium faciendum ibi dimiseram, atque omnibus, quæ ibidem agerentur, diligenter exploratis, ad nos cito recurrerent. Qui cum illuc venisset, tribus ibi mansit diebus. Quarto vero cum jam ad nos reverti disponeret*, ab Albrico quodam cœco admonitus fuit, ut moram faceret, cum revelatione didicisset, Gibbosum quemdam nomine Gisalbertum, Martyrum intercessione curandum fore, quod paulopost contigit. *Quo miraculo peracto*, subdit Eginhardus, *is quem illuc miseram, ad me cum summa festinatione regressus, cum ea, quæ viderat, retulisset, magno nos gaudio, & exultatione replevit*. Porro idem Albricus cœcus, ab ea, qua detinebatur infirmitate non solum curatus est, sed etiam prophetiæ dono illustratus, ac admonitus fuit, ut nonnulla Ludovico Imp. significaret, quæ corrigenda ab eodem Imp. erant; at quænam hæc fuerint, Eginhardus præteriit, ac miram tantum ejusdem Albrici curationem fusiori describit stylo, qui, scilicet, a mercatoribus nonnullis Mogontinis in Aquitaniam ad Basilicam SS. Martyrum Marcellini, & sociorum perductus, cum ibidem dies septem transegisset, curatione obtenta, Gabriel Angelus eidem

dem nocturna apparitione jussit, ut nonnulla Ludovico Imp. diceret, is vero Batleico, quem Romam Eginhardus ad sanctorum martyrum pignora accipienda miserat, cum jam rediisset, narravit, qui libello confecto Eginhardo detulit, ut Ludovico Imp. exhiberet. Eginhardus vero, *Suscepi ab eo libellum*, ait, *atque perlegi, emendatumque, ac noviter scriptum, Imperatori, ut jusserat, obtuli &c.* Atque hic alius de eorumdem SS. Martyrum miraculis libellus exscribendus foret, eidem Eginhardo hoc anno dum in Palatio esset oblatus, ut idem auctor lib. 3. cap. 4. narrat. At hæc brevitatis studio prætcrimus, sicuti & alios duos libellos, quibus de miraculis agitur editis iis in locis, ad quæ ejusdem Eginhardi concessione reliquiæ eorumdem Martyrum delatæ sunt. Is vero libellos acceptos in libro quarto cap. 17. describens, hæc præfatur. *Alter libellus mihi oblatus est de monasterio S. Bavonis, quod situm est juxta Scheldim in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legiæ flumini conjungitur, a fratribus ibidem Deo servientibus, quorum rogatu reliquias memoratorum Christi Martyrum ad idem monasterium misi, in quo hæc per ordinem gesta reperta sunt. Anno ab Incarn. D. N. J. C. 828. venerunt reliquiæ SS. Christi martyrum Marcellini, & Petri ad monasterium Sancti Bavonis die quarto Non. Julias, feria 6. indict. 6. Tertia vero die, idest Dominica proxima quæ fuit tertio nonas Julii, puella quædam cæca nomine Harilinda de villa Furfenum &c. visum recepit.* Post dies octo puella altera nomine Helmrada de villa Magle, lumen recepit, triduo post alia puella Blidrada dicta de villa Roderetto cum curva esset, repente erecta est, die vero 12. Kal. Augusti fœmina quædam Edela nomine ancilla S. Amandi de villa Baceroda, cum esset cœca visum recepit, & ne singula enarremus, longus ibidem catalogus texitur de iis, qui a variis detenti infirmitatibus, Martyrum intercessione liberati sunt, quorum ibidem infirmitates, nomina, patria & curationis modus, ac dies, qua curati fuerant, adnotantur; numero autem sunt quindecim circiter, eademque Sanctorum martyrum virtus in infirmitatibus cujuscumque generis curandis eluxit in monasterio S. Servitii, ad quod martyrum reliquias Eginhardus misit, nam ut idem auctor narrat lib. 4. cap. 2. *Tertium quoque libellum detulerunt mihi fratres de monasterio S. Servitii Confessoris,* quod

Jesu Chr. an. 828.

JESU CHR. AN. 828. *quod situm est in ripa Mosæ fluminis, in vico, qui hodie Trajectus vocatur &c.* eoque narrabatur pridie nonas Junii illuc reliquias SS. Martyrum advenisse, eodemque die festo cum maxima solemnitate celebrato, ubi immensa populi multitudo convenerat, dum vespertinum officium celebraretur, puer quidam a nativitate cœcus nomine Berngisus de pago Eudnasi lumen recepit, apertisque oculis lucem vidit, sicque sequentibus diebus, alii post alios surdi, vel muti, vel membris vitiati, vel paralisi dissoluti, sanati sunt, de quibus ibidem agitur, quorum etiam nomina, patria, dies qua curati sunt, declarantur.

Cur Deus tot signa hoc tempore ediderit.

4. Cur autem Deus tot, tantaque prodigia & virtutes ibidem hoc tempore ediderit, hanc rationem affert Baronius. Sicut olim Joseph ad venturam famem pellendam horrea implevit Ægypti, ita plane mensuram bonam, confertam, coagitatam, & superfluentem intulit in Ecclesias Germanorum ex signis editis e sanctorum Martyrum reliquiis, quod venturas præviderat has, quas modo patiuntur hæreses, quibus Sanctorum cultus penitus auferetur, & sacrosanctæ ipsorum reliquiæ contemptui, atque despectui haberentur. Petant igitur qui sapiunt antiqua Patrum cellaria, referent repleta ab eis frugibus horrea, hisque vescantur, quibus alantur cibis ad vitam æternam, abstinentes omnino a venenatis eduliis hæreticorum. His libellum addidit Eginhardus, quo Energumeni cujusdam & a dœmone obsessi verba continebantur, quibus Francos Dei jussu a dœmone propter eorum peccata vexatos fuisse narravit. Sub idem ferme tempus, ait idem auctor lib. 4. cap. 13. cum Raileicus ad basilicam Martyrum regressus esset, allatus est nobis alter libellus continens verba & ratiocinationem cujusdam dœmonis, qui se Viggonem nominavit, quæ facta est ab eo coram multis testibus ante Altare, juxta quod sacri Martyrum cineres repositi sunt ad interrogationem Presbyteri, *qui exorcismum super energumenum etiam legebat*, atque inter Presbyterum exorcizantem, & Dœmonum concertationem, seu interrogationes, & responsiones subjicit, qua dixit propter Francorum peccata a Deo irato flagella in eos immissa fuisse. Quæ quidem cum per omnium ora vulgata essent, Ludovicus Imp. ad Dei iram avertendam, triduanum jejunium per universum Regnum indixit, ac concilia ab Episcopis ad mo-

morum correctionem procurandam, celebrari jussit.

5. Ut itaque tot mala, quibus Galliarum, & Germaniæ provinciæ affligabantur, occurreret, Deique iram placaret, in Aquisgranensi conventu hoc anno celebrato jussit Ludovicus, ut quatuor anno proximo in præcipuis Regni provinciis concilia convocarentur, ac interea, ut populos sibi subditos ad pœnitentiam agendam, divinamque protectionem sibi promerendam excitaret, solemne jejunium in toto Regno observandum præcepit, ac litteris publice propositis, ut a populo legerentur hæc edixit. *Recordari vos credimus, qualiter hoc anno consilio Sacerdotum, & aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum Regnum nostrum celebrare jussimus, Deumque tota devotione deposcere, ut nobis propitiaret in quibus illum maxime offensum habeamus nobis manifestare, & ut ad correctionem nostram necessariam, tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur.* His addit sibi in votis fuisse, ut in generali conventu cuncta, quæ Dei iram excitaverant, corrigerentur, at inimicorum infestatione prohibitum tunc fuisse, quare quatuor ad id exequendum concilia in præcipuis Regni urbibus anno proximo celebranda se indixisse addit, Missosque suos per totum Regnum destinasse, ut quæcumque emendatione indigebant, corrigerent, vel ad se referrent, dein subditos suos adloquens. *Quapropter* inquit, *volumus, ut vos omnes propter communem salutem, & regni honorem, ac populi utilitatem, obedientes & adjutores missis nostris in omnibus pro viribus esse non negligatis. Simulque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas una die in palatio nostro ad causas audiendas sedere, ut per hunc, aut illum Comitem, & providentia missorum, & obedientia populi manifestius appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus, ut generale triduanum jejunium secunda feria post octava Pentecostes celebrandum indicetur, & generaliter ab omnibus cum summa devotione observetur. Et quia undique inimicos sanctæ Dei ecclesiæ commoveri, & regnum a Deo nobis commissum infestare velle cognoscimus, præcipimus atque jubemus, ut omnes homines per totum regnum nostrum, qui exercitalis itineris debitores sunt, bene sint præparati cum equis, armis, instrumentis, carris, & victualibus, ut quocumque tempore eis a nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire, & in*

JESU CHR. AN. 828. Ludovici, & Lotharii Imp. epist. ad populos, ut pœnitentiam agerent.

JESU CHR. AN. 828. *in quamcumque partem necessitas postulaverit, pergere possint; & tamdiu ibi essent, quamdiu necessitas postulaverit.*

Capitula a Missis suis servanda.

6. His capitula plurima, a missis suis servanda addidit, quorum primo cautum est, ne Missi populo oneri essent, ne forte, quibus subvenire debebant, afflictionem inferrent, ac deinde ut diligens inquisitio de vita, moribus Episcoporum, aliorumque clericorum, vel monachorum institueretur jubet, & ut cetera, quæ Ecclesiæ utilitatem, spectabant, vel rectam justitiæ, & Reipublicæ administrationem corrigerent, admonuit, datis in eam rem quadraginta, & ultra capitulis, quæ apud Baluzium videri possunt.

Ludovici epist. ad Clerum, & populum, pro reformatione morum.

7. Alteram præterea Clero, populoque communem epistolam sive edictum proposuit, quo non solum sua publice confitetur peccata, sed cunctos etiam sibi subditos, ut idem facerent, hortatur. Ac primum se commemorat, quæ in suis ad populum litteris præceperat, jejunium scilicet solemne ad Dei iram placandam eodem anno indictum. *Quapropter nosse volumus*, ait, *solertiam nostram, quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primo omnes Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua, quam de omnium nostrum correctione & emendatione, secundum divinam auctoritatem quærendo, invenirent, & nobis atque fidelibus nostris, secundum ministerium sibi commissum annuntiarent*, quot flagella Deo irato paterentur, pluribus exponit, & qua ratione in synodis Mogontiæ, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ, male hactenus gesta emeudare deberent, cujus constitutio in Parisiensi concilio anno proximo celebrata, inscripta est.

Nicephorus CP. Patriarcha in exilio moritur.

8. Hoc anno Nicephorus CP. Patriarcha, cum ob Catholicæ fidei confessionem decimumquartum annum in exilio ageret, ex hac vita migravit. Testatur id Theophanes Præsbyter in oratione de exilio, & translatione reliquiarum S. Nicephori, ubi lugens miserandum statum Ecclesiæ CPolitanæ sub Imperatoribus Iconoclastis, tribusque Patriarchis Constantinopolitanis itidem hæreticis Iconoclastis, hæc subijcit: *Ista quidem mali dominatio gravissimas calamitates invexit, & cuncta permiscuit atque turbavit, non exiguo aut brevi temporis intervallo Imperatoris robore munita, sed triginta prope annorum spacio, quorum cum quatuordecim in exilio divi-*

divinus pater Nicephorus transegisset, ab hac mortali vita migravit ad immortalem, & sepultus est juxta templum sancti Martyris Theodori in Monasterio, quod ipse a fundamentis construxerat. In hoc enim cum esset mulctatus exilio, piam & sanctam vitam traduxit, & virtutum studio mentem suam excoluit, atque expurgavit, seque purum Dei, rerumque divinarum exemplum exhibuit, cum similis esset Angelorum, & simul tum monasticæ, tum Pontificiæ vitæ dignitatem virtutibus suis exornavit. Hactenus de obitu; de translatione vero facta corporis ejus summo cum honore Constantinopolim per S. Methodium Patriarcham, suo loco dicturi sumus. Cumque Nicephorus fidei Catholicæ causa in exilio obierit hinc factum, ut ejus memoriam a latina æque, ac Græca Ecclesia die 13. Martii celebretur. Jesu Chr. an. 828.

9. Nicephori CP. Patriarchæ vitam Ignatius Diaconus ejusdem Ecclesiæ scripsit, quam post Baronii obitum Bollandus publicavit; Nicephorus autem edidit, *Breviarium historicum de rebus gestis a Mauritio Imperatore* usque ad annum 769. a Petavio primum editum, cui fragmentum de Copronymi vita, & exitu, aliena manu additum est, ac utrumque opus post Simocatam in historia Bizantina editum est; adversus Iconomachos etiam nonnulla scripserat cujus fragmenta tantum hactenus edita sunt, non levi damno Christianæ Reipublicæ, ait Combefisius in auctuario, ac se multo plurima habere testatur, sibique alia ab Leone Allatio oblata fuisse addit. His adde chronographiam a mundi initio ad suam ætatem perductam, qua Regum seriem, & Patriarcharum præcipuarum sedium inseruit, cui etiam postea additi sunt Patriarchæ, qui ab eodem Nicephoro ad Photium ecclesiam CPolitanam administrarunt, quod opus ab Anastasio Bibliothecario latinitate donatum fuisse creditur. De ejusdem epistola ad Leonem tertium Pontificem, & de scriptis adversus Iconoclastas supra jam egimus. Nicephoro etiam CP. Patriarchæ canones plures Codex Ecclesiæ Græcæ tribuit, uti apud Cotelerium & Assemannum videre est. Nicephori CP. Episcopi opera.

JESU CHRISTI an. 829. Gregorii 4. Papæ an. 3. Ludovici Imp. 16. Theophili Imp. 1.

Ecclesia Sancti Marci a Gregorio quarto restauratur. & ornatur.

1. Gestis hujus anni 829. Gregorii quarti munificentia in Ecclesia S. Marci Romæ restauranda, & ornanda, sanctorumque reliquiis ditanda initium dabit, de quibus hæc adnotat Anastasius. *His igitur perfectis operibus*, scilicet, in ecclesia Principis Apostolorum, ubi S. Gregorii M. corpus in ampliorem locum collocaverat, ut supra diximus ad alia convertens animum, subdit, *Ecclesiam B. Marci confessoris atque Pontificis, quam tempore Sacerdotii sui regendam susceperat, & usquequo ad Pontificatus pervenit gratiam, in suo jure ac ditione permansit: quæ ob nimiam vetustatem crebro casura esse videbatur, cum omnipotentis Domini opitulatione a fundamentis prius erexit, & postmodum novis fabricis totam ad meliorem cultum atque decorem perduxit: absidemque ipsius prænominatæ basilicæ musivo aureis superinducto coloribus, cum summa populi gratulatione depinxit. Fecit vero sarta tecta ejus omnia nova, & quicquid in ea ante vile cognoverat, pretiosum postea esse maluit*. Hinc quamplurima, eaque prætiosissima, ex auro, argento, gemmis, serico &c. dona eidem Ecclesiæ obtulisse addit, ut ibidem, vel apud Baronium videre est,

Gregorius corpus S. Hermetis martyris ibidem transfert.

2. Nec auro tantum, argento, prætiosisque vestibus, & velis eamdem Ecclesiam nobilitavit Gregorius Papa, sed etiam sanctorum reliquiis, auro, argentoque prætiosioribus; ac reliquias B. Hermetis martyris in eam transtulisse narrat Eginhardus, quarum particulam cum ipse accepisset, miracula in ejus translatione peracta his verbis narrat. *Gregorius Romanæ urbis Episcopus, qui Eugenio, simulque Valentino in Pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci Evangelistæ in quo Presbyter fuerat, ampliare, & in eo monasterium vellet extruere, quæsivit per cœmeteria, & Ecclesias longe ab urbe constitutas, sicubi sanctorum Martyrum corpora posset invenire, inventaque, Titulo, quem opere magnifico extruxerat, curavit inferre. Casu igitur factum est, ut eo tempore quo sepulchrum beatissimi Hermetis erat apertum, & sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratia (ut moris est pœni-*

pœnitentibus) Romam venerat, congregatæ ad basilicam Martyris multitudini cum cæteris peregrinis interesset. Hic negocio quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati Martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit. Et Deusdonam Diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens, obnixe rogavit, ut ex his quantulumcumque a custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur, datoque custodibus pretio, non solum Hermetis, sed etiam sanctorum Prothi & Hyacinthi, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque & nostrum, qui ei, ut hoc faceret, persuasit, mittere curavit: quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens pro ingenti munere detulit. Cum autem de adventu reliquiarium sanctorum Proti, & Hyacinthi nobis esset indicatum, obviam illis processimus, easque ut par erat, honorifice suscipientes, atque basilicæ cum hymnis & orationibus inferentes propter corpora beatorum Marcellini, & Petri cum feretro quo venerant collocavimus &c. Subjicit Einhardus curationem energumenæ factam per sanctos Martyres Protum, atque Hyacinthum, nec non fœminæ Coloniensi claudæ, redditam per S. Martyrem Hermetem sanitatem, de cujus reliquiarum adventu, miraculisque ea occasione patratis distinctam ibidem narrationem inserit, quæ brevitatis studio prætermims.

JESU CHR. AN. 829.

3. Tanti autem Pontificis gloriam auxit ejusdem sollicitudo in tutandis ab Seracenorum incursionibus Romanæ Ecclesiæ subditis, ob quam rem Ostiensem civitatem mœnibus circumcinxit, ut narrat Anastasius. *Quoniam hujus sanctissimi patris temporibus, impia atque nefaria, & Deo odibilis Agarenorum gens a finibus suis consurgens pene in omnes insulas, & omnium regiones terrarum circumiens, deprædationes hominum, & locorum desolationes atrociter faciebat, atque hactenus facere nullatenus cessaret; de his quoque insolitis æque cavendis periculis misericordissimus Præsul magnum habens timorem, ne populus a Deo sibi, & B. Petro commissus Apostolo, qui in Portuensi, vel Ostiensi civitatibus habitabat, a Sarracenis nefandissimis tribulationis, ac deprædationis*

Gregorius Papa Ostiam mœnibus munit.

JESU CHR. AN. 829. *tionis sentiret jacturam, intimo trahens ex corde suspiria, cœpit prudenter inquirere, quomodo civitatem Ostiam adjuvare ac liberare potuisset.* Quare Ostiam vetustate destructam a fundamentis erexit, ac Gregoriopolim vocari jussit, atque ut Basilicam B. Petri extra Urbem positam tutam redderet, jecisse fundamenta alterius novæ civitatis, quæ postea Leoniana est appellata, his verbis Sigebertus enarrat: *Gregorius Papa dolens crebris Saracenorum incursionibus vexari, & vastari suburbium Urbis Romanæ circa Ecclesiam B. Petri Apostolorum principis: intendit illic urbem novam ædificare, ad quod consilio & auxilio Imperatoris animatus novam fabricam cœpit, sed non perfecit: Leo enim ejus nominis quartus cœptum opus absolvit.* Hæc Sigebertus.

Aquarum Aquæductus ac Molendina restaurat.

4. His addit Anastasius Molendina, ad annonæ securitatem in Urbe fovendam eum restaurasse; Præclarus hic Pontifex, ait: *Maximam undique curam ac vigilantiam gerens, considerans Romanorum penuriam, quod ubi triticum ad edendum moleretur, nullo modo haberent, divino fretus auxilio, formam, quæ Sabbatina nuncupatur, quæ jam per plurimos annos confracta atque disrupta esse videbatur, dato operis studio, sicut a priscis fuerat ædificata temporibus, ita quoque eam præfatus Antistes noviter ædificare atque construere nisus fuit, itaut ad ecclesiam B. Petri Apostoli usque ad Janiculum sicut prius, ita & nunc indisluenter decurrit &c.* At de Gregorii gestis hoc anno hactenus.

De synodo Parisiensi.

5. Ut ingruentibus malis, quibus affligebatur, aut minabatur Gallicanum Imperium, qua poterat ratione consuleret piissimus Imperator Ludovicus, in conventu Aquisgranensi inter cetera statuerat, ut sicuti prædiximus, congruo tempore, quatuor concilia a Metropolitanis cum suis suffraganeis celebrarentur, Mogontiæ scilicet, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ, atque ibidem, qua ratione ira Dei averti posset ab Episcopis inquireretur, sicut in prologo Parisiensis concilii cujus tantum acta supersunt, legitur, eademque in aliis tribus conciliis pertractata fuisse verosimile est.

Synodi prologus ad pœnitentiam agendam cunctos excitat.

6. In unum itaque Parisiis hoc anno congregati Episcopi, in præfatione synodo præfixa, prosperis nimium erigi, vel in adversis plus justo dejici neminem debere admonent, sed ad pœnitentiæ remedia confugere, quod plurimis exemplis

plis confirmant; deinde post plurima addunt. *Cum igitur hæc ita fideliter se habeant, & liquido pateat ecclesiam, quam Christus, qui eam suo proprio sanguine redemit, fuisque Orthodoxis famulis Hludovico & Hlotario, gloriosis Augustis regendam tuendamque committere occulta sua dispensatione voluit, diversorum morborum generibus affici, multifariis cladibus conteri divinum contra se mucronem interius exteriusque meritis exigentibus grassari, plagasque, quas dominus suis jussis obedire nolentibus, sed potius ad mala, quæ vetuit labentibus interminatus est, incessanter experiri, iidem Deo pleni principes cœlitus inspirati, consulto ad Deum congruam dignamque conversionem esse faciendam hortati sunt &c.* Quod pluribus etiam in eam rem adductis ex sacra scriptura exemplis, & auctoritatibus confirmant.

7. Sacerdotum autem officium esse Christianorum mores in melius mutare adnotant. Itaque *totius ecclesiæ sibi commissæ generalitati consulere cupientes* Imperatores Ludovicus, & Lotharius, *tantæque necessitatis negotium juste discretionis trutina præponderantes, idque sui officii non esse humiliter dijudicantes, consultu Sacerdotum, & Optimatum, ceterorumque fidelium suorum, idem negotium super placando furore Dei, his digne censuerunt esse committendum, per quos homines de infidelitatis tenebris liberantur, & in lucem fidei transferuntur & de filiis iræ filii adoptionis efficiuntur &c. Per hos igitur, eorumque doctrinam, tales tantique piissimi principes, sibi suisque fideliter crediderunt misericordiam propitiari posse divinam*, cum scriptum sit: *Interroga Sacerdotes &c.* Dein post aliqua. *His igitur legalibus, & propheticis institutis instructi, non ab re duxerunt super suis, populique sibi subjecti erratibus sacerdotes legem domini scientes consulendos. Quapropter statuerunt in quatuor congruentissimis imperii sui locis conventus Episcoporum uno eodemque tempore fieri debere, in quibus conventibus, domino inspirante, diligenter studerent quærere & investigare de causis ad religionem Christianam, eorumque curam pertinentibus, quid a Principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneretur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum sit, ut non teneretur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt, conservatione & actibus inveniri posset, quod divinæ regulæ atque aucto-*

Sacerdotale officium est ecclesiam regere, moresque christianorum corrigere.

JESU CHR. AN. 829. *auctoritate non concordaret, simulque invenirent, quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviassent. Et quidquid de his causis inventum fuisset, correctionis gratia, juxta ministerium sibi injunctum patenter denunciarent &c.* Tandem *eorumdem itaque gloriosorum, & Orthodoxorum Principum jussionibus obedientes, immo non solum nostræ, sed etiam ejus, totiusque populi sibi commissi saluti consulere cupientes, anno incarnationis. Imperantibus iisdem præcellentissimis, ac gloriosissimis ac Deo dilectis Augustis Ludovico videlicet: filioque ejus Lothario, sub die octavo Iduum Juniarias nos indigni Episcopi ex Diœcesi scilicet Durocortica, nec non diœcesi Senonica, & Turonica, atque Rothmagica apud Parisiorum urbem convenimus, & qualiter de paulo superius præmissis causis juxta admonitionem eorundem Principum egerimus, vel tractaverimus, atque statuerimus, in subsequenti breviter capitulatim adnotare curavimus, non ausu temerario sanctorum Patrum terminos trangredientes, sed potius his diligenter perpensis atque perspectis, per eos nostram, cæterorumque fidelium vitam corrigere & in melius reformare cupientes &c.* Hæc de tempore, causa, atque studio Episcoporum, qui Parisiis coeuntes duos canonum libellos conscripserunt, de his quæ spectarent ad Episcopos, quæ etiam a Regibus præstanda essent, cæterisque Christi fidelibus. Quibus adjecerunt Synodalem Epistolam, quæ cum rerum gestarum exactam cognitionem contineat, integram hoc loco exscribimus. *Dominis præstantissimis ac pietatis gratia præditis Ludovico, & Lothario Orthodoxis atque invictissimis Augustis, nos famuli vestri quamvis indigni, tamen Episcopi, Deo humiles grates persolvimus, ejusdemque immensam pietatem, & benignitatem collaudamus & prædicamus, qui vos adeo in suo amore devotissimos famulos suos flagrare fecit, ut de profectu & exaltatione sanctæ Ecclesiæ suæ indesinenter cogitetis, eamque ut matrem spiritualem, sicut fideles & dilecti spirituales filii ad meliora & potiora semper provehere studeatis: Nam cum mucro divinus Imperium vobis divinitus commissum interius, exteriusque merito nostræ iniquitatis, multifariis attereret cladibus: prudenter animadvertentes, quod hæc non nisi judicio evenirent, illico scriptis serenitatis vestræ anno præterito, cunctos Ecclesiarum pastores admonuistis, ut quia constabat*

bat eos speculatores Domini existere, & gladium divinum super terram, idest super peccatores Deum grassari, meminerint speculationis suæ, & jejunio triduano generaliter ab omnibus peracto, unusquisque in quolibet ordine positus, diligenter conscientiam suam conveniret, & ubi se Deum offendisse cognoscebat, maturato per pœnitentiæ satisfactionem corrigere non differret. In quibus etiam apicibus inserere vobis placuit, ut si Deus pacem undique, & ocium vobis tribueret, in hoc placitum vestrum generale consumere voluissetis, ut primum quicquid in vobis, idest, in persona & ministerio vestro corrigendum inveniretur, Domino auxiliante, corrigatis: deinde quæcumque in omnibus ordinibus Imperii vestri Deo displicerent, inquireretis, & secundum ejus voluntatem cum consensu fidelium vestrorum ad tramitem rectitudinis evocaretis, ut scilicet eum vobis, populoque vobis commisso propitium faceretis. Sed quia tempus optatum exterioribus incursionibus præpedientibus secundum desiderium vestrum nacti non estis; libuit serenitati vestræ cum quibusdam fidelibus vestris præterita hyeme placitum habere, & de his quæ præmissa sunt, diligenter tractare, Deique voluntatem quærere, & Ecclesiæ nobis commissæ utilitatem providere. Quapropter de omnibus quæ ad tempus emendatione digna visa sunt, congrua capitula serenitas vestra digessit, Legatosque strenuos delegavit, ut per eadem capitula, & flagitia malorum hominum punirent, & bonorum laude vestræ celsitudinis notescerent. Inter quæ etiam statuistis, in quatuor partibus Imperii vestri conventus Episcoporum uno eodemque tempore fieri, in quibus tractarent, quærerent, atque cum Dei adjutorio invenirent de causis ad religionem Christianam, eorumque curam pertinentibus, quid a principibus, & reliquo populo, vel ita, ut divina auctoritas docet, aut aliter tenetur, vel quid inde ex parte, aut ex toto dimissum esset, ut non teneretur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt, moribus, conversatione, & actibus inveniri posset, quod divinæ regulæ, atque auctoritati non concordaret, simulque inveniretur quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviassent: & quicquid de his inventum fuisset vestræ celsitudini notum facerent. Quod ut Deus posse dedit, nos fidelissimi ac devotissimi salutis vestræ procuratores, juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secun-

JESU CHR. AN. 829.

JESU CHR. AN. 829. *cundum sanctam devotionem, & ordinationem vestram de causis ad religionem Christianam, nostrumque ministerium atque periculum pertinentibus, nec non & de his quæ ad nostram correctionem & emendationem pertinere prospeximus, sive de his, quæ populis generaliter annuntianda & admonenda prævidimus, capitulatim in præcedentibus adnotavimus libellis, vestræque serenitati legenda, immo probanda, obtulimus. Et quamquam de his, quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere elegerimus: nequaquam tamen hæc, quæ specialiter ad vestram personam, ministeriumque pertinere cognovimus, oblivioni tradidimus: sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria in secundo hujus operis libello ad nomen, ministeriumque vestrum pertinentia, periculumque cavendum, solerti studio congessimus, & vobis familiariter admonitionis gratia porrigenda devovimus, ut ea diligenter inspiciendo, legendo, & audiendo, aperte atque distincte vestra cognoscat celsitudo, de quibus, & pro quibus in memoratis conventibus nostris, secundum virium nostrarum possibilitatem fideliter salubriterque egerimus*: Hactenus epistola synodalis ad imperatores Ludovicum, & Lotharium.

Libelli ab Episcopis Ludovico, & Lothario exhibiti.

8. Synodali epistolæ duos libros addiderunt, quorum primo in capita 54. distincto, quæcumque ad ecclesiasticam disciplinam restaurandam aptiora sibi visa fuerant, exposuerunt, altero vero in capita 13. distincto, Regum officia, aut Magnatum, vel civium in divinis, vel ecclesiæ præceptis servandis diligentia, & sollicitudo exponuntur, hac adhibita Præfatione: *Hactenus de causis ad religionem Christianam curamque pastorum pertinentibus &c.* in priori libello expositis. *In hoc quoque, qui sequitur libello, specialiter de regibus, & Principibus, & generaliter de omnibus fidelibus, & quod ubi avaritia, invidia, & odium, & cetera vitia caritati contraria regnant, quia eadem caritas, quæ Deus est, his inesse non potest, status Ecclesiæ periclitatur, & quod religio Christiana sub Apostolis devotius, quam nunc floreat, floruerit, & nostro seculo circa multos marcescat, restat prosequendum*. Capita deinde tredecim in id spectantia sequuntur, atque sic exordiuntur. *Rex a recta agendo vocatur &c.*

Parisiensis synodi canones.

9. Præter duos libellos de ecclesiarum administratione, deque clericorum cujuscumque ordinis vita rite, recteque

ſteque inſtituenda, ac de Regum officiis, & de juſtitia adminiſtranda, canones etiam 27. in eamdem rem Pariſienſis ſynodus edidit, ac ad Imperatores miſit, ut ſua auctoritate eoſdem confirmarent. Ex his notatu hi præcipue occurrunt. De injuſtis, inæqualibuſque menſuris atque ponderibus non adhibendis. De diei Dominicæ obſervatione, et ut Miſſarum celebratio in locis tantum ſacris fieret. De his quæ indiſcrete ſibi velum virginitatis imponunt. Quænam ſit poteſtas & dignitas Epiſcoporum. De non ſpernendo Epiſcoporum officio, & ut fideles propter illa offendi non debeant, quæ ab Epiſcopis pro eorum ſalute ſuggeruntur. Ut concilia ſemel ſaltem quotannis fiant per unamquamquam provinciam. Ut ſcholæ publicæ in tribus ſaltem Imperii locis erigerentur. Ut revocentur ad Eccleſias ſuas Presbyteri, & Diaconi fuga lapſi. Ne monachi, & clerici palatium frequentent. Ne ſanguinis effuſio fieret. Ut Abbates & Abbatiſſæ, ac laici qui habent monaſteria, religioſe ea conſervent, & congregationes ſibi commiſſas non negligant, Epiſcoporumque admonitionibus pareant. Deinde agitur de presbyteris, & capellis palatinis. De frequenti perceptione corporis & ſanguinis Domini, atque ut Regis conſiliari, ceterique domus ſacræ miniſtri concordiam inter ſe habeant, & fama ſanctæ opinionis & imitatione digni habeantur. Ut filii regis in timore Dei, mutuaque concordia erudiantur, & ne Principes in cauſas eccleſiaſticas proſilire, nec ſacerdotes in ſæcularibus negotiis occupari debeant jubetur. Poſt Pariſienſem, tres alias Synodos in Ludovici Imperio Mogontiæ ſcilicet, Lugduno, & Toloſæ celebratas hoc eodem anno fuiſſe diximus, quarum cum acta perierint, nil ultra dicendum reſtat, eadem præterpropter ibidem quoque ſtatuta fuiſſe vero ſimile eſt.

Jesu Chr. an. 829.

10. In eamdem rem extat Valæ Abbatis ad Ludovicum pium libellus. Is quippe ab eodem Imperatore interrogatus, ut diligentius inquireret, *Quid eſſet, in quo Deus offenſus eſſet, vel quibus operibus placari poſſet*, parvum exhibuit libellum, quo quamplurima, tum in Eccleſia, cum in Reipublicæ adminiſtratione male hactenus geſta expoſuit, & qua ratione emendari poterant breviter explicavit; quinque autem fere capitibus corrigenda diſtribuit, ut in Arſenii epitaphio, ſeu vita, libro ſecundo narrat Paſchaſius Radbertus. Arſenii autem nomine Valam Abbatem intelligit, eoque libello adnotat.

Valæ Abbatis admonitio ad Ludovicum.

Jesu Chr. an. 829. notat, Ecclesiæ statum duobus constare ordinibus, Sacerdotio, scilicet, & Imperio; ac Imperatorem imprimis admonet, ut suo contentus officio, divinis nequaquam se immisceat. Episcopi vero, & ecclesiarum ministri quæ Dei sunt agant, & ne secularibus incumbant. Deinde ut Rex tales in regno suo rectores constituat, quales Dominus in lege requirit, quos utique probos ad regendum populum Dei, & idoneos cognoscat, qui avaritiam oderint, ac justitiam diligant, & ne laici, cujuscumque dignitatis sint, res ecclesiarum usurpent, quippe quæ sunt, pretia peccatorum, vota fidelium, patrimonia pauperum. Idcirco, additum est, quod semel legitime consecratum est Deo, suis militibus, idest ministris, & pauperibus relinquendum esse. Deinde; Habeat igitur Rex rem publicam libere in usus militiæ suæ dispensandam: habeat & Christus res ecclesiarum, quasi alteram rem publicam, omnium indigentium, & sibi servientium usibus destinatam. Deinde Regis officium est, addit, ut talibus committatur Respublica, qui & fideliter dispensent, & sapienter provideant, ut sic omnes glorificent Deum, & gaudeant in Christo, non minus ex futurorum promissis, quam ex præsentium solatio. Cumque reponerent seculares, rem publicam sic *attenuatam* & attritam esse, ut ad regni necessitates sufficere non valeret, proinde rebus ecclesiasticis juvari oportere: His respondebat Valla, quærendum esse in expensis faciendis modum, & ordinem. Præterea monebat, ut episcopatus secundum canonicam auctoritatem darentur, arguebatque in primis clericos palatii, quos capellanos vocant, *qui non ob aliud*, inquit, *serviunt, nisi ob honores ecclesiarum & quæstus ac lucri gratia sine probatione magisterii*. Denique monasteriorum pericula exposuit, quorum nonulla a laicis, non sine regularis observantiæ detrimento, occupata tenebantur, depravata erant. His, aliisque a Vala expositis, quatuor ut diximus, concilia Imperator indixit, in quibus multa preclare in rem præsentem constituta, quæ vix effectum sortita sunt. *Prohibentibus* maxime, ut ait Paschasius, Regni Consulibus, seu Comitibus, qui *cum noluissent recipere spiritum veritatis ad correptionem, receperunt spiritum erroris ad vertiginem*.

11. Et si-

Jesu Chr. an. 829.

De Scholis aperiendis, & frequentandis in Galliis, & in Italia.

11. Et sane multa eaque præclara ad Ecclesiæ disciplinam in pristinum revocandam, & ad Rempublicam recte administrandam statuta tunc in concilio Parisiensi fuisse, vel ipsa capitum summa indicat, quorum duodecimo de aperiendis retinendisque in variis Imperii urbibus, scholis, sicuti Carolus Magnus jusserat, hæc iterum Ludovico suggerunt. *Obnixe & suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis, Scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant, ut labor patris vestri, & vester per incuriam quod absit labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto, & magna utilitas, & honor sanctæ Dei ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.* Quid de his inde gestum, aut ubi Scholæ in Galliis apertæ fuerint, non constat. Post Vormatiensem Conventum Lotharium filium suum Ludovicus Imperator in Italiam misit. *Ludovicus medio mense Augusto Vormatiam venit, ibique habito generali conventu, & oblata sibi annua dona more solemni suscepit, & Lotharium quoque filium suum, finito illo conventu in Italiam direxit*, ait Eginhardus. Is vero in Italiam reversus Sholas multis in locis aperiri jussit, ut ex ejusdem sanctione in appendice ad leges Longobardicas constat. *De doctrina vero, quæ ob nimiam incuriam atque ignaviam quorumdam Præpositorum cunctis in locis est funditus extincta, statuit, ut sicut a nobis constitutum est, ita ab omnibus observetur. Videlicet ut ab his, qui nostra dispositione Artem docentes, alios per loca denominata sunt constituti, maximum dent studium, qualiter sibi commissi Scholastici ita proficiant, atque doctrinæ insistant, sicut præsens exposcit necessitas. Propter opportunitatem tamen omnium apta loca distincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe positorum, ac paupertas nulli fieret excusatio. Id sunt. Primum in Papia conveniant ad Dungalum de Mediolano, de Brixia, de Laude, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Artona, de Aquis, de Genua, de Haste, de Cuma. In Eboreja ipse Episcopus hoc per se faciat. In Taurinis conveniant de Vighintimilio, de Albegano, de Vadis, de Alba. In Cremona discant de Regia, de Placentia, de Parma, de Mutina. In Florentia de Tuscia respiciant. In Firmo de Spoletinis civitatibus conveniant. In Verona de Mantua,*

Ff 2

Jesu Chr. an. 829. *tua, de Tridento. In Vincentia de Patavio, de Tarvisio, de Feltris, de Ceneta, de Asilo, reliquæ civitates Forum Julii ad scholam concurrant.*

De Academiarum origine, an hoc seculo erectæ fuerint.

12. Quænam autem litteræ iis in scholis traderentur, Artis nomine designatæ, *ut ab his, qui nostra dispositione*, ait Lotharius, *artem docentes alios per loca denominata sunt constituti*, quid, inquam, magistri docerent, definiri vix potest. Grammaticam tamen, seu etiam Rethoricam, artis nomine complecti vero proximum est. Ex his autem, quæ de aperiendis, frequentandisque scholis ab Carolo M., Ludovico pio, aut Lothario Imp. statuta sunt, Accademias, seu Universitates, ubi divinæ, humanæque litteræ traduntur, ortum habuisse plerique contendunt, ac studiorum Lycea seu universitates ab Carolo M., vel Ludovico, ut plurimum fundatas, erectasque fuisse tradiderunt; Parisiensem scilicet, Bononiensem, Ticinensem, aliasque. At inter eruditos certum pene est Parisiensem, æque ac ceteras studiorum Academias recentioris ætatis esse, uti de Parisiensi probat Launojus, de Bononiensi Sartins, ac plura dabunt Maurini scriptores historiæ litterariæ Galliæ, de Italicis vero Tiraboschi in historia litteraria Italiæ.

De Dungalo monacho & Magistro Ticinensi.

13. Inter Magistros ad italicam juventutem erudiendam ab Lothario destinatos, Dungalum primo loco Imperator nominat. *Primum in Papia conveniant ad Dungalum de Mediolano &c.* & de tota Liguria. Hunc autem eumdem monachum fuisse non immerito suspicatur Muratorius, ac Dungalum, quem Mabillonius, Pagius, auctores historiæ litterariæ Gallorum, aliique passim monachum Dionysianum prope Parisios, aut etiam reclusum dixerunt, quem supra anno 825. post Theodomirum contra Claudium Taurinensem de sacrarum imaginum cultu retinendo scripsisse diximus; quique ad Carolum M. anno 810. de Solari Eclypsi longiorem dederat epistolam. Is autem in præfatione ad Ludovicum, & Lotharium Imperatores, se alienigenam in ea terra fuisse, ubi librum adversus Claudium scribebat his verbis innuit: *Secundum ex quo in hanc terram advenerim, occasio mihi copiosa hac de re reclamandi occurrit*. Scotum fortasse fuisse suspicatus est Mabillonius, ac in Galliis eum librum edidisse tradit. Nil tamen prohibet, quin Gallum fuisse dicamus, qui in terra aliena, idest Ticini litteras docuit, eum-

eumdemque in Galliis quoque litteras docuisse Mabillonius, aliique scriptores tradunt, ac auctor coevus, qui epitaphium Dungalo, dum adhuc viveret, dicavit his versibus diserte indicat. Jesu Chr. an. 829.

In domini meditans toto conamine lege
Et servit Domino mens pia jure suo
Discipulos proprios inlustrat lumine sacro
Ceu posita in celso clara lucerna loco.
Scripturas promit casto de pectore sacras
Edocet infirmos, & validos pariter
Lacte rigat pueros, & dat cupientibus escam,
Hinc lac ut capiant, inde cibum pariter.

Hæc & alia in Dungali laudem is auctor, quem sane Magistrum Ticinensem liberales artes pueris edocentem designasse videtur.

Conventus Vormatiensis, quid ibidem gestum.

14. Ludovicus interea Imp. *post exactam hyemem*, ait Eginhardus, *in ipso sancto Quadragesimali jejunio, paucis ante sanctum Pascha diebus Aquisgrani terræmotu noctu facto*, diversis negotiis intentus usque ad Kal. Julii subdit, ac *medio mense Augusto* Vormatiam venit, ibique habito generali conventu, Lotharium filium suum *in Italiam direxit, & Bernardum Comitem Barcinone, qui eatenus in Marca Hispanica præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit.* Quot inde turbæ adversus Ludovicum sint excitatæ, paulo post dicemus; nunc adnotare juvabit, in hoc Vormatiensi conventu capitula, quæ in quatuor synodis hoc anno celebratis vulgata, ac ad Imperatorem missa fuerant, lecta fuisse. Quare Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in libello de divortio Lotharii, & Thetbergæ ad interrogationem quintam respondens, qua quæritur, quando viro liceat ab uxore discedere, & alteram ducere, & vicissim uxori idem facere, eorum auctoritatem adducens, hæc adnotat. *Nostri etiam ævi Augustus piæ memoriæ Ludovicus, in Synodo ac Placito generali apud Vormatiam, Apostolicæ Sedis, & Papæ Gregorii commeante Legato cum aliis plurimis, de his, quæ Episcopi in synodis per quatuor loca sui Imperii habitis necessario, & utiliter nuper invenerunt, de hac unde agitur causa, omnium tamen Episcoporum, quam & fidelium laicorum votis conve-*

convenientibus, ita discernens, quicumque, inquit, propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam, & si contumax fuerit, comprehendatur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur, quæ totidem verbis inter Parisiensis synodi capitula leguntur, ut apud Baluzium videre est.

Bernardus tutor Carolo datur, & Camerarius Palatii creatur.

15. Quoad Bernardum Marcæ Hispanicæ Præfectum, & Septimaniæ Ducem quem Palatii Camerarium hoc anno Ludovicus dixerat, ut ait Eginhardus, quemque filio suo Carolo tutorem dederat, narrat auctor ejus vitæ, id ab Ludovico gestum, tum ut saluti suæ, cum filii impuberis, idest Caroli consuleret. *Pro eo conventu*, Vormatiensi, *comperiens clandestinas circa se eorum, quos vitæ reservaverat machinationes, more cancri serpere, & multorum animos quasi per quosdam cuniculos sollicitare, statuit sibi contra eos quoddam propugnaculum erigere, nam Bernardum, eatenus Hispaniarum partium & limitum Custodem Cameræ suæ præfecit. Quæ res non seminarium discordiæ extinxit, sed potius augmentum creavit &c.*

Ludovicus Imp. Carolo filio Regni partem tribuit.

16. Dissidiorum autem causa Caroli nativitas fuit, qui cum post Regni divisionem inter filios suos factam, ei natus fuisset, partem Regni hoc anno, Alemaniam scilicet, & Rhetiam, ab Lotharii Regno divulsam, Carolo tradidit, ob quam rem Lotharius paulopost in patrem rebellavit. *Carolo nato*, inquit Nithardus luctuosam tragœdiam prosequens, *quoniam omne Imperium inter reliquos filios pater diviserat, quid huic faceret ignorabat. Cumque anxius pater pro filio suo rogaret, tandem Lotharius consensit, ac sacramento testatus est, ut portionem Regni, quam mallet, eidem pater daret, tutoremque ac defensorem illius se fore contra inimicos ejus in futuro jurando firmavit. Instigante autem Hugone, cujus filiam in matrimonium Lotharius duxerat, ac Mathfrido, ceterisque, sero hoc fecisse pœnituit, & quemadmodum illud quod fecerat, annullare posset, quærebat. Quod patrem, matremque minime latuit, ac per hoc hinc inde quod pater statuerat, Lotharius diruere, etsi non manifesto, occulte studebat. Ad quod Bernardum quemdam Ducem Septimaniæ pater in supplementum sibi sumens, Camerarium constituit, Carolumque eidem commendavit, ac secundum a se Impe*

Imperio præfecit. Qui dum incolsulte re publica abuteretur, quam solidare debuit, penitus evertit. Factus & ipse, post tot accepta beneficia Ludovico rebellis, ut infra dicturi sumus.

17. Inter concilia quatuor hoc anno in Galliis celebrata, Lugdunense recensetur, cujus etsi acta perierint, sicuti & Mogontini, & Tolosani, extat tamen Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi ad Ludovicum epistola, suo, & concilii nomine scripta, qua de Judæorum insolentia conqueritur, utque eorumdem perfidia coerceretur, enixe rogat, atque hæc *omnia cum fratribus contulimus*, ait, idest cum Episcopis in synodo congregatis. Extantque eodem tempore aliæ ad eumdem Augustum datæ litteræ de Judæorum superstitionibus, ab eodem Agobardo, a Bernardo Viennensi Archiepiscopo, & ab Eaof Cabillonensi Episcopo. In sua ad Ludovicum pium epistola queritur Agobardus de Euracdo magistro Judæorum, & de missis Imperatoris Gefrico, & Frederico. *Qui ostenderunt se christianis terribiles, & Judæis mites, maxime Lugduni, ubi partem persecutionis adversus Ecclesiam depinxerunt*, & in quantum exinde Judæi prorupeprint insolentiam, eidem Augusto exponit, hæc subdens: *Hæc passi sumus a fautoribus Judæorum, non ob aliud, nisi quia predicavimus Christianis, ut mancipia eis Christiana non venderent, ut ipsos Judæos Christianos vendere ad Hispaniam non permitterent, nec mercenarios domesticos habere, ne fœminæ Christianæ cum eis sabbatizarent, & ne diebus Dominicis operarentur, ne diebus Quadragesimæ cum eis pranderent, & mercenarii eorum iisdem diebus carnes manducarent, ne quilibet Christianus carnes a Judæis immolatas & degublatas emeret, & aliis Christianis venderet, ne vinum illorum biberent, & alia hujusmodi.* Deinde quanta sup rstitione pecora, aliave animalia antequam ederent, examinarent, quantave christianos ludibria, & in Jesum Christum blasphœmias jactarent, exponit, quæ prosequi longum esset.

Agobardi epistola ad Ludovicum Imperat. de Judæorum insolentia comprimenda.

18. In fine autem epistolæ eadem summatim Agobardus complectitur, quæ in altera ad eumdem Imperatorem de Judaicis superstitionibus inscripta narraverat, easque tollendas sacræ scripturæ auctoritate, Patrumque sententiis, & conciliorum decretis admonet; Judæos etiam accusat, quod non semel pueros christianos emebant, aut furabantur, eosque

Judæi pueros christianos furabantur.

JESU CHR. AN. 829. eosque in alias provincias ablegatos, Judaice vivere cogebant. *Cum praecedens schedula dictata fuisset, supervenit quidam homo fugiens ab Hispanis de Cordoba, qui se dicebat furatum esse a quodam Judaeo Lugduno ante annos triginta quatuor, parvum adhuc puerum & venditum, fugisse autem anno praesenti cum alio, qui similiter furatus fuerat Arelate ab alio Judaeo ante annos sex. Cumque hujus, qui Lugdunensis fuerat, notos quaereremus, & inveniremus, dictum est a quibusdam & alios ab eodem Judaeo furatos, alios vero emptos, ac venditos, ab alio quoque Judaeo anno praesenti alium puerum furatum & venditum, qua hora inventum est plures Christianos a Christianis vendi, & comparari a Judaeis, perpetrarique ab eis multa infanda, quae turpia sunt ad scribendum &c.*

Agobardi epist. ad Hilduinum & Valam, ne Judaei mancipia sua christianos fieri prohiberent.

19. Ejusdem fidei zelo incensus Agobardus ad Hilduinum Ludovici Imp. Archicapellanum, & ad Valam Corbejensem Abbatem, & Imperatoris consobrinum, utpote eidem familiarissimos, & acceptissimos, gravissimas dedit litteras, ut ab eodem Imperatore obtineret, ne Judaei uxores, filios, aut mancipia christianos fieri prohiberent. Idque, ut post plurima subdit, *praetextu praecepti cujusdam Ludovici Imp., quod sibi datum ab Imperatore gloriantur, in quo continetur, ut mancipium Judaicum absque voluntate Domini sui nemo baptizet. Quod a nobis omnino non creditur, ut a facie Christianissimi & piissimi Imperatoris tam contraria Ecclesiae regulae sit egressa sententia.* Multa deinde cum ex Evangelio, tum ex Epistolis divi Pauli profert testimonia, quibus egregie probat, Ecclesiasticae disciplinae contrariam esse, quam Judaei circumferebant Imperatoris legem, quia Christus in Evangelio apud Matthaeum cap. 28. absque ulla personarum discretione, Apostolis dixerat. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et doctor Gentium in prima ad Timotheum Epistola cap. 16. servos Christianos duas in classes distinguit, alii enim dominis infidelibus, alii fidelibus serviunt. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt.* Denique sic Epistolam suam claudit: *Si prae-*

praeceptum illud observamus neglectis ecclesiasticis regulis Deum offendimus, si has sequimur, Imperatoris indignationem veremur, maxime cum Magister infidelium Judaeorum inceſſanter nobis comminetur se Missos de Palatio adducturum, qui pro hujusmodi rebus nos judicent & distringat. Quae res non solum perturbationem affert, verum etiam eis, qui ad fidem facile converti poterant, quantum ingerat impedimentum, vestra est prudentiae aestimare. Itaque enixe rogat, *ut Imperatori suggerant, ut hujusmodi impedimentum de sancta Ecclesia auferatur, & inter multa & maxima quae piissime ac justissime in tradito & conservato sibi a Christo disposito Imperio, etiam huic rei propter amorem ipsius Christi misericordissima & solita bonitate succurrat, ne animae, ex quibus Grex fidelium augeri poterant, & pro quarum salute in diebus passionis Dominicae ab universali Ecclesia Deo publice supplicatur, obsistente infidelium, & Deo adversantium duritia, etiam dicti Praecepti occasione Diaboli laqueis remaneant implicatae. Certe in sacris canonibus constitutum, ut si qui ex eis ad baptismum venerint, si voluerit Episcopus, vel quilibet fidelium, redimendi eos habeat potestatem. Quod nos lubentissime facere cupimus, hoc tantummodo postulantes, ut eis veniendi ad fidem facultas libera tribuatur. Nec nos dicimus, quod eis filios, vel servos eorum violenter auferendos esse censeamus, sed ut venientibus ad fidem ab infidelibus licentia non negetur &c.*

JESU CHR. AN. 829.

20. In eamdem rem Adalhardum, aliosque Palatii Proceres consuluerat Agobardus. *Summopere*, inquit, *mihi necesse est scire, & ut existimo, etiam omnibus, ut dare dignemini consilium, quod divino congruit operi, quid faciendum sit de mancipiis Judaeorum ethnicis, quae illi comparaverunt, & nutriti apud illos discunt linguam nostram. Audiunt de fide, vident celebrationes Solemnitatum, & per haec compunguntur ad amorem Christianitatis, & desiderant fieri in corpore Ecclesiae membra Christi, & confugiunt ad Ecclesiam baptismum postulantes, utrum videlicet debeamus illis hoc abnegare, an dare ubi possumus*. Paulo post ab exemplo cum Apostolorum, tum virorum Apostolicorum, quid faciendum censeat, sic declarat: *Omnes Sancti Praedicatores socii Apostolorum, docentes omnes gentes, & baptizantes, non expectaverunt dominorum carnalium licentiam, ut ser-*

An mancipia Judaeorum baptizari possint.

Jesu Chr. an. 829. *vos baptizarent, quasi non eos oportere baptizari, nisi eis permittentibus, sed scientes & prædicantes quod servi, & domini unum habeant Dominum Deum in Cœlis, omnes baptizaverunt, omnes in uno corpore redegerunt, omnesque ut fratres & filios Dei essent docuerunt, ita tamen, ut unusquisque in quo vocatus est, in hoc permanerent, non studio, sed necessitate, sed & si qui possent liberi fieri magis uterentur.* Hæc & alia ibidem in eamdem rem ab Adelhardo scripta, ea quibus, aque ex hactenus dictis constat, hoc tempore multos, eosque gravissimos, tum in ecclesiam, cum in Imperium Francorum abusus irrepsisse, etsi Imperium Ludovicus pius regeret, neque deessent Episcopi doctrina, zeloque fidei, & ecclesiasticæ disciplinæ præstantes, qui frequentibus conciliorum canonibus hæc emendare conarentur. Tanta nihilominus ea ætate Francorum erat in malum propensio, ut vix medelam admitterent irruentes abusus, omnisque generis corruptelæ in immensum tractu temporis excreverint, ut ex dicendis infra constabit.

Anscharii missio in Sveciam ad prædicandum Evangelium.

21. Anno 826. Anscharium cum Autberto monacho in Daniam, & Svetiam evangelicæ prædicationis causa transiisse diximus, ibidemque biennio, & ultra substitisse, quo tempore cum Christi fides apud Svecorum gentem innotuisset, eamdemque amplecti quamplurimi cuperent, ad Ludovicum pium legatos miserunt. *Qui inter alia legationis suæ mandata clementissimo Cæsari innotuerunt*, ait Rambertus in vita Anscharii, *esse multos in gente sua, qui christianæ religionis cultum suscipere desiderarent. Regis quoque sui animum ad hoc satis benevolum, ut ubi Sacerdotes Dei esse permitteret, tantum ejus munificentia mereretur, ut eis Prædicatores destinarent idoneos. Quos religiosissimus audiens Imperator, plurimum exhilaratus, quærere cœpit, quos in illas partes dirigeret, qui probarent, utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi illi intimaverant, & cultum Christianæ Religionis illis tradere inciperent: Unde factum est, ut iterum eum memorato Abbate vestro* (idest cum Vala Corbejæ Veteris Abbate) *Serenissimus Imperator tractare cœperit, si quem forte de suis Monachis invenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet, aut certe, qui eum Herioldo moraretur, & is qui cum eo erat, servus Dei Anscharius, illam susciperat legationem.* Itaque inter-

Interrogatus Anscharius an illam pro Christi nomine legationem suscipere vellet, se ad omnia pro Christi fide sustinenda paratum esse dixit, probatoque consilio, socium Anschario in ea profectione Vitmarum veteris Corbejæ monachum, Vala Abbas dedit. Paratis igitur omnibus ad eam missionem necessariis, Anscharius cum sociis, & Svecorum legatis, Mosæ fluvio in Oceanum, atque inde in Sveciam transmissurus se committit; at a piratis oppressi, vix salvi ad terram evaserunt, amissis omnibus, quæ secum asportaverant, cum regiis muneribus, quæ in Sveciam deferebant, & quadraginta Codicibus, quos ad usum detulerant.

Jesu Chr. an. 829.

22. *Hoc itaque facto*, sequitur Rambertus, *cum quidam in antea ire disponerent, servus Dei accepto itinere nulla ratione flecti potuit: quin potius in Dei ponens arbitrio quid illis contingerent, nequaquam redire disposuit, antequam nutu Dei dignosceret, utrum in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. Cum gravi itaque difficultate pedibus post hoc per longissimam viam incedentes, &, ubi congruebat, interjacentia maria navigio transeuntes, tandem ad portum Regni ipsorum, qui Byrca dicitur, pervenerunt: ubi benigne a Rege eorum, qui Bern vocabatur, suscepti sunt*, qui eorum cognita legatione, habita cum suis consultatione, dedit eis licentiam ibidem evangelium prædicandi, concessa quibuslibet libertate eorum doctrinam amplectendi. *Itaque alacri corde servi Dei videntes prospere ea, quæ optaverant, successisse, populis ibi constitutis Verbum Dei adnunciare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum legationi favebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur Christiani, qui gaudebant jam tandem se mysteriis posse participari: probatumque est omnia ita veraciter constare, sicut Missi ipsorum Serenissimo Cæsari innotuerunt, & baptismi gratiam nonnulli devote expetebant. Inter quos Præfectus vici ipsius, & Consiliarius Regis admodum illi amabilis, Steritgarius nomine, sacri baptismatis donum suscepit, atque in fide Catholica firmissimus extitit. Ipse namque in hæreditate sua Ecclesiam fabricavit, & in Dei servitio semetipsum religiosissime exercuit. Hujus Viri diversa extant insignia, & ejus invictæ fidei multa probantur indicia, quæ in sequentibus evidentius exponemus. Peracto itaque apud eos altero dimidio anno, præfati servi Dei cum certo suæ legationis experimen-*

Anscharius & socii in Sveciam adveniunt.

Jesu Chr. an. 829. *to, & cum litteris Regia manu more ipsorum deformatis ad serenissimum reversi sunt Augustum*, idest Ludovicum anno 830., quo S. Anscharius Hamburgensis Episcopus ordinatus est, atqne ad eas ecclesias regendas iterum missus.

Lotharii Imperat. legati monasterii Farfensis Romæ jura tuentur.

23. Lotharius interea Imperator in Italiam a patre hoc anno missus, ut supra diximus, Missos suos Romam misit, ubi cum essent, ac in Palatio Lateranensi pro justitia administranda sederent, Ingoaldus Farfensis monasterii Abbas conquestus est, nonnulla monasterii predia, seu Curtes a Romana ecclesia detineri. Causa cognita, & testibus examinatis, ad Farfense monasterium easdem Curtes pertinere judices declararunt, a quorum sententia Gregorius quartus Pontifex, Pauli exemplo, ad Cæsarem appellavit. *Actum anno Imperii domini Ludovici sextodecimo mense Januario per indictionem septimam*. Integrum placitum refert Mabillonius in appendice ad tomum 3. Annalium sui ordinis, ejusdemque meminit Muratorius, atque ex eo Urbem, Romanumque Ducatum in sua potestate Ludovicum retinuisse probare nititur, cum ibidem judices ad lites etiam cum Romana ecclesia agitatas finiendas, missos suos mitteret. At non semel supra cum Cennio adnotavimus, utile quidem urbis, & Ducatus Romani Imperium Romanis Pontificibus Carolum Magnum, & Ludovicum pium concessisse, retenta sibi suprema potestate, & summi Imperii jure, ut tamquam Romanæ Ecclesiæ Patricii, sive protectores, & defensores, Romanorum fastum & superbiam comprimerent, ac ad debitam Romano Pontifici obedientiam præstandam cogerent. Itaque dum causam cum ipsa Romana ecclesia Farfense monasterium haberet, nil mirum ab ejusdem judicio exclusum fuisse Romanum Pontificem, ac ab eadem se abstinuisse, qui ceteroquin ceteras inter privatos agitatas, pro auctoritate sua definiebat.

Michaelis Balbi Imp. obitus.

24. Hoc anno *Michael cum annos novem, menses octo*, seu potius annos octo, menses novem, ut Baronius, & Pagius adnotant, *Imperium tenuisset, urinæ difficultate & renum passione orta extinctus est, cum nec infensissimus in Deum odium potuisset, eo scilicet ratione, quod ejus, qui pro nobis carnem assumpsit, effigiem adorare nollet, quin potius illius cultores abdicaret, Metodium, Eutymiumque, de quibus in superioribus sermo habitus est*. Antea scripserat Porphirogeneta

neta eum Urbe ejecisse Methodium, qui postea Patriarcha CPolitanus creatus est, & Euthymium tunc temporis Sardensium Antistitem, quod sacrarum Imaginum cultum negare nollent, & Euthymium per filium suum, Theophylum taureis dire cæsum occidisse: deindeque *Ejus filius Theophilus, virilem jam ætatem, ingressus, paternum Imperium suscepit mense octobri, indictione octava*, ait idem Constantinus Porphyrogeneta pag. 52. eademque habet Leo Grammaticus. JESU CHR. AN. 829.

25. De Theophilo Michaelis filio, ac Imperii successore mox subdit, eum ferventissimum justitiæ zelum, legumque civilium peritiam affectasse, omnesque, qui Leone interempto, patri suo Imperium detulerant, ejusdem justitiæ zelo, supplicio affecisse, ac Euphrosinam novercam in monasterium relegasse; ut vero Imperium adeptus est, Theophilus de uxore ducenda cogitans, *Multas formosas puellas undequaque accersivit*, ajunt Zonaras, & Leo Grammaticus, *inter quas & Icasia virgo fuit, tum forma præstantior ceteris, tum erudita, tum genere illustri nata. Dum igitur eas spectuans circuit, aureum pomum manu tenens, quod ei quæ placuisset, conjugi pignus daret: cum ad Icasiam venisset, pulchritudinem ejus admiratus, a muliere, inquit, emanarunt mala: cui illa placide, & cum honesto rubore solerter respondit, sed & res meliores e muliere exuberant. At ille Virginis oratione velut attonitus ea præterita, malum aureum Paphlagoniæ Theodoræ dedit. Icasia vero cum Regno excidisset, Monasterium de suo nomine condidit, in quo sibi, & Deo vixit, eruditione litterarum non neglecta: Unde & scripta ejus reperiuntur, in quibus neque doctrinam, neque gratiam desideres. Et sic illa res suas administravit, & mortali Rege frustrata, Regi omnium nupsit: pro terreno Imperio, cæleste sortita. Imperator vero Theodoram simul & nuptiali corona & Regio diademate ornat, nuptiasque celebrat*, & quidem anno proximo Imperii sui, ut testatur Symeon Logotheta, qui subdit, ambos coronatos ab Antonio Patriarcha in die Pentecostes, ideoque die quinta mensis Junii anni proximi 830.

Theophilus Imperat. patri successor, Theodoram uxorem ducit.

JE-

Jesu Chr. an. 830.

JESU CHRISTI an. 830. Gregorii 4. Papæ an. 4. Ludovici Imp. 17. Theophili Imp. 2.

Ludovici filii adversus eum rebellant.

1. Prosperis successibus Gallicanum Imperium non solum hactenns steterat, sed etiam creverat. At sicuti humanarum rerum conditio exigit, ut diuturno in eis felicitas esse non possit, ita Gallicanum Imperium civili, & domestico bello concussum ruere paulatim cœpit. Dissidii causa, & rebellionis origo, Lotharii, & Pippini, & Ludovici junioris, & odium in Judith Imperatricem & Novercam fuit, ac in filium ex ea natum Carolum nomine, cui Ludovicus Imp. Regni portionem, ab aliis possessam destinaverat, his accessit Magnatum in Bernardum Comitem invidia, quem Ludovicus ex Septimaniæ Præfectura in aulam revocatum, summum Palatii Camerarium creaverat, uti anno proximo adnotavimus; quem etiam cum Judith Imperatrice adulterinum commercium habuisse ejusdem adversarii vulgarunt. Quamobrem in unum conspirantes regii Principes, una cum Episcoporum plurimis, monasteriorumque Abbatibus, Ludovicum exauctorare præsumpserunt, ac in filium ejus Lotharium Imperii coronam transferre conati sunt.

Ludovicus cum filiis reconciliatur.

2. Conjuratione detecta, ut imminens everteret periculum Ludovicus pius, præcipuam jurgiorum causam removere satageus, Bernardum a se dimisit, Judith vero Imperatricem Lauduni in monasterio S. Mariæ morari præcepit. Sed nec satis ista fuere adversariis, qui eductam e monasterio Imperatricem, ipsam promittere coegere, persuasuram se Imperatori, ut deposito Imperio, retruderet se sua sponte in monasterium, atque idem se esse facturam, comisque præcisis, vitam monasticam profiteri. Hac facta promissione, ad ipsum Ludovicum Imperatorem cum custodia missa est, cumque secreto eum allocuta esset, monasticum ipsa sibi velum imposuit, Imperator vero ad deliberandum de hoc tempus accepit. Illa vero sic velata in monasterium Sanctæ Radegundis a Pipino detruditur. Cum interea redieus Lotharius Rex ex Italia, quæ essent facta probaret, non tamen in patrem quid ulterius peragi passus est, remque geri non armis, sed jure voluit. Sicque couventum publicum indici jussit ex Imperatoris sententia Neomagi, ad quem veniret ipse

ipse Imperator non armata manu, sed simplici comitatu, quod faciendum æque filio persuasit: cujus rei gratia Hilduinus Abbas cum armatis veniens, ab Imperatore abire jussus est. Sed & Walach Abbas id ipsum præstans, pariter est jussus ad monasterium redire Corbejæ. Ibi cum essent, Lotharius a patre vocatus, secreto admonitus, ut patri se submitteret, tandem cessit, & cum eo reconciliatus est. Sicque factum ut Imperator, qui totam æstatem absque Imperii viribus transegerat, Lothario eidem obsequente, pristinum vigorem receperit, qui solita usus benignitate, criminis reos diversis mulctatos pœnis, absolvit, parcens omnibus adeo justo majestatis judicio postulatis: hicque finis rerum gestarum præsentis anni, quæ hic summatim perstricta, in vita ipsius Ludovici pluribus enarrantur.

Conjuratorum nomina.

3. Cum Ludovici filiis, Episcopos, etiam & Abbates, pietate, & eruditione præclaros in eam consensisse conjurationem supra diximus, quorum nomina refert Theganus cap. 36. Atque ex his Hilduinum Archicapellanum, & Abbatem S. Dionysii recenset, deinde Jessem Ambianensem Episcopum, Hugonem, & Mantfridum, ex quibus ille Lotharii Augusti socer, & Mathfridus Odone pulso Comes Aurelianensis, *Conradus & Rudolfus*, qui in Monasterium missi sunt, fratres erant Judithæ Reginæ. *Jesse justo judicio Episcopus depositus est*, inquit Theganus cap. 37. Hilduinus non tantum Abbatias, quibus antea potiebatur, sed etiam Archicapellani munus amisit, quod Fulconi Presbytero collatum est, ut eruitur ex Hincmaro, qui ait: *Tempore Hludovici per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum, extitit hoc ministerium executum*. Hilduinum in exilium abeuntem secutus est *Hincmarus*, ut liquet ex Flodoardo lib. 3. cap. 1. *Vala* Corbejæ veteris Abbas cum Noviomagum, ut interesset Conventui venit ad suum Monasterium, ut procul a sæculi negotiis viveret, secedere jussus est, ait auctor vitæ Valæ Abbatis, Anonymus a Pagio dictus, quem Paschasium Ratbertum fuisse probat Mabillonius, atque nihil adversus Cæsarem eum peccasse demonstrare conatur. *Quamvis aliter inscii malignantes sentiant*, ait, *sed pro Cæsare fecit, & Imperio, pro patria, & pro omnibus majoribus natu*,

JESU CHR. AN. 830. *natu, pro fide, & zelo Dei, pro religione christianitatis; & salute civium*, quibus etiam Mabillonius subscribere videtur. Pagius vero. & Daniel in historia Francorum Paschasium Valæ Abbatis apologistam vix fidem mereri adnotant. Agobardum quoque Lugdunensem Episcopum pro Lothario contra Ludovicum stetisse scimus, ac ejusdem gesta & scripta demonstrant; de quibus aliisque in hac causa gestis, sequentibus annis sermo redibit.

Anscharius Episcopus Amburgensis ordinatur.

4. Anscharium Vitmaro comite in Sveciam christianæ fidei propagandæ causa profectum anno proximo diximus. *Et peracto apud eos altero dimidio anno, præfati servi Dei cum certo suæ legationis experimento, & cum litteris regia manu more ipsorum deformatis ad serenissimum reversi sunt Augustum*, hoc anno dum Aquisgrani adhuc Ludovicus esset, qui de felici Anscharii legatione apud Svecos certior factus. de instituendo in Aquilonaribus partibus Archiepiscopatu serio cogitare cœpit, ut inde facilius evangelica prædicatio inter barbaras gentes propagaretur, & consilio inito sedem Archiepiscopalem Amburgi constituit, cui omnes Aquilonares illas gentes subjecit. Atque Anscharium ad novam illam Archiepiscopalem sedem obtinendam, a Dragone Metensi præsule, adstantibus Ebbone Remensi, Hettone Trevirensi; & Orgorio Mogontino, atque una consecrantibus Helingaudo Vereensi, & Villerico Bremensi Episcopis, ordinari Ludovicus præcepit. Ut vero novæ huic dignitati robur, ac præsidium adderet, Anscharium per Bernoldum Argentoratensem, & Ratholdum Svessionensem Episcopos Romam misit ad Gregorium Papam, a quo novæ Sedis confirmationem, & pallium Anscharius accepit cum dignitate legati Apostolici sicuti olim Eboni Remorum Antistiti, Paschalis Papa concesserat. Ea autem dignitate auctus Anscharius ad diœcesim sibi commissam, seu in Sveciam rediit, munereque suo sanctissime fungens, quamplurimos ibidem ad Christi fidem perduxit, Danorum quoque, Svecorumque pueros vel a parentibus acceptos, vel ex captivitate redemptos, in cella sua seu monasterio Turboltensi collocavit, ut ibidem pie sancteque educati, cum grandiores essent, ad id operis destinaret, in quo etiam adjutores, sociosque habuit veteris Corbejæ monachos, quorum doctrina, & opera inter gentes illas mirifice Christi fides propagata est, ut in Anscharii vita nar-

narrat Rambertus. De erectione Episcopatus Hamburgensis, deque ejusdem finibus per transalpinas regiones, Ludovici pii extat diploma; quod post Imperatoris nomen, *Hirminmarus notarius ad vicem Theodonis*, Cancellarii, seu Archicapellani, *recognovit 7. Kal. Septemb*, anno 19. Imperii Ludovici, indictione decima. Eoque non solum Archiepiscopatus erectionem, & confinia describit, sed etiam privilegia confirmat, atque Cellam Tutholt vocatam pro dote assignat, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 830.

5. Theophilus vero Imp. Michaelis Balbi patris sui dignus successor, *Fidei quidem in Deum*, inque *ejus castissimam Matrem*, *uti ajebat*, *sancte adhaerebat*, ait Porphirogeneta, *sed impurae*, *venerabiles imagines impugnantium*, *haeresi a majoribus acceptae addictus erat*, *eaque ratione religiosam sanctamque turbavit plebem*, *variique generis malis afflixit*, *nec quandiu Imperii habenas moderatus est*, *quiete eum agere permisit*. *Unde etiam congruentem hanc a Deo mercedem retulit*, *ut nihil praeclari facinoris in bellis ediderit*, *sed victus semper*, *nec ut decet Imperatorem*, *domum redierit*, Leo etiam Grammaticus in Theophanis continuatione, *Ejusdem quippe Deo infensae haereseos labe piaculum illud tenebatur*, ait, *Sanctarum porro imaginum quasdam disrumpens*, *quasdam effodiens &c.* Cetera desunt.

Theophili Imp. persecutio adversus catholicos.

6. Quot autem tunc fuerint, aut lapsorum numerus, aut confitentium poenae, & exilia non constat, nemini tamen Theophilum pepercisse inde conjecturam sumimus, quod neque Joannicium Abbatem, virum in fide catholica tuenda fortissimum, intentatum reliquerit, ut ejusdem acta testantur. *Duos viros illustres*, *quos & sciebat esse praeditos majori ditendi facultate*, *quam alios*, *cum ad ipsum misisset Imperator rogavit*, *an oporteret Christi honorare figuram*. *Cum is autem ad hoc divina*, *& non cum mundana respondisset persuasione & sapientia*, *tantum abfuit*, *ut qui missi fuerant ab Imperatore*, *aliquid adducerent contra ea*, *quae ab ipso dicta fuerant*, *ut relictis iis*, *quae prius tenebant*, *recte*, *& ut eis exposuerat*, *pietatem*, *& veram discerent &c.* Haec, aliaque auctor vitae Sancti Abbatis, qui in tuenda adversus Iconomachos catholica fide, Theodori Studitae demortui locum tenere videbatur, ac zelum imitari.

Theophilus Imperat. per legatos suos Joannicium Abbatem tentat.

Jesu Chr. an. 831.

JESU CHRISTI annus 831. Gregorii quarti Papæ an. 5. Ludovici Imp. 18. Theophili Imp. 3.

Conventus Aquisgran. Juditha Imperatrix innocens declaratur.

1. Ob res Imperii componendas, & pacem domesticam restituendam, tres hoc anno conventus Ludovicus Imp. celebravit, primum Aquisgrani, secundum Ilgelhemi, tertium ad villam Theodonis, de quibus nunc agendum. In primo itaque Aquisgrani habitus, Juditha Imperatrix ab objectis adulterii calumniis, cum juramento se se purgasset, innocens declarata, ab injunctæ pœnitentiæ onere liberata est, ac velo abjecto, ad maritum, consentiente etiam Gregorio Pontifice rediit, ceterique rebellionis participes, venia impetrata, liberi dimissi sunt, aut in exilium ejecti, de quibus Annalista Bertinianus hæc habet. *Dominus Imperator Aquisgranum anno ab Incarnatione Domini* 831. *circa Kal. Febr., sicut condictum fuerat, generale Placitum habuit, eosque qui anno superiori propter seditionem prius in compendio, & postea in Niumago Domnum Imperatorem offenderant, venire jussit, ut illorum causa discuteretur & dijudicaretur. Primumque a filiis ejus, ac deinde a cuncto, qui aderat populo, judicatum est, ut capitalem subirent sententiam. Tunc Domnus Imperator solita pietate vitam, & membra illis indulsit, ipsosque per diversa loca ad custodiendum commendavit. Hlotarius, propter quod illis magis consenserat, quam debuisset, genitoris pium commovit animum. Ad quod placitum Domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu Domni Imperatoris, ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle ajebat. Percunctatusque est populus si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cumque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundum judicium Francorum de omnibus, quibus accusata fuerat.* Addit Theganus cap. 37. *Inde venit Dominus Imperator Aquis ad sedem suam, & supradicta conjux venit ibi obviam ei, quam honorifice suscepit, jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio.* Adulterii quippe crimine accusata in monasterium ad pœnitentiam agendam, inclusa, continentiæ velum sumere per vim coacta fuerat, quare cum sacramento crimen abluisset, judicio ecclesiastico absolvenda erat, & uti innocens decla-

declaranda, quod ut solemnius fieret, ad Episcoporum sententiam, Romani quoque Pontificis auctoritatem Ludovicus exquisivit. Cum Juditha Imperatrice, fratres quoque ejus Conradus, & Rodulphus libertatem impetrarunt, teste auctore vitæ Ludovici; quibus Nithardus lib. 1. addit. *Lotharium quoque sola Italia contentum, & pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno tentaret*: sicque in Republica tranquillitas, & in Ludovici familia concordia ad tempus rediit, cito tamen iterum abrumpenda.

Jesu Chr. an. 831.

2. Peracto autem Aquisgranensi conventu sequitur Annalista Bertinianus. *Lotharium in Italiam, Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bojariam ire permisit. Ipse autem*, idest Ludovicus Imp. *circa Kal. Maii ad Ingulehem veniens, Lotharium illic ad se, ex Italia, venientem honorifice suscepit. Hi quoque qui in exilium missi fuerunt, adducti & absoluti, gratiamque Domni Imperatoris adepti sunt*.

De gestis in conventu Ilgelhemensi.

3. Hujus indulgentiæ participes non fuere Vala Corbejensis Abbas, Elisacharius, Manfridus, aliique; nam Vala in suam Corbejam anno proximo abire jussus, duriori exilio hoc anno in specum ad Lacum Lemanum damnatus fuit; inde etiam, ne ab Lothario ex ea rupe inter Apenninos montes posita, eriperetur, ad Herum insulam, in terræ extremis positam, translatus fuit, eamdemque sententiam subiere Elisacharius, & Manfridus Abbates; Hilduinus vero Archicapellani & Abbatis dignitate exutus, in Saxoniam, seu novam Corbejam relegatus est, ac ut in Palatium rediret, importunis postulationibus paulo post, ab Ludovico Hincmarus monachus impetravit. *Cui*, ut ait Flodoardus lib. 3. cap. 1. *pro familiaritatis priore notitia, tantam Deus apud Imperatorem, Proceresque contulit gratiam, ut studere pro suo munere quiverit, donec ab exilio revocatus, duarum fuerit Abbatiarum prælationi restitutus*. Dionysianæ scilicet, & Germanensis; Archicapellani tamen dignitatem, quæ Fulconi Abbati concessa fuerat, nequaquam recuperare potuit.

Vala, aliique in exilium acti.

4. Desinente anno tertium ad Theodonis villam conventum Ludovicus habuit, de quo idem Annalista Metensis hæc narrat. *Tertium generale placitum in Theodonis villa habuit, ibique ad eum legati Amirolummim inde perfide venientes, pacem petiverunt. Qua mox impetrata reversi sunt*.

Ludovicus Imperat. legatos recipit. Bernardus Comes absolvitur.

Jesu Chr. An. 831. *Nec non missi Danorum eadem exorantes venerunt, & fœdere firmato ad propria repedarunt. Multæque Legationes Sclavorum ad eum venientes, auditæ dispositæ, & absolutæ sunt. Bernardus comes adveniens, de quibus accusatus fuerat, Domno Imperatori, filiisque suis jurejurando satisfecit. Filii quoque ejus, qui adfuerant, ad sua remearunt. Pippinum inibi diutius expectans, plures ad eum Legatos direxit, ut veniret. Qui se venturum promisit, & venire distulit. Ipse vero ad hyemandum post diem Sancti Martini Aquis venit. Ibi Pippinus paucis diebus ante Natalem Domini ad eum venit. Quem Domnus Imperator, propter inobedientiam illius, non tam benigne suscepit, quam antea solitus fuerat.* Quare ut idem subdit Annalista, indignatus Pippinus, *quod a patre non fuerat honorifice susceptus, inito consilio, in vigilia Innocentium, prima noctis hora, cum paucis suorum fuga lapsus est, & sub omni festinatione Aquitaniam petiit.* Offensus autem ob filii fugam Ludovicus, cum suis consilio habito, ut Aurelianis anno proximo generale placitum haberetur, jussit, prout ibidem dicturi sumus. Hoc unum interim adnotantes, quod exasperatis vicissim animis, inter Patrem, & filios perfecta pax integrari vix potuit, cum Ludovici indulgentia, quæ stoliditati proxima erat, non solum tres filii ejus, sed ceteri etiam aulæ Principes abuterentur, & quod mirum est, Episcopi etiam, & Abbates, doctrina alioquin, & pietate celeberrimi, ut hactenus diximus, atque ex dicendis infra apertius constabit.

De Amalario Metensi Diacono; seu Presbytero.

5. Etsi inter arma litteræ silere soleant, nihilominus inter civilis, & domestici belli turbas in Galliis hoc tempore excitatas, de divinis Officiis, sacrisque ritibus, de Eucharistiæ Sacramento, aliisque sacris argumentis quæstiones agitatas fuisse scimus, inter Amalarium scilicet, & Agobardum cum Floro, inter Paschasium Radbertum, & Rabanum, Maurum, inter Gotherchalchum, & Rabanum, & Hincmarum, aliosque, ex utraque parte certantes pro divina gratia, & prædestinatione, inter Ratrahmum, & Paschasium de partu Virginis &c. ut alias minoris momenti, aut extra Gallias agitatas quæstiones prætereamus. Omnium primus se offert Amalarius, Metensis ecclesiæ Diaconus, deinde Presbyter, Abbas etiam, & Chorepiscopus Lugdunensis, & Metensis ecclesiæ, Simposius etiam dictus, ut Mabillonius, & auctor litterariæ Galliæ

liæ demonstrant. Tot itaque titulis auctus, cum Palatinam scholam, post Claudium ad Taurinensem Episcopatum promotum, rexisset, ac regulam pro canonicis, ab Aquisgranensi concilio anno 816. confirmatam, vulgasset; aliquot ante annos de ecclesiasticis Officiis tractatum libris quatuor distinctum edidit, ac Ludovico pio dicavit, quod opus cum ipse probasset, Romam hoc eodem anno Amalarium misit, ut quæ in eo tractatu deesse videbantur, ex ordine Romano suppleret, ut in præfatione operis ad Ludovicum idem auctor narrat. *Servus ego vester quamvis minimus omnium. Afficiebar olim desiderio, ut scirem rationem aliquam de ordine nostræ Missæ, quam consueto more celebramus: & amplius ex diversitate, quæ solet fieri in ea, hoc est, quod aliquoties una epistola legitur, aliquoties duæ., & cætera talia, simulque de ceteris officiis &c.* Ac demum cuncta fausta Ludovico, filiisque ejus, & uxori precatur, ut ibidem videre est.

Amalarii iter Romam; quid ibidem gesserit.

6. De tempore autem, quo Romæ fuit, deque gestis ibidem, hæc idem Amalarius narrat in libro, quem postea de ordine Antiphonarii edidit. *Post hoc veniens Romam anno ab Incarnatione Domini* 831. *indict. nona, sub Imperio Domini & piissimi Imperatoris Ludovici, & Apostolatu gloriosissimi Apostolici Gregorii, interrogavi de ordine Responsoriorum a festivitate Pentecostes usque ad adventum Domini: Responsum est mihi a viris eruditis Sanctæ matris Ecclesiæ nostræ &c.* Hæc quo ad tempus. Quod autem ad legationis munus pertinet, hæc superius in præfatione ejusdem commentarii idem habet. *Quando fui missus Romam a sancto & Christianissimo Imperatore Ludovico ad sanctum & reverendissimum Gregorium Papam, de memoratis voluminibus retulit mihi idem Papa: Antiphonarium non habeo, quem possim mittere filio meo domino Imperatori: quoniam hos, quos habuimus, Vvola, quando functus est sua legatione aliqua, abduxit eos hinc secum in Franciam. Quæ memorata volumina contuli cum nostris Antiphonariis.* Hinc factum, ut cum Amalarius in Gallias redux Gallicanos Antiphonarios, cum Romano, quem Vala Abbas in Corbejensi monasterio posuerat, contulisset, ac in nonnullis emendasset, factum inquam est, ut in aliquibus diversi sint Amalarii Antiphonarii.

7. Ro-

Jesu Chr. an. 831.

Amalarius librum de ordine Antiphonarii scribit.

7. Romæ cum esset Amalarius, ad Theodorum Romanæ ecclesiæ Archidiaconum remisit Gregorius Papa, ut ab eo de ritibus Romanæ ecclesiæ edoceretur, sicuti ut in prologo ad librum de ordine Antiphonarii his verbis narrat. *Interrogavi Archidiaconum Theodorum S. R. ecclesiæ, quem rogavit dominus Apostolicus, ut me instrueret juxta interrogationem meam de ordine Romani officii &c.* ab eoque ea etiam didicit, quæ in posteriore præfatione adnotavit ad libros de divinis Officiis, ut ibidem testatur. Summo cum plausu tum a Ludovico Imp. cum a ceteris antiquitatis ecclesiasticæ, sacrorumque rituum studiosis Amalarii libri de divinis Officiis excepti fuere, si Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum, ejusdemque ecclesiæ Diaconum Florum excipias, cum in iis totius Liturgiæ, ac Psalmodiæ modus exponeretur, ratioque redderetur, de singulis ecclesiæ cœremoniis, quibus ecclesia utitur, ac libro primo de Festis mobilibus a Dominica septuagesimæ incipiens, singulatim agit, & quæ in singulis festis Missa diceretur, quæve epistola, vel evangelium legeretur adnotat, ritusque in capite jejunii, ac per totam quadragesimam usque ad Paschatis festum, in admittendis ad pœnitentiam præcipue, vel reconciliandis peccatoribus usurpatis, ac de solemnioribus ceremoniis in die Cenæ majoris hebdomadis, ac duobus sequentibus diebus, in Passionis Dominicæ, vel Resurrectionis commemoratione adhibitis, exponit. Libro secundo, de Ecclesiæ ministris, deque eorumdem diverso genere, ordinatione, & officiis agit, quibusque vestibus, ornamentisque distinguerentur, adnotat. Libro tertio preces, ritusque Missarum explicat. Quarto libro, de diurna, nocturnaque Psalmodia, quo ordine celebraretur, quibusque psalmis, vel canticis constaret, agit. In iis quidem libris nonnulla in expositione sacrorum rituum ex ingenio suo addidit: At cum ea ad pietatem fovendam accomodaverit, ubique cum plausu accepta eousque fuere, ut primus inter sacrorum rituum expositores merito recenseatur, quem ceteri sequentis temporis sacrarum ecclesiæ ceremoniarum tractatores sequuti sunt. Unde eosdem libros Ademarus monachus exscribens, adnotavit. *Explicit liber Simposii Amalarii Presbyteri venerabilis de divinis officiis, quem misit ad Ludovicum, & Lotharium Reges filios Caroli M. Imperatoris.* Quod tantum de Ludovico verum est, cum Caro-

Caroli filius esset Lotharius, *quem librum in hoc corpore transscribi curavit Ademarus indignus monachus in honorem Dei, & S. Benedicti &c.*

De censura Agobardi, & Flori in libros Amalarii.

8. Ab Agobardo Lugdunensi Archiepiscopo, ac Floro Diacono, vel Presbytero ejusdem ecclesiæ Amalarii libros censura notatos fuisse supra diximus, cum etenim psallendi ordinem non multo ante in ecclesia Lugdunensi immutasset Agobardus, ac ex ea quidquid in Canticis, vel hymnis ex sacra scriptura sumptum non erat, exclusisset, Amalarii censuram promeruerat. At is ut vicem redderet, ejusdem libros de divinis Officiis confutare agressus est, ac tres libros edidit, unum de divina Psalmodia, secundum de correctione Antiphonarii, tertium contra libros Amalarii, in quibus Agobardum, stili acerbitate, adversarium suum plus justo vexasse extra dubium est, ut apud Natalem Alexandrum, & venerabilem pietate & doctrina Thomasium videre est. Archiepiscopi sui vestigia sequens Florus ejusdem Lugdunensis ecclesiæ Diaconus, deinde Presbyter contra Amalarii libros stylum quoque acuit, cujus extant epistolæ aliquot, quarum prima scripta est ad Draconem Metensem, Hettim Trevirensem, Aldricum Cennomanensem, & ad Albricum Lingoniensem, qua Amalarii libros, quasi plurima sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum auctoritati adversantia continerent, accusat, eisque in synodo ad Theodonis villam considentibus, denunciavit, ac adversarium, quem sibi finxerat, acriori stylo, quam Diaconum, vel Presbyterum deceret, insectatus est, cujus etiam altera ad eamdem synodum epistola extat. Cumque quod speraverat, ab ea synodo non obtinuerit Florus, ad Carisiacam synodum iterum querelas suas adversus Amalarium detulit, atque in ea Amalarii libros censura notatos fuisse idem narrat Florus in epistola altera, Carisiacique concilii actorum summam vulgavit. Nullum tamen Amalario, ejusque operi præjudicium ex ea censura devenit, quin potius Agobardi, & Flori fama nonnihil est imminuta, dum partium studio abrepti, hostem quem vincerent sibi finxerant.

Paschasius Radbertus libros de corpore & sanguine

9. Acrior adhuc, diuturniorque fuit contentio in Galliis tunc exorta circa libros Paschasii Ratberti, de Corpore, & Sanguine D. N. J. C. in Eucharistiæ Sacramento, quos hoc anno in lucem editos fuisse probat Mabillonius, dum ait au-

Jesu Chr. an. 831. Domini scribit.

auctor hæc contigisse. *Cum discordiarum anfractibus pene labi orbem, effusa super Magnates contentione Imperii &c.* dum scilicet, Ludovici Imp. filii cum Patre de Imperio contenderent. Hoc opusculum Paschasius digessit, rogatus ab Abbate quodam, qui Placidus, vel Placidius in plerisque Codicibus dicitur, quis iste Placidus fuerit, ejusdem auctoris epistola ad Carolum Calvum indicat, cum idem opusculum, quod hactenus per manus plurimorum excurrerat, circa annum 844. iterum vulgavit, qua se Regiæ Majestati non ignavi ponderis munus metalli se offerre ait, *sed libellum quamvis exiguum corpore, magnum tamen de sacramentis sacræ communionis, quem dudum Placidio*, inquit, *meo Varino Abbati devoto & fideli vestro consecrans &c.* quibus indicat unum eumdemque Placidium, & Varinum fuisse, seu potius Varinum honoris causa Placidium, aut Placidum appellatum, sicuti idem Radbertus, Valam Abbatem Arsenium, aut Jeremiam dixit, sicuti Ludovicum Imp. Justinianum, Lotharium filium ejus, Honorium, sicque ceteros, quorum mentionem ibidem inserit, nunquam proprio, sed adscitio nomine designans.

Quid eo in libro doceat Paschasius.

10. Tria porro eo in opere Paschasius docet, nempe verum Christi corpus, verumque sanguinem existere in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, panis, & vini substantiam post consecrationem ultra non esse, denique ipsum corpus non aliud esse, quam quod de Maria Virgine natum est, quæ tria statim ab initio libri his verbis aperit. *Licet figura panis, & vini hic sit, omnino nihil aliud, quam caro Christi & sanguis post consecrationem dicenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos hæc inquit: Caro mea est pro mundi vita. Et, ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro.* Ad hæc tria alia ex his consequentia docet, scilicet, Christum *in mysterio quotidie veraciter immolari*: Eucharistiam *& veritatem esse, & figuram*: Denique secessui obnoxiam non esse; Præsentiam porro realem, & substantiæ panis & vini conversionem ita asserit, ut, si quis utrumque non credat, *impio deteriorem* pronuntiet. Unde in epistola ad Fredegardum, hanc *sanctorum fidem* appellat, secus sentientes ait, *contra ipsum Dominum, & contra omnem ecclesiam* agere, idest contra universalem ecclesiam, seu contra

tra totius orbis christiani ecclesias. Denique in commentario super Matthæum, idem Paschasius neminem prorsus esse dicit. *Qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus orbis & credit, & confitetur.* JESU CHR. AN. 831.

11. Unde desperatam se causam tueri indicant Novatores Calvinistæ, dum Paschasium, veterem ecclesiæ doctrinam immutasse, ac primum transubstantiationis dogma docuisse scripserunt? Qui fieri enim potuit, ut doctissimus vir, quid de præcipuo ecclesiæ Sacramento ecclesia doceret, solus ignoraret, aut solus primus ea docere præsumeret, quæ contraria ecclesiæ doctrinæ esse non dubitaret, atque hæc non in quolibet terræ angulo, aut intra monasterii septa proponeret, sed palam publiceque Carolo Imp., librum offerens, ea se tradere testatus sit, quæ totus orbis, nemine contradicente teneret, & doceret. Et sane nemo dum viveret, aut post ejusdem obitum, ex Gallicanis Præsulibus inventus est, qui Paschasii sententiæ de transubstantiationis mysterio, verbis, vel scriptis adversaretur. Negari tamen non potest, nonnullos adfuisse post annos aliquot, qui Paschasii libro de Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi se adversarios proderent. At hos neque adprobavit ecclesia, quin potius rejecit, nec iidem præcipuo Paschasii de corpore Christi dogmati adversabantur, sed de modo transubstantiationis, & voce disputabant, ut suis locis videbimus. Similes iis dixerim, qui hujusce seculi initio, Corpus quidem Christi, sanguinemque ejus in Eucharistiæ mysterio adesse cum catholicis fatebantur, at non idem corpus, quod ex Virgine natum erat, Crucique affixum, quos singulari dissertatione de Eucharistiæ Sacramento inscripta confutat Duguetius, sicuti Mabillonius Dalleum Carentonensem ministrum, ceterosque ei similes, ut innumeros alios prætereamus. Præceteris vero Arnaldum in egregio opere de Fidei perpetuitate circa Eucharistiæ sacramentum.

Transubstantiationis dogma in ecclesia semper retentum.

12. Varias hoc tempore, adversus Saracenos Romano Imperio infestos, expeditiones ab Theophilo Imp. susceptas fuisse, variaque fortuna pugnasse narrant historici Græci. In iis opera usus est Theophilus Theophobi, & Manuelis, ait Porphirogeneta. Theophobus vir Persa erat, quem Theophilus Patricia dignitate auctum, tradita ei sorore sua, sibi cognatum fecerat. *Manuel autem fortitudine spectabilis, ipsis*

Variæ Theophili Imperat. expeditiones adversus Seracenos.

JESU CHR. AN. 831. *quoque hostibus universis notus erat*. Theophilus itaque Imperator exercitu educto adversus Saracenos progressus ac aperto marte cum iis congressus. *Tandem legionibus ad fugam inclinatis, ipse etiam Imperator captus fuisset, nisi Theophobus cum suo Persico exercitu, & manu opem tulisset, & stratagemmate Agarenos circumvenisset*, ait Zonaras, eademque fusiori stilo Porphyrogeneta, de prima hac expeditione, quam ad annum proximum 830. pertinere ait Pagius; felicior fuit expeditio altera in eosdem Agarenos suscepta, ut supracitati auctores narrant. Nam rursus copias adversus Ismaelitas educens Theophilus. *Cum eis ex superiori victoria elatis ac ferocientibus ad Charsianum congressus, multis eorum subjugatis, captivos ad viginti supra millia abducit, illustrique potitus præda ad urbem Augustam redit*.

Tertia Theophili expeditio adversus Saracenos infausta.

13. Anno etiam sequenti rursus *Theophilus*, ait Porphirogeneta, *ingentibus contractis copiis contra Saracenos proficiscitur, educto e carcere, sibique adjuncto Sancto Methodio. Neque vero tunc primum fecit, sed & semper factitabat, penes se virum habens, sive ut ejus sapientiæ vi obscura vulgoque ignota dissolveret, eaque ipsi aperiret (erat enim Theophilus abstrusarum rerum operosus investigator) sive id cavens, ne quasi is turbas se absente, ob sacrarum Imaginum abolitionem, in urbe excitaret. Præcipui enim civium, inque eis viri religiosi, Methodium pluris faciebant, eumque impense colebant, quem ideo secum ducebat*. Commissa autem pugna contigit circumventum Imperatorem in vitæ periculum adduci, addit Porphyrogennetus, *Manuel* vero exercitus Dux, maximum dedecus reputans, si Romanorum Imperator ab hostibus caperetur, in medios cuneos Theophilum quæsiturus irrumpens, eum tandem e periculo eripuit. Sed cum invidi eum ex calumnia reum egissent, Ipseque vereretur, ne ob id ab Imperatore oculis orbaretur, ad Saracenos transfugit, a quibus magnis honoribos donatus est. *Verum cum ejus percrebescente fama, Theophilum rei pœniteret, nec levis dolor inde eum incessisset, nullum non funem movendum statuit, ut virum ad se revocaret, ad seque redire compelleret. Unde alii quidem per Joannem Monachum, quo tempore missus est ad commutandos captivos, pacis eum fœdera iniisse, ac Manuelem ad se revocasse ferunt*. Hæc, & alia in eamdem rem ibidem de tertia Theophili

phili expeditione, de qua hoc loco egimus, etsi anno sequenti hæc facta sint, ne sæpius ad eadem redire cogamur.

Jesu Chr. an. 832.

JESU CHRISTI an. 832. Gregorii 4. Papæ an. 6. Ludovici Imp. 19. Theophili Imp. 4.

Ludovici dissidia cum filiis suis.

1. Sopita anno proximo filiorum Ludovici cum patre dissidia, hoc anno iterum exarserunt, nam cum exasperato adversus patrem animo, clanculum ab eo aufugisset Pippinus, graviter in eum commotus Ludovicus, consilio cum suis habito, generale Placitum ad Kal. Septembris Aurelianis indixit, ibique Lotharium de Italia, Ludovicum filiorum alterum de Aquis, sive Aquisgrano venire jussit, ait Annalista Bertinianus. Cumque illuc pervenisset, sequitur idem auctor. *Tunc filium suum Pippinum ad se vocans inter cetera increpavit eum, cur de ejus præsentia sine licentia aufugisset, paternoque illum affectu corripere cupiens, in Franciam ire præcepit: ut in loco, quo eum esse injunxit, moram faceret quo usque sua emendatione patris animum mitigaret. Ille vero se facturum simulans, & de incœpto itinere regrediens, paternam jussionem implere contempsit*. Postea captus est a Patre, tuncque contingere quæ narrat Auctor vitæ Ludovici pii: *Imperator Pippinum ob pravorum morum corruptionem sub custodia privata Treveros perduci jussit. Quo cum duceretur & indulgentius haberetur, a suis custodiæ noctu subducitur, & usque ad Imperatoris reditum ab Aquitania, quaquaversum valuit & voluit, pervagatur. Et tunc quidem Imperator inter filios suos Lotharium, atque Carolum quamdam divisionem Regni constituit*. Ad hanc Regni divisionem respicit Nithardus, quando ait: *Aquitania Pippino dempta Carolo datur, & in ejus obsequio Primatus populi, qui cum patre sentiebat, jurat &c.*

Ludovicus adversus patrem exercitum ducit, cum eo reconciliatur.

2. Nec in Patrem obsequentior, aut in fide servanda constantior fuit Ludovicus filiorum alter, nam ut narrat Theganus cap. 39. *Post Pascha auditum est, quod æquivocus filius ejus*, scilicet, ejusdem nominis, vel ob inconstantiam in servanda fide patri non semel jurata, *æquivocus* dictus, *cum consilio Lotharii fratris noluisset visitare patrem, inhoneste, ut venit usque ad monasterium S. Nazarii, & modico tempore ibi residens, usque dum Pater ejus Moguntiam veniens, & coadunaa-*

Jesu Chr. an. 832. *dunato exercitu secutus est eum*. Rem fusius narrat Annalista Bertinianus. *Subito perventum est*, ait, *ad aures piissimi Imp. Ludovicum cum omnibus Bojariis liberis, & servis, & sclavis, quos ad se vocare poterat, Alemaniam, quæ fratri suo Carolo a patre jam dudum data fuerat, ingredi velle, eamque vastare & diripere, ac suo Regno adunare, cunctumque populum Regni illius ei fidelitatem promittere, & bis peractis in Franciam cum ipso exercitu hostiliter venire, & de Regno patris sui quanto plurimum potuisset, invadere, sibique subjicere. Cumque hoc compertum esset, statim Domnus Imperator mutato Placito, omnes Francos Occidentales, & Australes, nec non & Saxones, obviam sibi 14. Kalend. Maii Moguntiam venire præcepit. Hoc audientes omnes alacriter ad Domnum Imperatorem venire festinaverunt, ei in omnibus auxilium præbere cupientes*. Rex Bojariæ, ut Theganus cap. 39. testatur, *expectavit adventum patris, & voluit se defendere. Pater itaque veniens jussit eum venire ad se, quem benigne suscipiens habuerunt colloquium pacificum, & non post multos dies cum gaudio magno & amore diviserunt se &c.* Quam fallaciter, hæc ab filiis Ludovici gesta fuerint, anno sequenti videbimus, quo hæc diffidia in apertum bellum eruperunt.

Gautbertus Anschario Episc. Hamburgen. coadjutor datur.

3. Interea Anscharius Hamburgensis Episcopus ordinatus, atque ad fidem inter Svecos, Danosque, finitimasque gentes propagandam, auctoritate etiam Gregorii Papæ quarti missus, ut anno 830. narravimus, cum ad immensæ ibidem messis, maximæque vineæ excolendæ, imparem se esse cognosceret. *Visum est, illis* Anschario scilicet, & Eboni Remensi Archiepiscopo, qui illic evangelium prædicaverat, *necessarium esse, ut aliquis illi ordinaretur coadjutor, qui in partibus Sveconum ministerii Episcopalis officio fungeretur*, ait Rambertus in vita Anscharii, *quoniam in Regione tam longe posita præsens adesse deberet Pontifex, & ipse solus ad utrumque locum minime sufficeret. Cum consensu itaque & voluntate prædicti Imperatoris, venerabilis Ebo quemdam propinquum suum Gautbertum nomine, ad hoc opus electum, & Pontificali insignitum honore ad partes direxit Sveconum: cuique ministeria Ecclesiastica, & necessarios sumptus tam ex sua, quam ex datione Regia abunde tribuit, eumque quasi vice sua, qui idem prædicandi officium prius auctoritate*

tate Apostolica suscepisset, Legatum in gentibus Sueonum esse constituit. Cui etiam postea clementissimus Augustus suggerente eodem venerabili Præsule Ebone, cellam, quam ipse in loco memorato Vvelanao (vulgo *Vvehl*, seu *Vvedel*, infra Hamburgum) *construxerat, quasi locum refrigerii tradidit, ut se ad ipsius Ministerium officii perpetua stabilitate deserviret. Prædictus itaque Gautbertus, quem ipsi consecrantes honore Apostolici nominis Simonem vocaverunt, ad partes veniens Sueconum, honorifice & a Rege, & a populo susceptus est, cœpitque cum benevolentia & unanimitate omnium Ecclesiam inibi fabricare, & publice Evangelium fidei prædicare: fiebatque gaudium, salutis Christianis ibi degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur &c.*, ac temporis tractu iis in regionibus, uberem fructum christiana religio protulit, trigesimum, ac centesimum, ut ex dicendis infra constabit.

4. Dum Theophilus Imperator adversus Saracenos bellum varia, seu potius infausta fortuna, gereret, adversus sacras imagines, earumque cultores persecutionem agebat, eamdemque ob causam vix uxori, & socrui suæ pepercit, ut narrat Curopalata; Theodora enim uxor, ex Marino, & Theoctista genita, una cum patre, & matre catholicam servans fidem, secreto sanctorum imagines, una cum matre sua Theoctista, quam patriciatus dignitate auctam in Palatium vocaverat, venerabatur. Quæ cum fortuito Theophilo Imp. innotuissent, uxori, æque ac filiabus suis, ne ad Theoctistam amplius accederent prohibuit. Tanto quippe in sacras imagines odio eum exarsisse idem auctor adnotat, ut his non solum reverentiam, cultumque exhiberi prohiberet, sed nequidem eas retinere, aut pingere permitteret, hinc ubique dejciebantur ab omni templo. *Pro quibus feræ, & aves insculpebantur, quæ illius immanem servilemque dementiam coarguerent*. Non defuerunt tamen etiam ea ætate viri, qui catholicæ fidei zelo æstuantes in faciem ei restiterunt, impietatemque ejus redarguerunt. Quos tyrannus furens, post multas plagas, & verbera, atque tormenta ex urbe ejecit. *Qui cum ad sacrum Precursoris templum in Euxino Ponto situm pervenissent, flagellorum plagis confecti, cælesti quiete tamdem dignati sunt, quorum veneranda corpora in terram insepulta projecta, integra & salva diutius* per-

Theophili Imp. persecutio adversus imaginum cultores.

JESU CHR. AN. 832. *permansere, quoad fideles quidam ea suscipientes, sepelienda curarunt, varioque honore certatim affecerunt sanctos, qui pro Christo Deo martyrium subierunt*, ait idem Curopalata.

De Lazaro monacho pictore, & fidei confessore.

5. Post aliqua de Lazaro monacho, & pictore hæc subdit. *Tirannus sacris imaginibus infestus properabat pictores omnes perdere, vel si vivere mallent, jubebat ut ipsas expuentes, tanquam profana quædam pedibus in terram projecta conculcarent. Præter alios comprehensus est item Lazarus monachus, qui tunc pingendi arte celebris erat, ac prius ille Theophilus Deo repugnans, obsequiis ipsum devincire tentavit: sed ubi omni adulatione præstantiorem eum vidit, ad insitam sibi vim conversus est, tantisque tormentis ipsum excruciavit, ut nec superesse quidem posse existimaretur. Et ita corpore male habentem concludit in carcere. Sed postquam illum convaluisse audivit, rursumque imagines depingere: laminas ferreas ignitas ipsius palmis jussit admoveri. Igitur carnes depascebatur ignis, quoad animo tandem defectus athletha jacuit semimortus. Verum oportebat divina gratia hunc servari, ut posteris esset incitamentum. Quare Tyrannus, ut extremum jam spirare Sanctum didicit, Reginæ precibus, ille cum quibusdam aliis, qui sibi maxime propinqui erant, e carcere liberatur, & in templo Precursoris, quod ita vocabatur, Formidabilis, occultatus est, atque ut sese habebat plagis male affectus, Præcursoris expressit imaginem, quæ diu conservata sanat ægrotos, atque hæc ita tunc gesta sunt.* Superfuit etiam iste post obitum Imperatoris, & pingere sacras imagines non cessavit.

De Theodoro, & Theophane.

6. His addendi sunt illustres fratres Theodorus, & Theophanes, qui cum jam sub Michaele Imp. ob cultum sanctarum imaginum urbe ejecti fuissent, nunc iterum ab Theophilo in certamen revocati, post illustrem fidei catholicæ confessionem, carcerem, verbera experti, in insulam Aphusiam dictam deportati sunt. Unde auctor vitæ Theodori, Grapti dicti, ut distingueretur ab altero Theodoro Studita, cujus supra egimus, a Combefisio in manipulo originum CP. Græce & latine editus, *Rursus itaque*, ait, *exilio relegantur in insulam, quam vulgi usu Aphusiam vocant &c. Ceterum quod & illi longique ærumnas exilii cum gaudio ferrent, duobus post annis, soli ex aliis Imperatoris jussu CPolim veniunt, majori enim, etsi vano ac inani Impera-*

perator desiderio tenebatur, ut scilicet Theodorum, ac Theophanem una secum sentientes nancisceretur, quam ut universos suae ditionis teneret, quibus cum nulla ei opinionum dissentio erat. Quid porro biennio post, cum iterum in Imperatoris conspectum delati sunt, pro eadem fidei confessione pertulerint, anno 835. adnotabimus.

Methodius Presbyter in sepulchro includitur.

7. Prae ceteris vero fidei confessoribus, qui tunc temporis CPoli inclaruerunt, Methodius Presbyter fuit, qui cum jam alias sub Leone, & Michaele Imperatoribus, pro sacrarum imaginum cultu decertasset, nunc iterum sub Theophilo ad pugnam revocatus, illustriori fidei confessione exornatus est. Hunc quidem tanti faciebat Theophilus, ut etsi captivum & in vinculis teneret, eum nihilominus in bellicis expeditionibus secum duceret, uti anno proximo diximus. Ab expeditione itaque in urbem reversus, Methodium ad se vocatum, post diram verberibus de ipso habitam quaestionem, in exilium deportandum tradidit; nec quidem ut caeteris in Insulam, vel alia loca relegatus luce solis saltem frui concessit, sed illud plane pavendum atque tremendum excogitat, ut eum vivum in sepulchrum una, cum duobus latronibus includi fecerit, ut sic vivus esset lucis usura privatus, & esset veluti mortuus inter mortuos collocatus, piscatori in curam datus, ut ei tantum cibi subministraret, quantum ad vitam in miseriis illis trahendam sufficeret; sicque perseveravit velut alter Jonas ceti utero clausus, donec Theophilus vixit; quo mortuo, inde eductus fuit, ac cicatricibus et plagis acceptis dignus plane fuit, qui Constantinopolitanae sedis thronum ascenderet. Quando autem id contigerit, & quae tunc acciderint, suo loco dicturi sumus.

Antonii CP. Episc. obitus cui succedit Joannes, quis hic esset.

8. In dirissima autem persecutione adversus sanctarum imaginum cultores exercenda, instigatorem Theophilo Imp. fuisse Joannem, qui hoc anno in Regiae urbis Episcopatu Antonio successerat, dubitari vix potest, de ordinatione autem ejus, statim post Saracenicam Theophili expeditionem, haec adnotat Porphyrogeneta. *Interim vero etiam Joannes CP. Episcopus ordinatur, Aprilis 21. die Dominica, impietatis praemium, perversaeque fidei, ac sacris imaginibus negati cultus Sacerdotium consecutus*, quem annos novem eam sedem obti-

Jesu Chr. an. 832. obtinuisse adnotat Anastasius in appendice ad chronologiam Nicephori, ab hoc anno usque ad annum 842. Is porro non solum perfidus Iconoclasta erat, sed ut Simeon Logotheta narrat. *Homo præstigiis, divinationibus ex pelvi, omnique impietate nominatissimus. Et vero idoneum organum Regiæ impietatis inventus*, qui collatis consiliis Imperator. promulgato Edicto, sacras Imagines oblini ac aboleri jussit. In Libello Synodico mentio fit pseudoSynodi Constantinopolitanæ in Blanchernis ab Joanne celebratæ: *Theophilus Michaelis filius Imperium adeptus, mortuo Antonio, Joannem, qui pelvi inspecta divinare soleret, solio præfecit, & maximam adversus pios persecutionem commovit, ac impiam in Blachernis Synodum congregans, adoratores sacrarum Imaginum anathemati subjecit*, quos ideo Theophilus Imp. utpote suæ sententiæ adversarios, ecclesiæque CP., ejusque Patriarchæ rebelles persequebatur.

De Joannis CP. Episc. origine, & initiis.

9. De impurissimi hominis origine, & initiis, hæc adhuc ex Zonara accipe. *Tulit hunc Joannem hæc magna urbs aliarum omnium urbium Princeps a Morocharzaniorum stirpe oriundum, quem senili jam ætate monasterium gloriosissimorum Martyrum Sergii, & Bacchi quasi Draconem quemdam in Ecclesia delitescentem recepit. In qua ipsa per dignitatis gradus ad summum eventum, & Iconomachorum sectæ egregie addictum præstigiis incumbentem, & pelvium divinationibus in omni vita, præcipueque dilectum Michaeli Balbo, Theophili patri, sive quod ejusdem hæresis particeps esset, sive quod eloquentia præstare videretur, & Magister Theophili fuisset, postquam habenas Imperii suscepit, Syncellum ipsum declarandum, & hoc honore afficiendum curavit, deinde quoque Patriarcham Constantinopolis instituit, quod ei quædam per pelvium vaticinia, & præstigias prædixisset*, quarum ibidem exemplum affert, ac tandem de ejusdem fratre ejusdem impietatis socio, hæc etiam addit.

De Arsabere Joannis fratre.

10. *Mago isti*, idest Joanni, *frater germanus erat nomine Arsaber fortuna Patricius, huic ager suburbanus erat ad sinistram freti partem prope monasterium S. Phocæ, quod sumptuosa habebat ædificia, porticusque, & balnea, & alia ad commorandum jucunda loca. Ibi magus frequentans hospitia, subterraneam quamdam construxit domum, a tergo portis ædificatis, quibus volentes intromitteret. Admittebat igitur* ad

ad illam improbam officinam quicumque vellent: & modo servabantur nuptæ, monachæ, & aliæ mulieres forma decoræ, quibuscumque stupra committebat: modo extispicia, & pelvium divinationes, & incantationes, & necromantiæ exercebantur, quibus sæpenumero vi dæmonum futura quædam prædicebat. Verum hæc domus, cum postea ad regii cubiculi præfectum pervenisset, solo æquata est, ac Monasterium constructum Phocæ Martyri dedicatum. Sed ista post mortem Theophili Imperatoris.

JESU CHR. AN. 833.

JESU CHRISTI ANNUS 833. GREGORII 4. PAPÆ AN. 7. LUDOVICI IMP. 20. THEOPHILI IMP. 5.

Gregorius Papa pro reintegranda pace frustra laborat.

1. Annum ingredimur Francorum Imperio memorabilem, ac etiam ob Ludovici pii exauctorationem infamem, ait Mabillonius. Cum etenim domestica inter Ludovicum Imp., & filios ejus excitata diffidia eousque crevissent, ut ex utraque parte ad arma properarent, pacem inter filios, & patrem reconciliaturus, Roma egressus Gregorius Papa, ac ab Ludovici filiis etiam rogatus (quem in suas partes trahere sperabant) superatis Alpibus in Gallias transiit, ac ad ea, quæ prius obvia habuit filiorum castra accessit, quod in deteriorem partem Ludovicus accepit, cum præcipue eum Ludovici Imp. filiis favere fama, eorumque conatibus eousque studere, vulgasset, ut excommunicationis sententia plectendi essent, quotquot Ludovico fidem servassent. Unde Episcopi, qui Ludovico favebant, respondisse fertur. Si excommunicaturus advenisset, excommunicatus abiret; At alia mens erat sancto Pontifici, qui conciliator pacis tantum advenerat. Quare ex filiorum castris ad Ludovicum transiens, se pacis causa advenisse contestatus est, ac iterum ab Ludovico ad filios dimissus, ut de ineunda concordia cum iis ageret, cum frustra se in id niti animadverteret, re infecta mœrens Romam reversus est, secum munera sibi aliquot ab Ludovico oblata deferens, ut in vita Ludovici narrat Theganus Trevirensis ecclesiæ Chorepiscopus. *Post pascha Ludovicus audivit, quod iterum filii sui ad eum venire voluissent non pacifice. Qui congregavit exercitum, & perrexit obviam eis usque ad Campum magnum, qui est inter Argentariam, & Basileam, qui usque hodie nominatur Campus mendacii, eo*

Jesu Chr. an. 833. *quod ibi plurimorum fidelitas extincta est*, transfugientibus illis ad hostes. *Filii autem ejus perrexerunt ei obviam cum Gregorio Romano Pontifice, et quicquid postulabant, nihil erat eis Pater consentiens. Non post multos dies venerunt ad colloquium Imperator, & jam dictus Pontifex. Qui non diu loquentes, honoravit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Postquam uterque rediit in tabernaculum, misit Imperator dona regalia per Alungum venerabilem Abbatem & Presbyterum supradicto Pontifici*, hactenus de gestis cum Gregorio Papa.

Gregorii quarti epistola ad Episcopos Galliæ.

2. Antequam ad Ludovicum Imp. transiret Gregorius Papa, cum adhuc in castris filiorum ejus esset, ad Episcopos Galliarum, & præcipue Ludovicianæ partis, epistolam querelarum plenam dedit, qua tum de sparsis adversum se tumoribus, cum de dissidiis in ecclesia, & in Imperio eorum causa excitatis agit. Hanc quidem Gregorio Pontifici falso inscribi, ac ab impostore Lotharingicæ factionis digestam putavit Cointius, eam tamen non immerito a Baluzio, de Marca, Mabillonio, Gregorio inscribi adnotat Pagius, & sane *Epistolam ad illos Episcopos scripsit, in qua immerito se ab eis dehonestatum ait Pontifex, inculcatque priorem Imperii divisionem haudquaquam esse immutandam*, verba sunt Mabillonii. Hanc epistolam, quæ initio caret, Massonus primus edidit, deinde inter Agobardi epistolas Baluzius vulgavit, ac sub Agobardi Lugdunensis Episcopi nomine fragmentum ejusdem recitat Baronius, eaque cum iis Gregorius conqueritur quod Patrem, & fratrem dixissent, *dum congruentius esset, solam ei paternam reverentiam exhibere*, tum etiam quod eidem exprobraverint, eo quod illuc ab Imperatore non vocatus, advenisset, quod sane reprehensione dignum non esse ait. *Quia jussio Apostolicæ sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis Imperialem*, cum majus sit animarum regimen quod est Pontificale, quam Imperiale, quod est temporale, gravius adhuc conqueritur, quod falso rumore sparserant, propter præsumptuosam excommunicationem eum advenisse, quasi eos omnes excommunicaturus esset, qui Ludovici partes sequebantur, eaque calumnia se, & Romanam sedem, eos dehonestasse addit, cumque Gregorio Pontifici juratam Ludovico fidem in memoriam revocaverint, se quidem an aliquan-

quando juramentum hujusmodi præstiterit, ignorare fatetur, at eos perjuros esse addebat, non quod fidem Ludovico datam non servarent, sed vos *perjuri estis, quia pro ejus salute secundum fidem promissam non laboratis*, deinde subdit. *Promititis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum*, idest ad Ludovicum, *venero, ut ejus voluntas est*. Ad causam vero totius dissidii, idest ad Imperii scilicet divisionem, quam Ludovicus post primam inter tres filios suos fecerat, paulopost in gratiam Caroli mutaverat, cui ut partem daret, ceteris portionem ademerat, ad hæc igitur deveniens Pontifex. *Dicitis*, ait, *illam primam divisionem Regni, quam inter filios suos fecerat Imperator, nunc juxta rerum opportunitatem esse mutatam, quod omnino dupliciter falsum est. Uno quidem modo quia non est opportunitas, eo quod sit causa conturbationis, & dissensionis, commotionis & depredationis, & omnium malorum, quæ per singula dicere longum est. Alio vero modo, quia necdum scitis utrum sit commutata, an per verum Regem & Dominum maneat inlibata, idest per Deum. Ista enim commutatio, quam vos dicitis, juxta rerum opportunitatem factam, inde cognoscitur, quod non fuerit per Deum, quia multorum peccatorum origo existit &c. . . . Deinde quod grandi supercilio dicitis, quia si reverenter venerimus ad Imperatorem, per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem, quare opportune & utiliter mutata sit divisio, hoc loco cogit vos magnitudo superbiæ, æstimantes solos vos posse rerum cognoscere causas*. Tandem ad id quod dixerant Episcopi se obedientiam ei negaturos, hæc subdit. *Subjungitis, quia nisi secundum voluntatem vestram venero, non habeo ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias, ut nihil mihi in vestris Parochiis agere vel disponere liceat, nec quemquam excommunicare vobis absistentibus. Vere verum est, quod veritas dicit. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Quare mihi contrarii cum ecclesiis vestris esse debetis in legatiane pacis, & unitatis, quod Christi donum ac ministerium est &c.* ac tandem post plurima in eamdem rem de comminatione ei facta, se eum a Pontificatu dejecturum, si Ludovici voluntati obstitisset, hæc addit. *Illud vero quod minari vos cognoscimus periculum gradus, quis explicare poterit, quam sit absurdum, quantumque inconveniens. & stultum, cum vestra comminatio*

JESU CHR. AN. 833. *non sit propter crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi, sed nisi ita venerimus sicut ipsi vultis. Cujus rei in argumento adjungitis juramentum, & non recordamini erubescentes, quia perjuri pejeratum degradare non possunt, etiamsi essem. Denique vos non me scitis esse pejeratum. De vobis autem nemo, qui dubitet hoc esse. In hac re memor esse debuerat solertia vestra, quia quicumque cloacam commovet, quanto amplius commoverit, tanto ampliorem fœtorem exhalari facit.* Hæc Gregorius ad Episcopos, qui cum Ludovico erant, ejusque partes sectabantur, dum adhuc ipse in castris filiorum esset, eaque de causa, cum varii de eo, ac adversus eum rumores spargerentur, quasi sceleratis consiliis filiorum Ludovici sociatus, iis adversus Ludovicum Imp. faveret, hac adversum se calumnias, tum epistola ad Episcopos data diluere conatus est, cum præsentia sua, dum postea in Ludovici conspectum advenit, ad quem cum amicus advenisset, non sine benevolentiæ signis, datis scilicet, acceptisque muneribus, ab eo discessit. Nunc reliquam tragœdiæ seriem prosequimur.

Agobardi Lugdun. Episc. exhortatio ad Ludovicum Imperatorem.

3. Dum arma utrinque ad bellum civile pararentur, Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui totum se Lotharianis partibus, contra Ludovicum Imp. devoverat, exhortatoriam epistolam ad Imperatorem dedit, ut ei pacem & concordiam, ex legibus ab Gregorio Papa præscribendis, quem Lothario, & factiosis favere putabat, restaurandam esse restituendamque suaderet, quam epistolam sive tractatum *de comparatione utriusque regiminis ecclesiastici, & Politici inscripsit*, ac ecclesiasticum, seculari, & Politico præeminere probat, ut inde Ludovico persuaderet, quod in Imperii divisione, aut etiam dejectione, se ecclesiæ judicio, & Gregorii Papæ sententiæ subiicere debebat. Cumque Ludovicus milites, æque, ac Episcopos ad se vocasset, Agobardus, pro sui excusatione, hanc parenesim eidem misit. *Jubet vestra prudentissima solertia contra commotiones hujus temporis paratum esse utrumque ordinem, militarem videlicet, & Ecclesiasticum, idest, & eos qui sæculari militiæ, & illos qui sacris ministeriis inserviunt: & illos quidem ad certandum ferro; istos autem ad disceptandum verbo, ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum plus expectanda est justitia superni regi-*

regiminis, quam robur brachiorum. In altercatione autem sermonum plus expectanda est veritas, quam copia verborum, ac post plurima, quæ vix ad rem faciunt, ut se judicio Apostolicæ sedis, & Gregorii Papæ submitteret, hortatur, ac subdit. *Certe clementissime Domine, si nunc Gregorius Papa irrationabiliter & ad pugnandum venit: merito, & pugnatus, & repulsus recedet: si autem pro quiete & pace populi, & vestra laborare nititur, bene, & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. Si enim quod vestra voluntate, & potestate, cum consensu totius Imperii vestri factum est, & postea in Apostolica Sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis, & opportunus est ejus adventus. Quia nullatenus, quod ita est constitutum a vobis, debetis mutare: nec enim sine gravi periculo, & reatu animæ fieri potest &c.* Ac orationibus, & jejuniis vacandum esse ait, ut instantia mala Deus averteret.

Agobardi Apologia pro rebellione filiorum Ludovici.

4. Eodemque tempore, quo præsentiam suam, fidemque juratam Ludovico Imp. Agobardus denegavit, Apologiam pro rebellione filiorum Ludovici vulgavit, ut eos jure meritoque adversus patrem rebellasse probaret, eaque occasione Judith Augustam Ludovici uxorem tamquam malorum omnium, auctricem, & scandali occasionem, acerbiori stilo insectatus est, ut verrinam potius scripsisse, quam Apologiam videatur. *Audite*, inquit, *hæc omnes gentes, audiat terra, & plenitudo ejus, a solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari, & sciant & recogitent pariter, domini & Imperatoris Ludovici filios juste fuisse, & esse indignatos, & bene sentire, & intendere ad expurgandum paternum palatium a sordibus facinorum, & iniquis factionibus: & regnum ab amarissimis, & tumultuosis inquietudinibus: tantum ut inter eos germana fides, & fraterna sinceritas Deo digna, & omni fideli populo beneplacita persistat, & inviolabiliter perseveret. Igitur cum prædictus Dominus & Imperator quietus esset in domo, & florens in palatio suo, cum adhuc juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundum Apostolum, uxorium debitum illi persolveret: in processu vero dierum cum cœpissent hæc primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc, & mulier resolvi in lasciviam cessantibus licitis conversa, immo adversa, ad illicita adscivit*

Jesu Chr. an. 833. *vit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primum latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii, & regni, ac finium terræ: quam rem irridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri intolerandam judicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe: & surgentes uno, & pio consensu in emundatione scelerum convenerunt simul, & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice vero malorum a palatio exclusa, inclusaque in custodia mutato habitu regali, induto habitu sanctimoniali, reddiderunt patri quieti, & aliquantulæ honestati.* De Judith Augustæ ejectione ex aula, ac in eam reditu supra jam egimus, quam malo fato reductam fuisse, ut pejus, quam antea, ageret, ibidem adnotat, seu potius his verbis exagerat Agobardus. *His ita transactis*, seu Judith ex aula remota, *inimicus omnis boni, auctorque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, satagit instaurare & redintegrare malum suum, & Regina, quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu sanctimoniali, sicut ordo poscebat, & rectitudo judicii docebat, reducta est in palatium, & assumpta in consortium quasi legitima conjux, quod esse jam nullatenus poterat. Collocata itaque turpiter, & indecenter in fastigio regali, prius malum auxit, & multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? numquid dissimulare? numquid silere? numquid quiescere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israel suum: sed suscitavit spiritus filiorum, & convenerunt iterum, ad succidendam recidivam malorum stirpem. Timebant enim ne Patri eveniret illud, quod de quodam Rege scriptura sancta loquitur, dicens: Igitur non fuit alter talis, ut habet, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua, & abominabilis factus est.* Hæc, & alia ibidem Agobardus, ut improba filiorum consilia adversus Patrem susceptam defenderet.

Episcopi, & Abbates Lotharianæ factionis.

5. Cum Agobardo Lugdunensi Episcopo, Lotharianæ factionis participes ex Episcopis fuere Ebo Remensis, Bernardus Viennensis, Bartholomeus Narbonensis, Jesse Ambianensis,

pensis, Helias Tricassinus, & Herobaldus Antisiodorensis; nec deerant etiam monachorum celeberrimi, ex iis præcipui Vala regio sanguine, & Corbejæ Abbas, Helisachar Abbas S. Maximini in Diœcesi Trevirensi, Odo, aliique, qui teste Nithardo sub pietatis prætextu, *populum quasi ad justum regimen sollicitant, ceterosque, qui in exilium retrusi fuerant, custodia emittunt, Lotharium ut rem publicam invadat, compellunt, quibus Gregorium quoque Romanum Pontificem consentire ajunt*.

JESU CHR. AN. 833.

6. Cum autem filios suos, ut ad se pacifice venirent, misso Bernardo, seu Bernhario Vormatiensi Episcopo, Ludovicus Imp. rogasset, iique renuissent, eoque res essent, ut ex utraque parte prœlium instaret. *In festivitate Præcursoris Christi Joannis*, ait auctor vitæ Ludovici, cum in loco essent, qui campus mendacii postea dictus est, eo quod ibidem quamplurimi, qui fideles se Ludovico monstraverant, ab eo deficientes ad filiorum castra transierunt, ibique defectio adeo invaluit, ut in *festivitate S. Pauli plebeii contra Imperatorem adulando filiis ejus irruptionem facere minarentur. Quibus viribus obniti non valens filiis mandavit, ne se populari direptioni exponerent, cui remandant, ut castris relictis ad se veniat. Se autem maturrime obviam ipsi processuros. Quibus ultrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis desilientes & sibi occurrentes, ut promissionis suæ memores, tam sibi, quam filio, & uxori, inlibata, quæ olim promiserant, conservarent. Quos congrue respondentes osculatur, & ad castra eorum est profectus. Quo pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum vero Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem jam populo juramentis adstricto, Imperium inter fratres terna sectione partitur. Uxor patris a Ludovico Rege recepta, exilio iterum deputatur in civitatem Italiæ Tortonam* (in Ducatu Mediolanensi sitam.) *Gregorius papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur, Lotharii autem fratres Pippinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bojariam rediit*.

Ludovicus a Lothario contra fidem datam detinetur.

7. Hæc de his Theganus, & auctor vitæ Ludovici, Astronomus dictus, qui tragœdiæ seriem prosequens, hæc addit. *Porro Lotharius patre assumpto, & seorsum eum deputa-*

Ludovicus exauctoratur & pœnitentiæ addicitur.

JESU CHR. AN. 833. *putatis equitante, atque privatim manente, Merlegium villam devenit, ibique prout libuit commemorans, & quæ visa sunt ordinans, ac populum obsolvens, sed & conventum populo compendii indicens, Vosagum per Mauri Monasterium transiit, & Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur, pervenit. Qua relicta civitate Viridunum appulit, & Suessionem urbem adiit. Ibique in Monasterio Sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit: & Carolo Prumiæ* (Monasterium est in Archiepiscopatu Trevirensi situm) *commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit, donec autumni tempore, idest, Kalend. Octobris, sicut erat constitutum, patrem secum ducens, compendium venit.* Paulo post: *In eodem conventu eum multi insimularentur devotionis patrem, defectionis filium multi quidem verbis simplicibus, quidam juramentis objecta diluerunt. Miseratio tamen hujusecmodi rei, & talis rerum permutatio, exceptis auctoribus, omnes habebat. Unde verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur gesta quæ erant: callide ut sibi visum est cum aliquibus Episcoporum utuntur argumento: ut pro his de quibus pœnitudinem gesserat Imperator; iterum publica pœnitentia, armis depositis irrevocabiliter, quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur: cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam, bis invehant vindictam: & nostra lex habeat non judicare Deum bis in id ipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars ut assolet in talibus, ne Primates offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus Sancti Medardi Confessoris, & Sancti Sebastiani Martyris, arma deponere, & ante altare ponere cogunt: pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt. Expleto hoc negotio, Missa Sancti Martini* (idest die 11. mensis Novemsi.) *populus licentia accepta pro talibus gestis mœstus ad propria revertitur.* Lotharius autem patrem suum ducens, Aquisgrani hyematum regreditur &c. Sicque in festivitate S. Martini finem habuit Compendiensis conventus, nam Episcoporum concilium dicere religio vetat, cum ibidem non pro pietate steterint Episcopi, sed contra pietatem, dum filio-

filiorum temerarios adversus Patrem conatus adprobare visi sunt, suoque consensu confirmare.

JESU CHR. AN. 833.

8. Compendiensis conventus acta supersunt ab Ebone Remensi Episcopo, aliisque ejusdem factionis sociis vulgata, anno primo Lotharii Imp. signata, cum novam post patris exauctorationem, annorum Imperii sui seriem incoepisset, in cujus praefatione Episcopis auctoritatem, potestatemque ligandi ac solvendi datam a Christo fuisse adnotat, ut pastorali sollicitudine noxia quaeque publice, & privatim corrigerent. Quare convenientes in unum apud Compendium anno primo Lotharii Imp., mense Octobri, cum Optimatibus Regni, cunctos primum, ut domino placere studerent, & ut quae perperam hactenus gesta fuerant, emendarent hortati sunt; deinde quamplurima in Imperii administratione ab Ludovico Imp. male gesta fuisse addiderunt. Quare ex Lotharii consensu legatione ad eum missa, ut pro male gestis poenitentiam ageret, Ludovicum se admonuisse testati sunt. Cumque Ludovicus iis assensum praebuisset, ac se omnia emendaturum esse dixisset, quae vel in Imperio male gesserat, vel ad ecclesiae scandalum peracta fuerant, ac statuta die ad basilicam B. M, Virginis, in qua corpora Sancti Medardi Episcopi, & Sebastiani Martiris requiescunt, advenisset, coram Episcopis, Optimatibus, & cuncto populo, qui illuc convenerat, in terram super cilicium prostratus ante Altare, confessus est coram omnibus, *Ministerium sibi commissum satis indigne tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse & ecclesiam Christi scandalizasse, populumque per suam negligentiam multifarie in perturbationem induxisse, & ideo ob tantorum reatuum expiationem, publicam & ecclesiasticam se expetere velle dixit poenitentiam, qua miserante Domino per eorum ministerium, & adjutorium prospere mereretur absolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi atque solvendi intulerat potestatem obtinere.*

Actorum conventus Compendiensis summa.

9. Admonitus ab Episcopis, ut sinceram confessionem, poenitentiamque ageret, neve in eadem relaberet, sicuti post peractam alias ab eodem poenitentiam, contigerat. *Professus est* Ludovicus *se in omnibus, iis praecipue deliquisse unde a memoratis Sacerdotibus fuerat familiariter, sive verbis, sive scriptis admonitus, ac digna increpatione corre-*

Ludovici pii publica peccatorum confessio.

Jesu Chr. an. 833.

ptus. Quare accepta ab Episcopis charta, in qua peccata ejus exposita erant, eadem se perpetrasse confessus est, ac primum sacrilegii, & homicidii, reum se fuisse testatus est, eo quod fratribus suis, & propinquis non pepercerit. De quibus alias pœnitentiam egerat. 2. Quod Imperii divisionem olim factam, & juramento firmatam immutaverat, unde innumera mala secuta sunt. 3. Quod præter necessitatem in diebus Quadragesimæ generalem expeditionem indixerit. 4. Quod subditorum suorum nonnullos, qui pro fide ei, filiisque suis servanda eum convenerant, male tractaverit, exilio, extremoque supplicio affecerit. *Et Sacerdotibus Domini, ac monachis contra divinam & canonicam auctoritatem præjudicium irrogavit, & absentes damnavit, & in hoc reatum homicidii incurrendo, divinarum & humanarum legum violator extitisset*. 5. Quod diversa sibique contraria juramenta ab filiis suis, aliisque exegisset, ac ideo in reatum perjurii incurrisset. 6. Quod diversas expeditiones sine necessitate, vel consilio suscepisset, factus propterea reus homicidiorum, direptionum, quæ tunc acciderant. 7. Quod Imperii divisionem contra communem pacem, & Imperii salutem pro lubitu suo fecerit, ac subditos adversus filios suos excitaverit, unde graves calamitates populo suo, immensaque mala pervenerant. Hæc itaque coram Deo, coram Sacerdotibus, omnique populo cum lacrymis confessus, & in cunctis se deliquisse protestatus, pœnitentiam publicam expetiit; Chartulam deinde peccatorum suorum indicem Sacerdotibus tradidit, *Quam ipsi super Altare posuerunt, & deinde cingulum militiæ deposuit, & super Altare collocavit, & habitu seculi se exuens, habitum pænitentis per impositionem manuum Episcoporum suscepit, ut post tantam talemque pænitentiam nemo ultra ad secularem militiam redeat.* Hisque ibidem gestis relationem præsumpta hæc Lothario, cujus gratia, fuerant, obtulerunt, ceterique sibi propriam fecerunt, subscriptionibusque suis firmarunt, ut ibidem legitur; Integram seriem actorum Labbeus, & Baronius in Annalibus exhibent. Extatque adhuc Agobardi Lugdunensis Episcopi de iisdem gestis relatio, quibus se adfuisse testatur, cum eorum præcipuus fuerit Architectus, & incentor. Eademque fere continent, quæ superius ex Compendiensi conventu narravimus, cui in hæc verba subscripsit Agobardus.

His

His gestis ego Agobardus indignus Episcopus interfui, & melioribus consonans & consentiens, judicavi, & manu propria signans subscripsi. Integram hanc etiam relationem annalibus suis inseruit Baronius, ex qua hæc tantum brevitatis studio adnotavimus. JESU CHR. AN. 833.

10. Per vim autem, & tamquam in scena hæc peracta fuisse factiosorum hominum perfidia, ut Lothario gratificarentur, non immerito his verbis adnotat auctor vitæ Ludovici. *Verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrerentur, gesta quæ erant, callido (ut sibi visum est) cum aliquibus Episcoporum utuntur argumento: ut pro his de quibus jam pœnitudinem gesserat Imperator*, nempe de nece Bernhardi, *iterum publica pœnitentia, armis depositis irrevocabiliter, quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur. Cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam: & nostra lex habeat: Non judicare Deum bis in idipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars (ut assolet in talibus) ne primores offenderent, verbotenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus sancti Medardi Confessoris, & S. Sebastiani Martyris arma deponere, & ante altare ponere cogunt, pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectu quoddam retrudunt.* Sane quidem rem per vim, & metum actam, coloratamque falso religionis prætextu, nemo non improbavit, exauctorationis Ludovici Imp. diem æternis tenebris dignum dixerat Mabillonius, tragœdiamque funestam, quam vetus S. Galli chronographus, *Francorum dedecus merito vocat*. Quare hæc hoc anno gesta sequenti rescissa sunt, ut ibidem dicturi sumus.

Ludovici injusta, & iniqua depositio.

11. Mortuus est hoc anno, die 30. Julii *Abulabbas* Almamon Calipha ait Elmacinus lib. 2. historiæ Seracenicæ anno Hegiræ 218. Hunc vero liberalibus disciplinis excultum fuisse, & præcipue in Astronomia peritissimum fuisse addit, eique frater ejus Muhammad Mutasimus successit, cujus laudes prosequitur Dorigni in Arabum historia, atque ad eum, vel Derbellotium de rebus Arabicis curiosum lectorem delegamus. Plurima etiam quæ de Monasteriorum erectionibus, & donationibus, quæ Mabillonius, vel Pagius per

Almanon Seracenorum Calipha obiit, eique Mutasimus successit.

Jesu Chr. an. 834. hos annos referunt brevitatis studio consulto prætcrimus, publicas tantummodo res, quæ ad ecclesiam spectant, adnotantes.

JESU CHRISTI an. 834. Gregorii 4. Papæ an. 8. Ludovici Imp. 21. Theophili Imp. 6.

Ludovicus, & Pippinus patris restitutionem in Imperio sollicitant.

1. Ludovici Imperatoris in pristinam dignitatem restitutio, anni elapsi infamiam delevit, nam ut patrem ab Lothario aspere nimis tractari, arctaque custodia detineri Ludovicus Bojariæ Rex scivit, Pippino fratrum altero, & Aquitaniæ Rege in societatam adscito, ad liberandum ab Lotharii captivitate patrem, conjunctis viribus perrexerunt. Quare Lotharius, relicto Parisiis patre in monasterio S. Dionysii, in Aquitaniam perrexit. Ob injuriam patri illatam commotus Ludovicus *Statim inde*. seu ex Francofordiensi palatio *direxit legatos suos*, ad Lotharium, *Girardum Abbatem, & Morbardum Palatinum comitem, postulans & imperans, ut erga patrem humaniorem exhiberet sententiam. Quod frater ejus Lotharius benigne non suscepit; Postquam illi legati reversi sunt, statim alios destinavit ad patrem, qui probibiti sunt, ne eum viderent. Postea perrexit Lotharius de Aquisgrani Palatio, & pervenit Moguntiam, ubi obviam venit ei frater, & colloquium inæquale habuerunt ibi propter hoc, quia omnes quos Lotharius habebat secum, fideles erant patri suo, ac sibi. Inde revertens Lotharius venit Aquis Palatium, celebravitque ibi Natalem Domini adhuc clauso patre*, ait Theganus cap. 45.

Ludovicus Imperio restituitur.

2. Cum nihil prima, & secunda legatione obtinuisset Ludovicus, Drogonis Metensis Episcopi opera, cum Pippino societatem iniit, ac *Post sanctum diem Epiphaniæ*, ait idem auctor, alteros ad Lotharium legatos misit, Grimoldum Abbatem, & Genehardum fidelissimum ducem, qui Aquis advenientes, Lotharii consensu captivum Imperatorem in præsentia testium, seu ut ait auctor, insidiatorum, salutarunt, at ob eorumdem præsentiam secreta pandere nequiverunt. Iisque abeuntibus Compendium Lotharius abiit, patrem secum ducens. Quare Ludovicus, & Pippinus educto exercitu, ad eum perrexerunt. Unde Lotharius patre Parisiis dimisso, inde cum consiliariis suis discessit. *Ludovicus vero filius ejus pervenit ad eum. & honeste suscepit, & reduxit*

duxit iterum ad Aquis sedem suam, & Deo jubente restituit eum in Regnum, & locum suum, & ibi simul sanctum Pascha domini celebrarunt, ait idem Theganus cap. 47. & seqq, eademque fusiori stilo Annales Bertiniani.

Jesu Chr. an. 834.

3. Libertatem itaque cum recuperasset Ludovicus Augustus, propria nihilominus auctoritate Imperii coronam, & clavum recipere noluit, antequam injunctam sibi publicam ab Episcopis pœnitentiam, iidem Episcopi relaxarent. *At vero Episcopi, qui cum Imperatore remanserant*, ait auctor vitæ ejus, *eum ad recipiendas Imperatorias insulas hortabantur, sed Imperator quamquam modo, quo prædictum est, ecclesiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præpropere voluit acquiescere sententiæ, sed Dominica, quæ in crastinum advenit in ecclesia S. Dionysii, Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consentit. In qua re tanta exultatio populi excrevit, ut etiam ipsa elementa viderentur injuriam compati patienti, & relevato congratulari. Etenim usque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluviarumque vehementia, ut extra solitum aquarum abundantia excresceret, flatusque ventorum imperviabiles fluminum alveos redderet. Sed in illius absolutione ita quodammodo visa sunt conjurasse elementa, ut mox & venti sævientes mitescerent, & cæli facies in antiquam, & multo tempore invisam serenitatem rediret.*

Episcoporum auctoritate & consilio ab injuncta pœnitentia, Ludovicus absolvitur, Imperioque restituitur.

4. Episcopi interea conjurationis Lotharianæ focii & ipsi aufugerant. *Anno Incarnationis Dominicæ* 834. ait Flodoardus lib. 1. cap. 20. *Lotharius territus conventu fratrum suorum, & plurimorum fidelium partis Imperatoris, fuga lapsus patrem suum adhuc ab ingressu Ecclesiæ sequestratum dimisit. Cum quo inter alios etiam quidam Episcopi, fautores ipsius in adversitate patris sui perrexerunt, Jesse videlicet Ambianensis, & Hereboldus Antisiodorensis, Agobardus Lugdunensis, & Bartholomæus Narbonensis Episcopus*. Et paulo post: *Sed & Hildemannus Belvacensis Episcopus insimulatus quod sicut præfati Episcopi fugam ad Lotharium moliretur: in Monasterio Sancti Vedasti detentus synodum expectavit*, idest Synodum anno sequenti in Theodonis villa celebratam. De Ebone etiam Remensi Archiepiscopo adnotat Theganus cap. 48.. *Hoc audiens*, fugam scilicet Lotharii. *Hugo*

Ebo Rhemensis Episc. detinetur.

Jesu Chr. an. 834.

Hugo statim fugam iniit, sed comprehensus coactus perductus est ad præsentiam Principis, qui commendavit eum ad custodiendum, ut in synodo Episcoporum ipsorum causa, & pœna decerneretur, uti infra adnotaturi sumus.

Lotharius in Galliis tumultus excitat, cladesque perpetrat.

5. Lotharius interea a facie patris profugus, tamquam Cain a facie Dei. *Cum de Parisiis proficisceretur*, ait Annalista Bertinianus, *in Provinciæ urbem Viennam pervenit, ibique commorans multa incommoda illarum partium hominibus intulit*; a patre per legatos, oblata scelerum venia, invitatus, ut ad se veniret, Patri clementiam spernens venire distulit, *& in eadem pertinacia perduravit*, ita ut Cabillonem veniens, eo quod eum recipere recusasset, *eam expugnavit, igneque succendit, & Comites qui ibi aderant comprehendit, ex quibus tres interfecit. Alios autem secum inde sub custodia duxit, ac sororem Bernardi sanctimonialem* (Gerbergam appellatam, filiam Sancti Villelmi Comitis) *in cupa positam in Ararim fluvium demergi fecit, & deinde Aurelianis venit. Quibus Domnus Imperator auditis, convocavit exercitum Lingeonis medio mense Augusto, ibique annualia dona suscipiens, continuo ad liberandum populum contra invasores Regni iter per Tricassinorum, & Carnotum, ac Dunensium Regiones juxta Blisum castellum una cum filio suo Ludovico pervenit, illicque castra mentatus est. Ibi etiam Pippinus filius ejus cum exercitu in auxilium patri occurrit. Nam Lotharius haud procul in castris residens cum suis, minitabatur: quod tamen minime efficere potuit.*

Lotharius a patre in gratiam recipitur.

6. Nam pater ejus Ludovicus Augustus, ut Francorum sanguini parceret, etsi non semel eidem gratiam suam, delictorumque oblivionem frustra obtulisset, eum nihilominus altera legatione missa, iterum ad se vocavit. *Solita clementia motus misit ad illum, ut pacifice ad se veniret, quia universa quæ contra illum dicta habuerat, ei suisque omnibus concederet. Et Lothario quidem Italiam, sicut tempore Domni Caroli Pippinus germanus Domni Imperatoris habuerat, concessit. Ceteris vero etiam, membra, hæreditatem, & multis beneficia perdonavit. Quem pater ad se cum suis venientem fortiter juramento constrinxit, ne talia facere, aut alicui sentire in postmodum tam ipse quam sui deberent. Quibus confirmatis eum in Italiam regredi fecit cum his, qui eum sequi maluerunt. Ipse vero circa Aurelianis perveniens, Pippino, & Ludovico, cunctoque*

ctoque exercitui redeundi licentiam tribuit , & per Parisios in Altiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa diem Sancti Martini habuit. Ibique negotiis Regni dispositis, ad Theonis villam ad hyemandum profectus est. Inter cetera gesta in conventu Attiniaco ad restaurationem ecclesiasticarum, & civilium rerum, Filio suo Pippino jussit Imperator per Ermoldum Abbatem , ut res ecclesiasticas, quas in Regno suo, vel ipse suis tribuerat, vel sui ecclesiis eripuerant, incunctanter ecclesiis restituerent , missique sunt per civitates , & monasteria regii officiales, ut ordinem ecclesiasticum pene collapsum, pro viribus restituerent, missique sunt alii, qui prædonum, & latronum grassantem licentiam comprimerent.

Judith Augusta marito restituitur.

7. Dum hæc autem in Galliis agerentur, ut in Italia auditum est Ludovicum pium pristinam libertatem , & dignitatem recepisse, qui ei hactenus fideles fuerant, de remittenda eidem Juditha Augusta uxore sua, quam Lotharius captivam in Italiam miserat, ac Dertonam, seu Tortonam in Liguria detinebat, solliciti fuerunt, quod cum feliciter eis cessisset, eamdem Augustam Ludovico Aquis degentem deduxerunt. *Factum est autem*, ait Bertinianus Analista, *cum sentirent, qui fideles erant domno Imp. in Italia Ratboldus videlicet Episcopus*, Svessionensis ait Pagius. At Melius cum Muratorio dixisset , Veronensis in Italia, quem hoc tempore floruisse scimus, *Bonifacius Comes*, (Thusciæ scilicet, aut Lucensis) *Pippinus consanguineus Imperatoris*, utpote filius Bernardi olim Italiæ Regis, *aliique complures, quod conjugem ejus quidam inimicorum morti tradere vellent, miserunt sub omni celeritate, qui illam eriperent, ereptamque usque ad præsentiam Domni Imperatoris in Aquis incolumem perduxerunt.* An cum Lotharii consensu, vel per vim ereptam ad Ludovicum duxerint , ignoratur. Andreas quidem Presbyter hujus seculi scriptor apud Menchenium tomo primo, Lotharii consilio, & opera, eam restitutam fuisse scribit. At hæc cum hujus temporis historia conciliari vix possunt, nec multum hæc scire interest.

Deusdedit Abbas Montis Cassini in carcere obiit.

8. Decessit hoc anno Deusdedit Abbas Cassinensis post annos fere sex Præfecturæ. Is jussu Sichardi , seu Siconis Ducis Beneventi in carcerem trusus , ibidem inedia ærumnisque confectus obiit, ut narrat Archembertus , hæc de Sico-

JESU CHR. AN. 835. Siconis obitu adnotans. *Prius enim quam obiret, ut cumulus suæ perditionis istius augeretur, pro amore pecuniæ spectabilem, & Deo dignum virum, sanctitate conspicuum Deusdedit nomine, beatissimi Benedicti Vicarium, a pastorali monasterio monachorum, seculari magis potentia, quam congrua ratione deposuit, & custodiæ mancipavit.* Successorem habuit Hildericum, qui nulla re gesta post dies decem, & septem obiit, ejusque locum obtinuit Autbertus, qui annis tribus Cassinatibus monachis præfuit, ait Mabillonius lib. 31. pag. 566.

JESU CHRISTI ANNUS 835. GREGORII 4. PAPÆ AN. 9. LUDOVICI IMP. 22. THEOPHILI IMP. 7.

Ebbo Rhemensis, & Agobardus Lugd. Episc. ab Episcopatu depositi.

1. In paternum Imperium, & Regnum restitutus Ludovicus, uti anno proximo diximus, Conventum in Theodonis villa hoc anno celebravit. *In quo contra quosdam Episcopos de sui dejectione conquerebatur*, ait auctor vitæ Ludovici, *Sed cum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati venire noluissent, Solus Ebbo eorum qui impetebantur adfuit*, ac Episcopatu dejectus in monasterium sub arcta custodia detrusus est, ex his, qui adesse recusarunt, fuit Agobardus Lugdunensis, *qui cum ter vocatus esset, ab ecclesiæ Præsulatu amotus est*, ait idem auctor, alii cum factum excussassent, quod coacte depositioni Ludovici subscripsissent, venia data est iis, sicuti & ceteris, qui in Italiam cum Lothario transierant, sive quod Apostolicæ sedis patrocinium imploraverint, aut potius eo quod de iis, utpote ab ecclesiis suis, & e Galliis exules, nequaquam ultra sollicitus Ludovicus fuerit. Ebo autem Remensis. *Post hanc depositionem suam in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici Imp.* ait supracitatus auctor, nullus tamen ei successor datus est. Sed Fulco Corepiscopus Remensis eamdem administravit ecclesiam, dum Ebbo ab ipsa exul fuit, ut narrant Remenses clerici his verbis. *Finito concilio reductus est sub arcta custodia ad idem sancti scilicet Bonifacii monasterium*, Fuldense nempe, *post aliquantum vero temporis commendatus est similiter ad custodiendum Freculpho Luxoviensi Episcopo, inde etiam Bosoni Abbati in monasterium* S. Benedicti, seu Floriacense. *sub cujus manu exulabat, quan-*

quando dominus Imperator viam totius ingressus est carnis. Jesu Chr. an. 835.

2. His gestis ex Theodonis villa, ad Metensem urbem non longe dissitam cum Episcopis transiit Ludovicus, ubi iterum solemni ritu, Episcoporum auctoritate Regnum recuperavit, *& die Dominica, quæ sacræ quadragesimæ initium præcedebat*, seu Dominica quinquagesimæ. *Post datos*, de restitutione Imperii, *libellos* in villa Theodonis, *venientes Episcopi cum Imperatore, & quamplurimis ejus fidelibus, ac Regni primoribus, in urbem Mettensem in basilica B. Stephani publice a Drogone Episcopo relecta sunt, quæ de restitutione Imperatoris omnium unanimitate inventa fuere*, deinde post aliqua. *Et sic omnibus laudes Deo canentibus, & quæ tunc ibi fuerant agenda peractis, ad Theodonis villam*, unde venerant, *regressi sunt &c.* Eademque Annalista Metensis, qui de ceteris ab Ludovico Imp. hoc anno gestis hæc subdit. Deinde ex Theodonis villæ Palatio. *Ad placitum suum generale, quod in Stremiaco prope Lugdunum se habiturum indixerat, profectus est. Quo in mense Junio habito, & donis annualibus receptis, dispositisque Marchis Hispaniæ, Septimaniæ, sive Provinciæ ad Aquisgrani reversus est*, ad hyemandum pro more, cum ibidem necessaria de Hispaniæ, Septimaniæ, & Provinciæ Marchis, sive confiniis defensione providisset. Aquisgranum vero reversus Ludovicus, ut regni tranquillitati consuleret. *Filio suo Lothario mandavit, ut nobiles quosque suorum ad eumdem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutuæ inter se, & illum ratio investigaretur*, ait auctor vitæ Ludovici, eodemque loco addit, quod cum Judith Augusta Imperatoris vires imminui cerneret, mortemque instare, ut sibi, filioque suo Carolo consuleret, Imperatorem hortata est, ut ad Lotharium missos mitteret, & ad hoc ipsum invitaret, ut ad se veniret. *Qui ut paci semper studens* Ludovicus, *semperque dilector pacis, atque amator firmitatis, quærebat non modo filios, sed inimicos sibi charitate uniri, libenter assensus est.* Quem autem hæc legatio habuerit exitum anno proximo dicturi sumus.

Ludovicus ab Episcopis solemni ritu in Regnum restituitur.

3. Interea hoc eodem anno, ut ait Theganus. *Perrexit Imperator ad partes Lugdunensium, ubi obviam venerunt filii sui Pippinus, & Ludovicus, qui natu Juniores erant.* Nam Lotharius natu maximus, infirmitate detentus adesse non

Concilium Lugdunense.

Jesu Chr. an. 835. non potuit, atque in loco qui vocatur Stramiacus, tempore æstivo, cum Episcopis, qui cum eo erant concilium celebravit, in quo, ut narrat auctor vitæ Ludovici, *Causam ecclesiarum Lugdunensis, atque Viennensis ventilari fecit*, eo quod paulo ante in conventu ad villam Theodonis Agobardus Lugdunensis, & Bernardus Viennensis, ob susceptas Lotharii partes adversus Ludovicum, suis sedibus dejecti fuerant. At nihil in eo quoque concilio adversus eos statutum est. *Sed hæc quidem res imperfecta remansit propter absentiam, ut prædictum est, Episcoporum*. Cum Agobardus ad conventum in villa Theodonis, sicuti etiam in concilio ad Stremiacum adesse recusaverit, ceteri vero Episcopi, atque, ex his Bernardus, fugæ se consulerint, atque in Italiam sub Lotharii protectione se se receperint. Suspensi itaque suisque sedibus extorres hi duo Episcopi remanserunt, usque dum paulo post in Ludovici gratiam redierunt. His vero ecclesiis Vicarii, seu Corepiscopi, ut eas interea regerent, dati sunt, ac Lugdunensis ecclesiæ Theganus, gestorum Ludovici scriptor, Corepiscopus fuit.

Rabanus de reverentia filiorum erga patrem librum scribit.

4. Ad Ludovicum Imperatorem de Imperio recuperato consolatoriam dedit epistolam Rabanus Maurus. Eodemque tempore librum composuit de reverentia filiorum erga parentes, quem Stephanus Baluzius edidit, paulo post vero commentaria in Judith, & Esther. Commentaria Judithæ Augustæ dicavit. *Postquam hostes suos non parva ex parte vicerat*, ut in præfatione ab Mabillonio vulgata, adnotat, idest postquam ad Ludovicum Imp. maritum suum, ex exilio redierat. De Rabano nonnulla anno 822., cum Fuldensis Abbas factus est, adnotavimus, cetera posthac dicturi, cum Moguntinam Sedem obtinuit, aut anno, quo obiit.

Dionysii vita, gesta, & scripta jussu Ludovici ab Hilduino illustrantur.

5. Cumque in ecclesia S. Dionysio prope Parisios dicata Imperialem coronam anno proximo Ludovicus Imp., ab Episcopis recepisset, armisque suis accinctus fuisset ut Sancti Dionysii memoriam illustraret, Hilduino ejusdem monasterii Abbati jussit, ut quæcumque de Dionysio Areopagita, & Episcopo Parisiensi, ut fama ferebat, ab antiquis adnotata fuerant, in unum colligeret, ejusdemque gesta, vitam, & scripta illustraret, uti jam anno 822. cum tanti viri scripta ex Oriente in Gallias tunc primum delata fuerant, quæ sane nec Dionysio Areopagitæ, & Episcopo Athenien-

nienfi, vel altero Dionyfio Parifienfi adfcribenda effe, anno 532. adnotavimus. In epiftola autem fua ad Hilduinum hoc tempore data, poft infcriptionem ajebat Ludovicus. *Quantum muneris atque præfidii non modo nobis, fed prædeceſſoribus, feu progenitoribus noftris, verum etiam totius Imperii noftri populis, domini providentia per beatiſſimum Dionyfium fæpe numero, immo continue in magnis gratiarum ubertatibus contulerit, cunctæ per tranfacta tempora Gallicæ nationes fenferunt, quæ ejus infigni Apoftolatu fidei rudimenta fumpferunt*. Atque multa ab fancto martyre progenitoribus fuis Carolo M., Pippino collata beneficia commemorat. De fe ipfo autem adnotat ejufdem martyris protectione in Regnum rediiffe. *Sed & nos multis ac frequentibus largitionibus beneficia ejus fumus experti, præcipue tamen gloriofo adjutorio fuftentamur &c.* ac jubet, ut quæcumque de Dionyfio five Grece, vel latine fcripta erant, in unum collecta illuftrarentur, ac tandem *Vale in Chrifto vir Dei in facris orationibus jugiter memor noftri*. Hactenus Ludovici ad Hilduinum epiftola, qui piis Ludovici votis fatisfaciens, quæcumque hactenus de Dionyfio Areopagita, & Parifienfi Epifcopo fcripta fuerant, de ejufdem geftis, paffione, miraculis in unum collegit, ac Ludovico obtulit, cum epiftola iis præfixa, cujus initium eft *Exultavit cor meum in Domino*, eique noncupatoriam alteram ad cunctos Chrifti fideles addidit, quæ incipit. *Cum nos fcriptura generali definitione admoneat &c*, Ac cuncta, quæ de eodem Dionyfio, in Græcorum, ac Latinorum Codicibus invenerat, fe collegiffe narrat. Hinc factum, ut cum fama apud Gallos vigeret, unum eumdemque fuiffe Dionyfium Areopagitam & Athenienfem Epifcopum, poftea Parifienfem, qui libros de divinis nominibus, de cœlefti Hierarchia, aliofque fcripferat, factum inquam eft, ut poft vulgata Hilduini Areopagitica fcripta, eadem opinio, non folum inter Gallos, fed ubique fere vulgata, ac recepta fuerit, ut ufque ad feculum proximum tamquam res certa traderetur, at eam fententiam nullo certo fundamento niti alias ad annum præcipue 532. adnotavimus, quibus alia hoc loco addere fuperfluum effet.

De Hilduino Abbate ejufque fcriptis.

6. De Hilduino tantum Areopagiticorum auctore adnotamus, eum nobili genere natum, ac litteris egregie excultum, hoc tempore tribus monafteriis, Parifienfi fcilicet

Jesu Chr. an. 835.

S. Dionysii, S. Germani, & S. Medardi Svessionensi uti Abbatem præfuisse, sed etiam Archicapellani munere, quod inter ecclesiastica officia præcipuum erat, præfuisse, tantamque apud Ludovicum gratiam promeruerat, ut eum Lothario filio suo in Italiam proficiscenti, consiliarium, comitemque dederit. At Lotharii partes adversus Ludovicum secutus, cum pristinam Imperator recepit dignitatem, Archicapellani munere, & Abbatiis privatus, ad novam Corbejam in Saxonia relegatus est. In gratiam deinde Ludovici paulo post Hincmari opera revocatus, Præfecturæ monasterii S. Dionysii restitutus est, ac hoc, vel sequenti anno Areopagiticis scriptis manum admovit, post Ludovici vero obitum, fidelitatis Carolo juratæ, iterum oblitus, in Lotharii partes rursum transiit, atque paulo post circa annum 840. obiit, ut pluribus prosequitur auctor historiæ litterariæ Gallorum.

De festo omnium Sanctorum in Galliis, & Germania celebrando.

7. Hoc anno Gregorius Papa quartus Ludovicum pium admonuit, ut festum omnium Sanctorum, jamdiu Romæ Kalendis Novembris ab Bonifacio quarto institutum, Galliarum, & Germaniarum ecclesiis comune redderet, ut Sigebertus aliique narrant. Unde Sanctorum omnium festum Romæ primum indictum, in alias passim ecclesias temporis tractu transiit. Hinc, Beda, qui seculo elapso floruit, in Anglia observatum fuisse testatur, dum hæc ad Kal. Novemb. martyrologio suo inseruit *Festivitas omnium sanctorum*, in Galliis vero etsi alicubi fortasse celebrabatur, Gregorio suadente omnibus Imperii sui ecclesiis Ludovicus pius commune fecit. Quapropter Ado Viennensis Episcopus hujus ætatis scriptor, natus quippe circa annum 800., eam festivitatem ab Ludovico institutam in Galliis fuisse narrat. *Quam sanctam constitutionem reverenti amore suscepit omnis ecclesia*. Auctor vero libri de divinis officiis, Alcuino olim nunc Amalario inscriptus, de eodem festo hæc adnotat. *Constitutum est, ut plebs universa per totum orbem in Kal. Novembribus, sicut in die Natali Domini ad ecclesiam in honorem omnium Sanctorum ad Missarum solemnia convenire studeat, ut quidquid fragilitas humana per ignorantiam, aut negligentiam sanctorum minus plene peregisset, in hac sancta observatione solveretur*.

JE-

JESU CHRISTI annus 836. Gregorii quarti Papæ an. 10. Ludovici Imp. 23. Theophili Imp. 8.

1. Hoc anno *Imperator Natalis Domini festivitate celebrata* (Aquisgrani) *Missos iterum ad Lotharium direxit monentes eum reverentiæ & obedientiæ paternæ, pacisque illi concordiam multipliciter inculcantes*, ait Annalista Bertinianus. Legatorum nomina recitat auctor vitæ S. Severi Episcopi Ravennatis, apud Bollandum die prima Febr. his verbis. *Ludovicus Imp. Otgarium Mogontinensem Episcopum, & Hildi Verdunensem Antistitem, duosque Comites, quorum alter Varinus, alter Adalgisus vocabatur ad Lotharium filium suum, qui eo tempore Ticini morabatur, destinavit pro pace, & amicitiis inter eos reparandis*. Cumque Paschali festivitate peracta, Aquisgrano excedens ad Theodonis villam transiisset Ludovicus, ibidem mense majo Lotharii legatos excepit, ac cum iis pacem firmavit, de quibus auctor appendicis ad Thegani historiam apud Lambeccium bibliotheca Cæsarea lib. 2. cap. 5. num. 31. *Ludovicus anno Regni sui 23, habuit colloquium cum fidelibus suis in prædio regali Theodonis mense Majo, & ibi venerunt legati Lotharii a partibus Italiæ Valach, qui erat Abbas, & Ribbaldus perfidus, & Ebarhardus fidelis eum ceteris nonnullis renunciantes eum libenter venire ad patrem si pacifice potuisset. Tunc aliqui Episcopi, & ceteri optimates promiserunt ei fidem cum juramento*. Idest Episcopi, & Optimates securitatem Ludovici nomine Lothario promiserunt, eademque ab auctore vitæ Ludovici narrantur, qui hæc etiam subdit. *Sed ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur*, ut Lotharius scilicet ad eum pergeret. *Morbus, febrisque intercessit, & Valam quidem rebus humanis abduxit. Lotharium vero lectulo dejiciens maximo tempore languere fecit. Imperator vero clementissimus natura, ut filium adversa valetudine correptum audivit, per missos fidelissimos, scilicet Hugonem fratrem suum, & Adalgarium Comitem eum visitavit, atque omnia incommoda rescire studuit, imitatus videlicet B. David, qui multis infestationibus lacessitus a filio, mortem tamen ejus ægerrime tulit. At vero postquam desæviente languore convaluit, nunciatum est Imperatori, eo quod conditio-*

Ludovici ad Lotharium legatio & vicissim pro pace ineunda.

JESU CHR. AN. 836.

tiones sacramentorum dudum promissas irrumperet, Lotharius.

Lotharius Romanam ecclesiam vexat.

2. Nec fidem tantum patri sæpius juramento firmatam Lotharius violavit, sed etiam Romanæ ecclesiæ jura, hominesque ei obsequentes, ut eodem loco adnotat auctor vitæ Ludovici. *Nunciatum est Imperatori eo quod conditiones sacramentorum dudum promissas irrumperet, & maxime ecclesiam S. Petri, quam tum avus ejus, quam pater ejus Carolus, nec non ipse in tutelam susceperat, homines ejus crudelissima clade vexaret. Quæ res animum illius, Ludovici Imp. scilicet, mitissimum adeo exasperavit, ut quodammodo extraordinarie (ut videbatur) Missos dirigeret: nullum pene ad tantum iter conficiendum spacium tribuens; misit Legatos ad Lotharium, commonens ne talia fieri permitteret, monens ut memor esset, quia quando ei Regnum Italiæ donavit, etiam curam sanctæ Romanæ Ecclesiæ simul commisit; & quam ab adversariis defendendam susceperat, nequaquam a suis diripi permitteret: commonens etiam sacramentorum nuper ab eo sibi promissorum, ne forte oblivisćens atque parvipendens ea, divinitatem offenderet: quod sibi impune non futurum, non ignoraret, simul etiam jubens parare sibi stipendiarias annonas, stativasque congruas per omne iter, quod Romam transmittit. Dicebat enim se limina Apostolorum visere velle. Quod ne fieret, irruptio Normandorum in Frisiam impedivit, ad quorum insolentiam comprimendam pergens, misit Missos ad Lotharium, Fulconem scilicet Abbatem & Richardum Comitem, nec non Adrebaldum Abbatem, quorum Fulco & Richardus responsum sibi a Lothario referrent, Adrebaldus porro Romam pergeret, Gregorium Papam de necessariis consulturus, & voluntatem Imperatoris, ceteraque sibi injuncta perlaturus. Sed Lotharius de his conventus, nec non de rebus quarumdam Ecclesiarum ablatis, quæ in Italia sunt, quibusdam annuit; quædam se non posse servare, respondit:* Hæc Legati retulerunt Ludovico, cum fugatis Normandis, ad sua reversus est.

De adventu Legatorum Ludovici in urbem eorumque reditu.

3. De misso autem Legato Romam, ista idem auctor subdit: *At vero Adrebaldus Romam, ut jussum sibi fuerat, pervenit: dominum Gregorium Papam ægrotantem reperit, & maxime fluxu sanguinis qui licet sensim, continue tamen ex naribus destuebat. Sed tanta alacritate & gaudio ad verba Imperatoris & compassiones ejus recreatus est, ut pro*

profiteretur pene se incommoditatis propriæ oblitum. Itaque admissum ad se opulentissime curavit apud se consistentem, & ditissime muneravit recedentem, mittens cum eo duos Episcopos Petrum Centumcellensis urbis, & Georgium Regionarium Romanæ Urbis, simul Episcopum. Lotharius prout audivit memoratorum Episcoporum ad dominum Imperatorem adventum, misit Leonem, qui tunc apud illum magni loci habebatur, Bononiam, qui magno intentato terrore, ultra progredi Episcopos prohibuit. Adrebaldus tamen epistolam Imperatori destinatam ab eis occulte suscepit, & cuidam suorum sub obtentu mendici, quousque Alpes transiret, ferendam commisit, ac post Imperatori perrexit. Hactenus de rebus Romanæ ecclesiæ. Jesu Chr. an. 836.

4. Funebrem Gallorum Imperio hunc annum fuisse, idem auctor vitæ Ludovici his verbis adnotat. *Ea tempestate quanta lues mortalis populum, qui Lotharium secutus est, invaserit, miserabile est dictu, in brevi enim, idest a Kalend. Septemb, usque ad Missam Sancti Martini*, (ideft Festum Sancti Martini quod XI. Novemb. celebratur) *hi Primores ejus vita excesserunt: Jesse olim Ambianensis Episcopus* (anno 830. Episcopatu depositus) *Helias Tricasinæ Urbis Episcopus* (Vir Lotharii partibus addictus) *Vala Corbejensis Monasterii Abbas* (de quo mox) *Mathfridus* (comes quondam Aurelianensis, qui tamen ex Thegano cap. 55. ante biennium dicitur vita functus) *Hugo* (Lotharii Aug. socer), *Lambertus* (Vir partium Lotharianarum) *Godofridus, itemque filius ejus Godofridus, Albertus Comes Pertensis, Burgaretus quondam Præfectus venatoribus Regalibus, sed & Richardus vix evasit. Nam post non multum & ipse moritur. Hi enim erant, quorum decessu dicebatur Francia nobilitate orbata: fortitudine, quasi nervis succisis evirata: prudentia his obeuntibus annullata &c. Imperator hoc suscepto nuntio nihil in se exultavit, nec morti inimicorum insultavit; sed pugno pectore tunso, lacrymisque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est.* Illustrium virorum obitus.

5. Valam Abbatem hoc anno obiisse ad annum 23. Ludovici adnotat auctor appendicis ad Thegani historiam his verbis. *Eodem anno supradictus Valha mortuus est, & ceteri nonnulli infidelium*, qui Lotharii partes secuti fuerant. Annalista vero Bertinianus *Valo Abba, cujus consiliis Lotha-* Valæ Abbatis obitus & elogium.

Jesu Chr. an. 836. *tharius plurimum utebatur, in Italia obiit*. Erat Vala, cujus supra non semel mentionem fecimus, filius Bernardi Caroli Martelli filii, *Germani erant quinque*, ait Ratbertus in vita Adalbardi Abbatis, seu Adalhardi fratris Valæ, *ut sexu ita discreti & ætate, sed eadem uniti bonitate*, Adelbardus natorum maximus, deinde Vala, hos sequebatur Gundrada virgo, reliqui duo Bernharius, seu Bernardus, & Theodrada. Vala autem non lue, ut ceteri Lotharii fautores, sed febre correptus obiit, cum in gratiam Ludovici, & Judithæ Augustæ rediisset, sollicitus fuerat ut concordia inter Ludovicum, & Lotharium instauraretur. *Febre correptus*, ait auctor vitæ ejus Paschasius Ratbertus; *sollicitior pro Augusto Imperatore*, Lothario scilicet, *apud quem tunc agebat, quam pro se erat, ne forte, quod nuper patri promiserat, abmitteret*, idest exequi recusaret, *occasione accepta quod ipse febribus vexabatur*. Mortem sibi instare præsciisse adnotat idem auctor, in Bobiense monasterio ultimum diem clausit, prope Colombanum sepulturæ traditus, ac pridie Kal. Septembris eum obiisse ex libro pastuum seculi noni monasterii Corbejensis, coniicit Mabillonius. Res a Vala gestas duobus libris persecutus est Paschasius Ratbertus ejus monachus & familiaris, eosque Epitaphii nomine inscripsit. Dialogi more sub fictis nominibus hos libros composuit Paschasius, qui ubique Valam Arsenium, Ludovicum Imperatorem Justinianum, Judith Augustam Justinam, Lotharium Honorium, Ludovicum fratrem Gratianum, Pippinum Melanium, Bernardum camerarium Nasonem, item Ammissarium ab admissario equo appellat. Dialogi interlocutores sunt Paschasius ipse, Adeodatus, Severus, Chremes, Allabigus, omnes Monachi Corbejenses. Ex his Severus non alius fuisse videtur ab Odilmanno Severo, cui Paschasius commentaria in threnos nuncupavit. Primum ex his libris scripsit auctor superstite Ludovico Augusto, secundum post abdicatum a se regimen Corbejensis monasterii, idest post medium sæculum nonum. Ideo vero fictis nominibus usus est, ne singulos proprio nomine appellando, partium fautores exasperaret, libro altero Apologiam texit, tribusque objectionibus, quibus ab adversariis impetebatur, respondet. Primo quod monasticam vitam amplexus, civilibus publicisque negotiis se implicaret. Secundo quod Ludovico Augusto

sto auctor fuerit, ut Juditham uxorem repudiaret. Tertio quod exauctorationis Ludovici particeps fuisset, at ad primam criminationem respondet Paschasius, Valam tantæ fuisse dignitatis, ut cum inter primos aulæ administros, ante monachatum fuerit, etiam monachus eamdem fere auctoritatem, & dignitatem invitus fere, & jubente Imperatore retinere coactus fuerat, secundam diluit criminationem Paschasius adnotans, iis in circumstantiis, non aliter quam repudiata Juditha, Imperatoris vitam servare potuisse. Tertiæ demum satisfacit ajens, Valam Ludovici Imp. exauctorationi totis viribus restitisse, cumque nihil auctoritate sua, aut consilio proficeret, tunc demum ab aula recessisse, ac in Bobiense monasterium concessisse. At de Valæ Abbatis gestis, & obitu hactenus.

Concilium Aquisgranense.

6. Normannorum irruptione in Frisiam detentus Ludovicus, ad Apostolorum limina, ut statuerat, transire non potuerat, ibique subsistens, ut ecclesiasticis æque, ac civilibus rebus consuleret, Aquisgrani octavo idus Feb. hoc eodem anno concilium celebravit, ut in ejus præfatione his verbis indicant Episcopi: *Cum convenissemus Episcopi, quorum nomina subter annectuntur synodali evocatione, convocante nos, Ludovico Imp. Aquisgrani Palatii in secretario basilicæ sanctæ genitricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis anno Incarn. Domini N. J. C. 836., indict. 14. Imperii prædicti Cæsaris 23. octavo idus Februarii &c.* Cumque adnotassent ex duobus hominum generibus Rempublicam, & Ecclesiam constare, atque *Normam universæ religionis, atque ecclesiasticæ disciplinæ in duabus consistere personis, Pontificali videlicet, atque Imperiali &c.* Hinc ad utriusque ordinis reformationem intentos se fuisse testantur, ac primum ad ecclesiasticam disciplinam restituendam, de Episcoporum vita & moribus canones duodecim ediderunt, his vero alios duodecim addiderunt, quibus quid Episcopi scire debeant, quave ratione propriam domum, clerum, ecclesiamque commissam regere deberent, admonentur. Deinde capitibus sexdecim, de Presbyterorum officiis, eorumque doctrina, & vitæ institutione agunt, sicuti etiam de monasteriorum Præpositis utriusque sexus, plurima addunt, qua scilicet ratione non solum ipsi vitam instituere, subditosque monachos, vel monachas, verbo, exemplo, & opera regere debebant, ac cor-

Jesu Chr. An. 836. ruptelas ubique fere vigentes eradicare, *illud necessarium visum est de monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria potius videntur esse, quam monasteria propter negligentiam stipendiorum, aut certe insolertiam prælatarum.* Quare ut religiosi monasteriis visitatores deputarentur, cautum est. Tandem post canones ad Cleri reformationem spectantes, quænam etiam Imperatoris, Regumque officia essent, pluribus persequuntur, hac ad Ludovicum præfatione præmissa. *Sed nunc, quia de his quæ præmissa sunt ardentissimo vestro desiderio prius satisfacere studuimus, illud tamen, quod ad vestram specialiter personam, ministeriumque pertinere cognoscimus, nullatenus oblivioni tradidimus, sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratia, devoteque porrigenda devovimus.* His nonnulla addiderunt ad filios ejus pertinentia, quædam vero ad commilitones, ceterosque Imperii administros, atque hæc omnia canonibus vigintiquinque exposuerunt, quæ sane exscribere longum esset, omnia tamen, quæ ad ecclesiæ utilitatem, remque publicam recte administrandam ab Regibus agenda sunt, sacræ scripturæ, SS. Patrum, conciliorum, & Romanorum Pontificum auctoritatibus ut plurimum confirmarunt.

Aquisgranensis concilii libri tres ad Pippinum directi.

7. Neque hæc Episcopis illic congregatis, satis fuerunt, sed quæcumque in Aquisgranensi concilio statuta fuerant, tribus libris, fusiori etiam stilo, amplioribusque auctoritatibus refertis ad Pippinum Aquitaniæ Regem, cum humili hac præfatione miserunt. *Inclito, cælestique gratia regio munere insigniter sublimato domno Pippino Regi nobilissimo, & per immensum a Deo conservando Cœtus venerabilium Præsulum, & sequentis ordinis religiosorum Sacerdotum apud Aquisgrani, jussu Ludovici &c. . . . synodaliter congregatus &c. Nos igitur*, addunt, *fidelissimi oratores vestri, salutisque vestræ amatores devotissimi, miseramus nuper celsitudini vestræ per venerabiles fratres, Aldricum videlicet Cenomanicæ urbis, & Archinradum Parisiorum coepisc.pos nostros, quamdam schedulam, quædam ex auctoritate ministerii nostri salutaria monita continentem. Cui quia de negotiis, unde vestram magnitudinem admonuimus, testimonia sanctarum scripturarum, vitantes illius prolixitatem, annectere nequivimus, utile necessariumque judicavimus, ut in hoc opusculo ea breviter annota-*

notaremus vestræque prudentissimæ solertiæ legenda mitteremus: ut si forte quispiam objicere voluerit hæc quæ vobis scripsimus, non ex auctoritate divina constare, sed potius arbitrio cordis nostri, imo cupiditate, & quadam adinventione commentata esse, his lectis atque perpensis evidenter agnoscat, nos quæ Dei sunt, & ad vestram salvationem hic, & in æternum, & ad regni vobis commissi stabilimentum, se autem ea quæ mundi sunt, ejusque amatores diligunt, & Dei voluntate usquequaque contraria existunt, & ad animarum interitum pertinent, absque dubio loqui. Liber deinde primus sequitur capitibus 38. distinctus, secundus 31. constat, tertius tandem vigintiseptem, quibus cleri, populique reformationem, indixerunt, & utinam sicuti in concilio cleri, populique reformatio decreta fuerat, ita executioni mandata fuisset.

8. Inter legatos ab Ludovico Imp. pro pace ineunda ad Lotharium missos, Otgarium Moguntinensem Episcopum fuisse diximus. Is porro *Peracta legatione*, ait auctor vitæ SS. Severi, & Vincentiæ apud Bollandum, *De Palatio Imperatoris Mogontiacum veniens sanctorum reliquias*, Severi scilicet Episcopi, & Vincentiæ uxoris ejus, *cum summa veneratione suscipi a clero, & populo præcepit*. De his autem narrat vitæ auctor Severum Ravennatensem cum Vincentia casto phœdere copulatum suis manibus vitam aliquandiu sustentasse usque dum anno 346. Constantio quartum, & Constante tertium Coss., Ravennatensis Episcopus inopinato ordinatus fuit, qui anno sequenti Sardicensi concilio adfuit, ut ex subscriptionibus constat, ac usque ad annum 390. circiter, ut ait Bollandus vitam retinens, eam ecclesiam sanctissime administravit, atque prope Classem cum uxore, & filia præmortua sepultus est, cujus reliquias Felix quidam Presbyter Papiam transtulerat, quas postmodum hoc anno Otgarius Moguntiam, ut diximus, transtulit. *Cujus ossa in ecclesiam in honorem S. Pauli Apostoli dedicatam translata sunt*, ait idem auctor.

Translatio reliquiarum SS. Severi, & Vincentiæ uxoris ex Ravenna Moguntiam.

9. Inter pietatis officia sanctorum non solum cultus, sed etiam translationes, hac ætate primum fere locum tenebant, ita ut singulis fere annis nonnullæ factæ narrentur, aut ex Oriente in Occidentem, vel ex urbe, in Galliam, & Germaniam, quas recensere, vel exponere longum esset, hoc

Translatio S. Viti in novam Corbejam.

JESU CHR. AN. 836. hoc anno non solum ex Italia Moguntiam reliquiæ SS. Severi, & Vincentiæ translatæ sunt, ut diximus, sed ex Galliis in Saxoniam reliquiæ S. Viti, ut narrat monachus Anonymus novæ Corbejæ, qui translationi adfuit. Varinus quippe novæ Corbejæ Abbas Hilduinum Abbatem monasterii S. Dionysii adiit, eique in memoriam revocavit, promissionem sibi factam, cum in nova Corbeja exularet, quod si suo monasterio restitutus fuisset. *Aliquem Sanctorum, qui sub ditione sua erant, eis daret. Quam petitionem Hilduinus Abbas cum voluntate & licentia piissimi Imperatoris Ludovici, consensu etiam Episcopi Parisiacæ urbis, cæterorumque Nobilium Virorum in supradicta Diœcesi commorantium libenter annuens, dedit ei corpus Sancti Viti pueri & Martyris Lucani, qui sub Valeriani* (legendum Maximiani) *& Diocletiani temporibus passus esse, & quodam Viro religioso regnante Pippino, translatus ab Italia in Franciam, & in Diœcesi Parisiaca locatus, narratur. Cujus merito, in loco, ubi positus fuerat corpus ipsius, multas Dominus virtutes operatus est &c.* Eamque translationem anno Incarnat. 836. indict. 14. anno Imp. Ludovici 23. peractam fuisse is auctor adnotat idest hoc anno.

Translatio Sancti Castoris Presbyteri.

10. Otgari, & Varini pietatem in reliquiarum translatione emulatus est hoc anno Hetti Trevirensis Archiepiscopus, dum, ut narrat auctor appendicis ad Theganum. *Divino jussu instinctus asportavit corpus S. Castoris de loco, in quo ante requiescebat, qui vocabatur Caradona, ad locum qui vocatur Confluentes,* (Vulgo Coblenz) ubi Mosella in Rhenum intrat, *ad monasterium quod ipse supradictus Archiepiscopus, a fundamento construxerat, sicut ei in visu præcepit Sanctus Maternus, qui erat tertius Trevirensis Archiepiscopus, & in festivitate Sancti Martini venit sanctum corpus ad Confluentes cum magno honore, & in crastinum die Dominico* (hoc anno dies 12. mensis Novemb. in Dominicam incidit) *consecravit supradictus Pontifex illam Ecclesiam in honore Sancti Castoris, & omnium Sanctorum Confessorum. Et post consecrationem suscepit Sanctum corpus, & collocavit illud in Ecclesia honorifice sicut dignum erat. Octavo vero die post consecrationem, quod est 12. Kal. Decemb. die Dominico venit Domnus Imperator cum conjuge, & liberis, & post Missarum solemnia obtulit ibi maxima dona in auro, & argento*

gento

gento, & mansit ibi duos dies, & totidem noctes, & honoravit eum supradictus Pontifex cum conjuge, & liberis, & omni cum familia sua donis innumeris. Domnus Imperator rediit Aquis ad sedem suam, & ibi totam hyemem permansit. Castoris Presbyteri vitam qui sub finem seculi quarti vixerat, ab auctore Anonymo incertæ ætatis scriptam, ad diem 13. Febr. exhibet Bollandus. Jesu Chr. an. 836.

11. Normannorum quoque in Gallias irruptiones, quæ frequentes hac ætate erant, gravioresque etiam imposterum Francorum Imperio fuerunt, Sanctorum translationibus occasionem dederunt, ut etenim narrat Ermentarius monasterii Heriensis Abbas in historia translationis S. Filiberti cui ipse adfuit. Anno Incarn. 836. Indict. 14. Imperii Ludovici anno 23. *Cum repentini atque intempestivi Normannorum occursus non cessarent*. Hilbodus præfati monasterii tunc Abbas Pippinum Aquitaniæ Regem adiit, ab eo auxilium, aut consilium habiturus, an ibidem subsistere, locumque tueri deberent, an alio transmigrare. Tunc vero subdit, gloriosus Rex, consilio cum optimatibus habito, cum locum vix tutum esse, vel reddi posse cernerent, *decreverunt multo melius fore beati Filiberti corpus inde transferri debere, quam ibi relinqui, quod effectum esse constat*, hoc anno.

Translatio corporis Sancti Filiberti.

12. Corpus quoque S. Liborii Cenomanensis olim Episcopi, Paderbonam hoc anno translatum est; Videns quippe Baduradus Paderbonensis Episcopus, quia rudis adhuc in fide populus, & maxime plebejum vulgus difficile poterat ab errore gentilitatis perfecte divelli, latenter ad avitas quasdam superstitiones colendas se convertens, existimavit eum facilius ab infidelitate revocatum iri, si alicujus sancti corpus illuc transferret, ob miraculorum præcipue celebritatem, quæ in iis translationibus fieri solebant. Quare hoc anno, indict.14. Ludovici Imp. 23., ut narrat auctor translationis, legatos ad urbem Cenomanicam misit, & a Sancto Aldrico ejus urbis Episcopo corpus S. Liborii Episcopi quondam Cenomanensis obtinuit, ac Paderbonam transtulit, de quibus ad hunc annum plura Baronius, & Cointius referunt. At de sanctorum translationibus hactenus, atque ex his patet quantum diversa ab Gregorii Magni ætate, & sententia hujus ævi Occidentalis ecclesiæ disciplina esset,

Translatio corporis S. Liborii Paderbonam.

nam

Jesu Chr. an. 837. nam ut idem S. Pontifex non uno in loco testatur, Romanis moribus inauditum erat, ac sacrilegum fere fuisset, Sanctorum reliquias de loco movere, tangere, vel in frusta dividere. Hac autem ætate res eo deducta erat, ut peregrinus quisque Romam veniens, multorum sanctorum reliquias colligeret, ac in patriam deferret, quod etiam nostris temporibus passim contigit fieri constat.

JESU CHRISTI AN. 837. GREGORII 4. PAPÆ AN. 11. LUDOVICI IMP. 24. THEOPHILI IMP. 9.

Ludovicus Cometæ apparitione territus, piis operibus vacat.

1. Hoc Christi anno 837. Ludovicus Imp. cœlesti signo, seu Cometa in Cœlis visa territus, piis operibus, quibus hactenus incubuerat, impensius adhuc vacavit. *Mediante festivitate Paschali*, ait auctor gestorum Ludovici, Astronomus dictus, *Dirum semper ac triste portentum ibidem, Aquisgrani scilicet, Cometæ sidus in signo Virginis apparuit*, cujus prospectum, progressumque ibidem describit. Deinde. *Quamobrem cum primum Imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quemdam, itemque me, qui hæc scripsi, & qui hujus rei scientiam habere credebar percontari studuit: quid super ea mihi videretur*. Cumque Imperatoris mortem cœleste signum portendere vulgo traderetur, eumdem Astronomus admonuit, ne iis signis terreretur, ac Jeremiæ textum adducens. *A signis Cæli ne timueritis, quæ pavent gentes*. eaque recreatus sententia, Astronomos dimisit, noctem tamen insomnem in orationibus transegit, & facto diluculo. *Ministros aulicos vocavit, & eleemosinas quam largissime pauperibus, ac servis Dei tam monachis, quam Canonicis porrigi jussit. Missarumque solemnia per quoscumque potuit celebrare fecit, non tantum sibi metuens, quantum ecclesiæ sibi creditæ prospiciens &c.*

Carolus Regno adauctus a patre coronatur.

2. Aquisgrano autem tota æstate consistens, *Generalem conventum Autumni tempore, idest Septembri mediante in Carisiaco indixit, in quo loco & tempore filius ejus Pippinus ab Aquitania ad eum venit, & ipsi conventui interfuit, ubi Domnus Imperator filium suum Carolum armis virilibus, idest, ense cinxit, corona regali caput insignivit, partemque Regni, quam hamonymus ejus Carolus habuit, idest, Neustriam*

striam attribuit. Itaque Domnus Imperator inter filios, quantum possibile fuit, coagulo benevolentiæ firmato; Pippinum in Aquitaniam, Carolum autem in portionem Regni ipsi attributam dimisit, & præsentes quidem Neustriæ provinciæ primores Carolo manus dederunt, & fidelitatem sacramento obstrinxerunt, absentium autem quique postea idem fecerunt. Hæc de Caroli in Regnum inauguratione Astronomus, eademque Nithardus, & auctor vitæ Ludovici, addentes, tantam Regni portionem Carolo a patre adtributam ægre tulisse Lotharium, & Pippinum Caroli fratres, sed ob reverentiam patri debitam, seu potius *Cum nihil ex his indignari se posse viderent, callide dissimulantes, quidpiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt*, ait Nithardus, & sane Lotharium Imperio fere dejectum, ac Italiæ limitibus detentum, ægerrime hæc tulisse, tam gesta hactenus, cum quæ imposterum tentavit, aperte demonstrant.

Jesu Chr. an. 837.

Normannorum irruptio in Frisiam.

3. Normannos hoc tempore frequentes in Gallias irruptiones egisse supra adnotavimus. Hoc anno *Nortmanni tributum exactantes* seu exigentes, *in Vvalchram insulam*, in Frisia cis Rhenum positam, *venerunt*, ait Annalista Bertinianus, *ibique Eginhardum ejusdem loci Comitem, & Hemmingum Halphani filium cum aliis multis 15. Kal. Jul. occiderunt, & Dorostadum vastaverunt, acceptoque a Frisionibus tributo reversi sunt. Imperator emisso itinere Italico Aquisgrani hyemavit.* Quid postea actum sit, refert Auctor Chronici de Gestis Nortmannorum in Francia a Duchesnio Tom. 2. publicati: A. D. 837. *Nortmanni in Insula, quæ Valaria dicitur, multos trucidaverunt, & aliquando inibi commorantes, censu exacto ad Dorostadum pervenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Ludovicus Imperator auditis ad Noviomagum Castrum properare non distulit. Cujus adventu Nortmanni audito, continuo recesserunt.* Idem narrat Annalista Bertinianus, aitque Noviomagum Castrum vicinum fuisse Dorostado. Auctor vero appendicis ad historiam Thegani Normannos eosdem fuisse ac Danos adnotat. *Anno vero Ludovici 24.*, ait is auctor. *Prænunciavit Imperator, ut cum omni exercitu voluisset ire Romam cum filiis suis Pippino, & Ludovico, & statuit seditiones in nonnullis locis contra Danos*, idest expeditionem agere contra Danos, deinde de cladibus a Danis illatis subdit. *Illi vero Da-*

nai

Jusu Chr. an. 837.

nai nave venientes ad unam seditionem, seu uno conflictu, *interfecerunt ibi innumerabilem multitudinem Christianorum, & ibi cecidit Hemminch, qui erat ex stirpe Danorum Dux Christianissimus, & Eccinbardus* (quem Annalista Fuldensis Eginhardum vocat) *alius Dux, & multi Optimates Imperatoris, & aliqui comprehensi sunt, & postea redempti. Hoc audiens Imperator dimisit iter, quod praenunciatum habebat, & revertens ad praedium Gandalphi, cum omni exercitu venit Noviomagum Castrum, quod situm est super fluvium Valum* (seu, ut nunc loquimur, Vahalim.) *Explicit origo Regum atque acta*. Quibus verbis auctor ille appendicem suam duorum annorum claudit.

Concilium Londoniense in Anglia ad Danorum irruptiones cohibendas.

4. Danorum, seu Normannorum, utpote qui ex regione North egressi erant, frequentes in Frisiam, vicinasque provincias irruptiones, ut de Londinensi concilio ante annos aliquot in Anglia celebrato nonnulla adnotemus, nos admonent, ex eo etenim constat Danos Britannis quoque infestos hac aetate fuisse, nam ad Danorum irruptiones comprimendas ante annos aliquot concilium Londini congregatum fuisse acta narrant. *Istud Chirographum domino Sigvvardo Abbati patri meo, & Etheldridae sanctissimae Virgini . . . in praesentia Dominorum meorum Egberti Regis Vestsaxoniae, & Etheluulphi filii ejus coram Pontificibus, & Proceribus majoribus totius Angliae in civitate Londonia, ubi omnes congregati sumus pro consilio capiendo contra Danicos piratas littora Angliae assidue infestantes*. Eoque chirographo concilio oblato, ac ab Episcopis totius fere Angliae, & Rege Merciorum Vithlasio subscripto, idem Rex se aliquando in Monasterium Croilandiae insulae receptum, inimicorum suorum rabiem evasisse, ac incolumem delituisse commemorans, ut pro beneficio accepto gratias ageret, non solum privilegia dicto monasterio a praedecessoribus suis collata confirmavit, sed etiam adauxit, & ut praeteream, quod jus piscandi iis in aquis Monasterio concessit, ac quacumque ex causa illuc confugientes, pro quocumque delicto, eousque securos esse voluit, *sicut in asylo, vel in camera mea propria, pace mea, & impunitate mea gaudeat &c.* Ministris etiam suis per totam Merciam Rex jussit, ut cum ad civitates, vel castella regia Abbas, vel monachus, aut quislibet alius dicti monasterii, pro quacumque necessitate adve-

advenisset. *Tamquam Vimundo filio meo, vel mihi obediant in omnibus, & ministrent, nihil pro impensis, quas ipsi, vel sui fecerint ibidem ab iis accipientes &c.* Munera etiam plurima tunc dicto monasterio obtulit, scilicet Calicem, & Crucem ex auro, *& tabellam Capellæ propriæ laminis aureis deauratam*. His addidit. *Offero etiam secretario dicti monasterii in ministerium sanctissimi altaris chlamydem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad capiam inde sive casulam faciendam, & in ecclesiæ sanctissimum ornamentum, velum meum aureum, quo insuitur excidium Trojæ in meo anniversario, si placuerit, in parietibus suspendendum. Offero etiam refectorario dicti monasterii ad usum præsidentis quotidie in refectorio scyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem barbaris vinitoribus ad Drachones pugnantibus cœlatum, quem crucibolum meum solitus sum vocare, quia signum crucis per transversum scyphi imprimitur interius, cum quatuor angulis simili impressione protuberantibus, & cornu mensæ meæ, ut senes monasterii bibant inde in festis Sanctorum, & in suis benedictionibus meminerint aliquando animæ Donatoris Vithlasii &c.* Quibus etiam terras, possessionesque donavit, & quas antea possidebat confirmavit, ut ibidem videre est.

Aldrici Senonensis Episcopi gesta & obitus.

5. In notis ad vitam Aldrici Senonensis Episcopi, ejusdem obitum ad annum usque 840. distulerat Mabillonius, at in Annalibus anno 836. desinente eum obiisse vero propius esse scribit. Is porro nobili genere anno 775. natus a teneris annis in Ferrariensi monasterio divinis, humanisque litteris, sub Sigulpho Abbate Alcuini successore operam dederat, ab Jeremia deinde Diaconus anno 818. ac Presbyter postea anno 820. ordinatus, Ludovici Imp. eousque gratiam promeruit, ut inter carissimos habuerit, quem etiam Scholæ Palatinæ præfecit. At paulo post Ferrariensis Abbas anno 821. post Adalberti obitum electus, inde invitus fere eductus est, ac Senonensis Episcopus, post Jeremiæ obitum, ordinatus, eamdem ecclesiam usque ad proximum, vel labentem annum sanctissime rexit, suo semper officio intentus, ac erga Ludovicum pium fidelis, ab ejusdem obsequio numquam recessit, ejusdem unica epistola ad Frotarium Tullensem Episcopum extat, eo tempore ut videtur, scripta, cum Episcopus electus fuerat, a Mabillonio post

Jesu Chr. an. 837.

ejus vitam edita, ejusdemque privilegium refert Senonensi monasterio Sancti Remigii datum, cui Episcoporum plurimi subscripti leguntur, ut ibidem, vel apud Mabillonium videre est.

De Aldrico Cenomanensi Episc. ejusque gestis.

6. Inferioris vix meriti fuit Aldricus alter Cenomanensis Episcopus, qui hoc anno Carisiaco concilio, seu conventui, cum Episcopis pluribus adfuit, qui anno 800. circiter natus, anno ætatis suæ duodecimo in aulam Caroli M., & Ludovici pii ductus ibidem aliquando militavit. At venia ab Carolo petita, inde recessit, ac inter Metenses clericos adscriptus. *Cantum Romanum, atque Grammaticam, sive divinæ scripturæ seriem pleniter atque doctissime didicit*, ait auctor vitæ ejus. Post duos clericatus annos a Gandulpho Metensi Episc. Diaconus ordinatus est, deinde cum Gandulpho Drago successisset, Presbyterum consecravit, & seniorem cantorem constituit, ac Magistrum declaravit, virtutum autem & doctrinæ fama clarum, *eum seniorem Sacerdotem, suumque confessorem*, Ludovicus pius, *præesse constituit*, ac mortuo paulopost Cenomanensi Episcopo, ab Gandramno Turonensi Metropolitano suo, Cenomanensem sedem obtinuit, quem etiam, ut sacrum susciperet ministerium, Ludovicus Augustus hortatus est, ac die undecima Kal. Januarii anni 832. ordinatus fuit, eamdemque ecclesiam usque ad annum 856. summa cum vigilantia administravit, ita ut vix necessitate urgente e Diœcesi sua abesset, de quo iterum infra sermo redibit.

Theophili Imp. expeditio in Saracenos, & victoria.

7. Meliori fortuna Theophilus Imperator alteram, & ultimam hoc anno adversus Saracenos expeditionem suscepit, de qua Elmacinus historiæ Saracenicæ lib. 2. ad annum Hegiræ 223. hæc refert. *Ajunt Theophilum Romanorum Imperatorem egressum cum centum militum millibus obsedisse Zabutram*, seu Sozopetram, *eamque cœpisse & diruisse, incolas autem partim occidisse, partim captivos abduxisse, atque hinc abiisse Malatiam, & eam quoque cœpisse, multosque occidisse, & plures quam mille Muslimas captivas avexisse*, idest feminas Saracenicas. Eademque fusiori stilo Porphirogeneta lib. 3. num. 29. ac Theophilum in Syriam cum ingenti exercitu profectum, obvia quæque longe lateque vastasse addit. *Duasque captas civitates solo tenus diruit*, uti supra ex Almacino diximus.

8. Hoc

8. Hoc quoque anno moritur Egbertus totius Angliæ Rex, qui ab anno 800. regnabat. *Post annos Regni triginta, & septem, & menses septem*, ait Malesburiensis lib. 2. de Gest. Reg. cap. 1. qui subdit. *Anno Dominicæ Incarnationis* 837. *Etheluulphus (quem quidam Athulphum vocant) filius Egberti regnum sortitus regnavit viginti annis, & quinque mensibus natura lenis, & qui sub quiete degere, quam multis provinciis imperitare mallet. Denique avito Vestsaxonum regno contentus, cætera quæ pater subjugaverat, appendicia Ethelstano filio contradidit, qui quanto, & quo fine defecerit, incertum* ait Ethelverdus lib. 3. cap. 2. qui Egbertum hoc anno mortuum indicat, & *Athulphum* ejus successorem ac filium Cantuariorum Regnum *Ethelstano* filio tradidisse, ac præterea eumdem præfecisse East-Saxonibus, Suthregiis, & Suth-Saxonibus addit.

JESU CHR. AN. 838. Egbertus Angliæ Rex moritur; cique Ethelvulphus filius ejus succedit.

9. Hoc etiam anno cum annis tribus Cassinatibus præfuisset Autbertus Abbas, decimo Kal. Martii vivere desiit, ait Mabillonius, cujus opuscula quædam recenset Petrus Diaconus in libro de viris illustribus Cassinensibus, successorem habuit Bassacium, qui annos octodecim Cassinensibus præfuisse traditur, eoque Abbate Cassinatium patrimonium, ex piorum virorum donationibus auctum fuisse idem Mabillonius adnotat, ex notis ab Angelo de Nuce ad Chronicon Cassinense inscriptis, ut ibidem videre est.

Autberti Cassinensis Abbatis obitus, cui succedit Bassacius.

JESU CHRISTI ANNUS 838. GREGORII 4. PAPÆ AN. 12. LUDOVICI IMP. 25. THEOPHILI IMP. 10.

1. Dum adhuc de Imperii divisione cum Ludovico Imp. dissiderent filii ejus Lotharius, Ludovicus, & Pippinus, ac Ludovicus cum Juditha uxore sua pro Carolo filiorum minimo sollicitus esset, ne a fratribus post obitum suum, Regno eidem tradito exturbaretur, accidit, ut Pippinus Aquitaniæ Rex ante decennium dictus, subito morbo præventus, hoc anno e vivis eriperetur, unde contigit, ut nova Imperii divisio perageretur. *Hieme transacta*, ait auctor vitæ Ludovici, *Kal. Junii sævus Cometa ignis in signo Scorpionis apparuit non multopost solis occubitum. Cujus minacem vultum non multo post excessus Pippini est subsecutus.* De die, vel mense, quo Pippinus obiit, eousque dissident

Pippinus Aquitaniæ Rex moritur.

JESU CHR. AN. 838. hujus ævi annalistæ, ut alii mense Novembri, alii Decembri, vel etiam Junii, vel Januario, eum obiisse scribant, quorum dissidia prout conjecturis assequi potuerunt, componere conati sunt Pagius, Cointius, aliique.

Ludovicus Imperium inter Lotharium, & Carolum partitur.

2. Pippini itaque Regis inopinatus obitus, ut alteram Regni partitionem Ludovicus ageret, in causa fuit, ac excepta Bojaria Ludovico jam adtributa, inter Lotharium, & Carolum Pippini Regnum divisit, qua etiam occasione Lotharius in gratiam patris rediit. Uxor quippe Ludovici Imp., & mater Caroli, cum primoribus Regni, qui Carolo favebant, metuentes, ne post Ludovici obitum, a fratribus Carolus regno ejiceretur, Lotharium sibi sociare conati sunt. *Quamobrem missos deligunt, & in Italiam mittunt promittentes, si patris voluntatem deinceps ergu Carolum conservare vellet, omnia quæ in illum hactenus dereliquerat, remitti, & omne Regnum absque Bajoaria, inter illum & Carolum dividendum. Quæ quoniam Lothario, & suis rata videbantur, utraque ex parte sic velle, ac sic se perficere juraverunt. Ergo ad Urbem Vangionum* (Vormatiam nempe) *Conventu indicto convenerunt, in quo Lotharius humillime ad pedes patris coram cunctis procidit*, inquit Nithardus lib. 1. cui consentit Auctor vitæ Ludovici Pii, qui addit Imperatorem venisse ad Vormatiam, *post Paschæ solemnitatem*, Annalista vero Metensis *post Pascha mense Majo*, Annalista Bertinianus *tertio Kal. Junii &c.*

De conventu Vormatiensi, & Imperii divisione.

3. Quid autem, quave ratione Imperii divisio in conventu Vormatiensi peracta fuerit, his verbis narrat Nithardus, *Ludovicus Augustus ut pius ac clemens pater, & delicta postulanti indulsit, & gratiam roganti concessit* (Lothario scilicet filio) *eo pacto, ut deinceps nihil quolibet modo contra suam voluntatem, nec in Carolum, nec in Regnum alicubi egisset, ex die autem altera Concilium ineunt. Hinc pater, ut sui juraverant, perficere cupiens: Ecce fili, ut promiseram, Regnum omne coram te est, divide illud pro ut libuerit, quod si tu diviseris, partium electio Caroli erit, si autem nos illud diviserimus, similiter partium electio tua erit. Quod idem cum per triduum dividere vellet, sed minime posset, Josippum, atque Richardum ad patrem direxit, deprecans ut ille, & sui Regnum dividerent, partiumque electio sibi concederetur. Insuper vero in ea fide, quam illis jura-*

juraverant, testati sunt, quod pro nulla re alia, nisi sola ignorantia regionum, id peragere differret. Quamobrem pater, ut æquius valuit, Regnum omne absque Bajoaria cum suis divisit, & a Mosa partem Australem Lotharius cum suis elegit, quinimo & accepit. Occiduam vero, ut Carolo conferretur consensit, & una cum patre coram omni populo ita se velle annunciavit. Hinc autem pater fratres, prout valuit unanimes effecit. Lotharium scilicet, & Carolum, at Ludovicus filiorum alter, cui Bojariam tantum pater reliquerat, ex hac Imperii nova divisione exacerbatus adeo est, ut armata manu Alemanniam excurrerit, Neustriæ etiam populi pars maxima, ut Pippini filium paterno Regno exclusum viderunt, *tyrannidem exercebat*, ait idem Nithardus, sicque ex hac altera Imperii divisione, diffidia inter Ludovici filios excitata, nequaquam sopita sunt, quousque autem, vel quandiu perduraverint, infra dicturi sumus. Jesu Chr. an. 838.

4. Hoc tempore Fridericus Ultrajectensium Episcopus, cum in Frisia, finitimasque gentes evangelium prædicasset, martyr hoc anno occubuit. An ab Idololatris, quorum susceperat conversionem, vel ab sceleratis christianis, quorum vitia, apostolica libertate arguebat, occisus fuerit, in obscuro est. Auctor quidem vitæ ejus, Judithæ Imperatricis jussu, ab Sicariis eum in ecclesia percussum occubuisse narrat, eo quod incestas cum Ludovico nuptias contraxisset, cum consanguinea esset, *contra canonum decreta, & sine licentia summi Pontificis, & sine aliorum Pontificum decreto.* Quare cum excommunicationem ei Fridericus minaretur, immissis sicariis, eum e vivis abire coegit, cujus comperta cœde Episcopi Germaniæ, & Galliæ Ludovicum, & Juditham Imperio exturbare decreverunt, nisi Ludovicus cum Juditha juramento se ab ejus nece insontes, insciosque fuisse testati essent, ut apud Baronium ex vita ejus a Molano edita videre est. At hæc *vix ullam fidem merentur*, ait Mabillonius, quin conficta omnino a nugatore fuisse, addit Pagius nota quinta ad hunc annum, quæ etiam sibi suspecta fuisse indicat Baronius anno 838. num. 5. Fridericus Ultrajectensis Episc. martyr occubuit.

5. Ad annum labentem 838. Diaconi cujusdam Bodonis dicti apostasiam a christiana fide, ut Judæus fieret, narrat auctor chronici S. Galli his verbis. *Puoto*, sive Bodo ab aliis dictus, *Diaconus de Palatio lapsus est in Judaïsmum inter* Bodo Diaconus ad Judæos transit.

octa-

JESU CHR. AN. 838. *octavam & nonam horam in vigilia Ascensionis Domini* ejusdem Apostasiæ meminit Hermannus Contractus in chronico, & Annalista Bertinianus, *Bodo Diaconus Alemannica gente progenitus, & ab ipsis pene cunabulis in christiana religione Palatinis eruditionibus, divinis, humanisque litteris aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratia properandi licentiam ab Augustis popoſcerat, multisque donariis muneratus impetraverat, humani generis hoste pellectus, relicta Christianitate ad Judaismum se se convertit, & primum quidem consilio proditionis atque perditionis suæ cum Judæis inito, quos secum adduxerat Poganis vendendos callide machinari non timuit. Quibus distractis, uno tantummodo secum, qui nepos ejus ferebatur, retento, abnegata (quod lacbrymabiliter dicimus) Christi fide, se se Judæum professus est. Sicque circumcisus; capillisque ac barba crescentibus, & mutato, potiusque usurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cujusdam Judæi filiam matrimonio sibi copulavit, coacto memorato nepote suo similiter ad Judaismum translato. Tandemque cum Judæis miserrima cupiditate devinctus, Cæsaraugustam Urbem Hispaniæ mediante Augusto mense ingressus est. Quod quantum Augustis, cunctisque Christianæ fidei gratia redemptis luctuosum extiterit, difficultas qua Imperatori id facile credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicavit*. Eamdem Historiam memorat Rabanus contra Judæos scribens, ac Diaconum *Bodonam* appellat.

Mutasimus Romanos aggreditur, Amorium expugnat.

6. Ut cladem anno proximo ab Romanis acceptam, atque Zosopatræ patriæ ſuæ expugnationem direptionemque ulciſceretur Mutaſimus, Ameramus etiam dictus Seracenorum Calipha, ingenti collecto exercitu, adversus Romanos ducto, cum Amorium perveniſſet, in Phrygia urbem. *Applicatis ad eam catapultis, & balistis adorsus eam est, atque cœpit*, ait Elmacinus in hiſtoria Seracenica ad annum Hegiræ 223. Abulpharagius vero in hiſtoria Dynaſtatarum ad eumdem annum. *Mutasimus profectus in Græcorum regionem, Amoria capta, triginta hominum millia occidit, totidemque captivos cepit*. Amorii expugnationem, cladeſque ibidem ab Seracenis patratas fuſiori ſtilo narrat Porphyrogeneta lib. 3. num. 30., ac proditoris cujuſdam perfidiam, qui jactis inter miſſilia litteris Seracenos, qua parte urbe

poti

potiri poterant, admonuerat. Unde ibidem impetu facto ingressi sunt, trucidantes & vulnerantes, quotquot obviam habebant. *Illi tantum mortem effugere, qui Bagdat usque missi sunt, viri scilicet pro themata ac legiones proceres fortissimique, quibus etiam connumerati sunt quadraginta duo Martyres. Reliqui omnes hostili gladio perempti sunt. Nam nec secundis missis Legatis, qui ducentis centenariis eos, qui bello capti essent de exercitu ab hostibus essent redempturi, Barbari animum Theophilus ullatenus inflexit, nec modo alios, sed ne eos quidem qui se affinitate contingerent, illucque suppetias ab ipso missi essent. Verum ille immensum glorians, fastusque tumens ac superbiens, utrosque tam primos, quam secundos Legatos prolixe derisos, probrisque onustos ac confusos remisit*, inquit Porphyrogeneta, cui Simeon Logotheta, Cedrenus, aliique consentiunt. De martyribus Amoriensibus, seu de captivis Amorio factis, qui septennio post, pro Christi fide martyrio coronati sunt, infra anno 845. sermo fiet.

Jesu Chr. an. 839.

JESU CHRISTI AN. 839. GREGORII 4. PAPÆ AN. 3. LUDOVICI IMP. 26. THEOPHILI IMP. 1.

Ludovicus Imp. filii sui Ludovici conatus reprimit.

. 1. Imperii divisionem inter fratres suos Lotharium, & Carolum ab Ludovico Augusto peractam anno proximo, ægre tulisse Ludovicum Bojariæ Regem, ibidem diximus, qui hoc anno rem armis vindicare agressus, Rheno trajecto, rhenanas provincias Imperio suo subjicere conatus est. Quo nuncio accepto Ludovicus Augustus, qui Aquis Natale Domini celebrato, ibidem quoque *Paschæ solemnitatem celeberrime egit*, ait auctor vitæ Ludovici. *Qua peracta nequaquam procrastinandum in talibus ratus, cum multis viribus Rhenum quidem apud Moguntiacum transiit, & Triburas venit, ibique aliquandiu ad colligendum exercitum consedit. Quo coacto, usque Bedonniam perrexit, ibique filius, quamquam invitus, supplex venit & increpatus ab eo, male se egisse confessus, emendaturumque se perperam gesta professus est. At Imperator consueta, & sibi semper amica utens mansuetudine, & filio indulsit, e eum verbis primum, ut dignum fuit, paulutum increpavit, post autem lenioribus demul-*

JESU CHR. AN. 839. *multum in regno reliquit*, ac Pictavis Natalem Domini Ludovicum Aug. celebrasse subdit.

Ludovicus Aug. Aquitaniæ tumultus comprimit.

2. Alemanniæ tumultibus vix compressis, ad Aquitanicos se convertere coactus est Ludovicus Aug., nam cum Pippini demortui Regnum, prætermissis filiis ejus Pippino secundo, & Carolo, filiorum suorum ultimo, seu Carolo adsignasset, pars eorum, qui Pippini Regno subdebantur. *Arrepto filio ejus Pippino, quia natu maximus erat, tirannidem exercebat*, seu Carolo, cui Regnum Ludovicus tradiderat, subesse recusabant. Quapropter in eos quoque expeditionem Ludovicus hoc anno suscepit. Et *Collecta manu valida* ait Nithardus lib. 1. *per Cavillonem, Clarummontem una cum Carolo, ac matre, pater petit, ac partem populi, qui illum præstolabantur, inibi benigne recepit. Et quoniam olim Regnum Aquitaniæ Carolo donaverat, ut illi se commendarent, hortando suasit, jussit. Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmaverunt &c.* His autem, aliisque gestis, & præcipue immoderata in Carolum filiorum minimo liberalitate, domestica dissidia auxit. Unde eo vix e vivis sublato, civile inter fratres bellum, majori quam antea furore exarsit, ut infra dicturi sumus.

Theophili Imp. legatio ad Ludovicum Imp.

3. *Quam Theophilus Imp. ab Agarenis* seu Seracenis, *cladem, probrumque acceperat*, ait Porphyrogeneta, *animo non ferens Theodosium Patricium, cui Babutzicus nomen erat* ad Regem Franciæ mittit, *fortes inde auxiliarios, ac numerosas copias ad se mitti petens*. Ac legationem perhumaniter ab Ludovico acceptam, auxiliaque prommissa fuisse subdit, quominus autem legatio exitum sortiretur, tum Theodosii legati obitus, in Galliis, cum Ludovici, qui anno proximo vivere desiit in causa fuit. *Nam tum illius mors*, idest Theodosii, *in causa fuit, ne Francorum auxilia in urbem regiam venirent, tum disentariæ invalescens morbus Imperatori mortem attulit*. De eadem legatione post Græcum auctorem audiatur etiam latinus scriptor, seu Annalista Bertinianus dum ait. *Venerunt legati Græcorum a Theophilo Imp. directi, Theodosius videlicet Chalcedonensis Metropolitanus Episcopus, & Theophonius Spatharius ferentes cum donis Imperatore dignis epistolam, quos Imperator quintodecimo Kal. Junii in Ingulhemein honorifice suscepit. Quorum legatio super confirmatione pacti & pacis, atque perpetuæ inter utrum-*

utrumque Imperium, eique subditos amicitiæ & caritatis agebat, nec non de victoriis, quas adversus exteras gentes bellando fuerat cœlitus assecutus gratificatio, & in Deum exultatio ferebatur &c. Hæc, & alia ibidem, quibus labentem claudimus annum. Jesu Chr. An. 840.

JESU CHRISTI an. 840. Gregorii Papæ 4. an. 14.
Lotharii Imp. an. 1. Theophili Imp. 12.

1. Hoc labente Christi anno quadragesimo supra octingentesimum, Ludovicus Imp. Pictavis Natalem Domini celebravit, ac inde Aquisgranum rigente hyeme transgressus, obviam Ludovico filio factus est, quem terga vertere compulit, postquam autem Paschalem ibi solemnitatem devotissime celebrasset, non tam annis gravis, quam mœrore confectus, & laboribus fessus, in morbum incidit, quo urgente, die duodecima Kal. Julii obiit, ut pluribus narrant tum vitæ ejus auctor, cum Nithardus, & alii. Ægrotans in quamdam Rheni insulam prope Ilgeshemium delatus, quotidiana peccatorum confessione expiatus, vix alio cibo per dies quadraginta, quam prætioso Christi corpore usus est, ac gratias Deo reddens ajebat. *Quia quadragesimæ tempus non jejunans exegi, saltem coactus idem jejunium tibi exsolvam*: Ægrotanti, & morienti Ludovico assiduus erat Drogo Metensis Episcopus ejus frater, qui veritus ne quid iræ, aut vindictæ in Ludovicum filium toties rebellem animo gereret, eum hac de re interrogavit. Is vero secum cogitans, collectis viribus, quanta, & qualia ille contra ipsum egisset, commemoravit. *Sed quia ipse*, inquit, *ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus, & Deo, omnia quæ in me peccavit illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, ut ab erratis tandem resipiscat.* His dictis, præcepit, ut vigiliæ nocturnæ (vespera sabbati erat) coram se recitarentur, tum ut ligno sanctæ crucis pectus suum muniretur, quod signum ille propria manu, fronti, & pectori sæpissime imprimebat, aut per alios imprimi curabat. Die Dominica, missam a Drogone celebrari, sibique communionem sacram præberi voluit. Morti proximus, se a Drogone, aliisque Sacerdotibus adstantibus benedici petiit, solitisque ecclesiæ precibus animam suam Deo commendari,

Ludovici Imp. obitus.

Jesu Chr. An. 840.

dari. Tum, erectis sursum oculis, e vita migravit XII. Kalendas Julii, anno ætatis sexagesimoquarto, vir inter maximos principes tum pietate, tum rebus fortiter gestis habendus, nisi nimia ejus in secundam uxorem, & Carolum filium indulgentia, crebris, & funestis filiorum seditionibus, quæ extremam ejus ætatem conturbarunt, occasionem ac materiam dedisset. Corpus ejus in Urbem Mediomatricum, uti vivens præceperat, deportatum, in extramurana sancti Arnulphi basilica, ubi & mater ejus Hildegardis jacebat, Drogone Episcopo funus curante, conditum est, inde in altera ejusdem sancti basilica intra muros posita, translatum fuit, cujus monumentum ex antiquo sarchofago, ære incisum exhibet Mabillonius, inscriptionem vero sepulchro ejus positam refert Baronius, aliique passim. Quis autem Ludovicus fuerit; gesta ejus ab auctore coevo Astronomo dicto, Nithardo, aliisque conscripta, ac hactenus a nobis exposita testantur, ut merito sicuti pater ejus Carolus ob res præclare gestas Magnus dici meruit, ita Ludovicus ob insignem erga Deum pietatem, in ecclesiam obsequium, in reliquos clementiam, liberalitatem, ceterasque animi dotes pius dici meruit, magnus etiam dicendus, nisi domestica. diffidia, imbecilliori animo eum fuisse, demonstrassent.

Lotharius Imper. patri succedit.

2. Lotharium filiorum maximum ex Italia Ludovicus ægrotans ad conventum quod Vormatiæ indixerat, ad se vocaverat. At is ut patrem obiisse accepit, in Gallias transiit, integrum si licuisset Imperium occupaturus, ac fidem patri non semel juratam contemnens, fratres suos Ludovicum scilicet, & Carolum paterno Regno ejicere conatus est. Unde diuturnum atroxque inter fratres bellum exortum est, interea cum Lothario armis instructus occurisset Carolus, usque ad conventum Atteniacum octavo idus Majas anno proximo celebrandum paternum Imperium partiti sunt, ut Aquitania, Septimania, & decem Comitatus inter Ligerim, & Sequanam Carolo cederent, reliquas Imperii partes Lotharius, Ludovico fratre, & Pippino nepote spreto retinuit. Atque ab hoc anno primum Imperii sui annum auspicatus est Lotharius, etsi jam antea, utpote Imperio a patre sociatus eam dignitatem, nomine saltem, obtinuisset, hinc duas, imposterum suis in diplomatibus notas posuit, quarum prima, annorum notas ab anno labenti initium ducit, altera ab anno 820.

cum

cum Longobardiæ seu Italiæ Rex dictus fuerat, atque hæc annis viginti alteram excedit, sed hæc de gestis hoc anno in Galliis satis sint, plura dabit Pagius ex Nithardo, qui res ab Lothario gestas hoc anno singulatim enarrat, ac jussu Caroli Calvi historiam hujus anni, & duorum sequentium conscripsit.

Ebbo Rhemensis suæ sedi restituitur.

3. Inter prima Lotharii gesta, cum paternum obtinuit Imperium, Ebbonis restitutio in Rhemensem sedem recensetur, cum etenim, ut supra diximus, sua sede dejectus, in monasterium relegatus fuisset, eo quod Lotharianæ rebellionis non solum particeps, sed etiam incentor fuisset, Lotharius ut ei gratificaretur, paternum vix adeptus Imperium, suæ sedi restituit, cujus extat edictum ea de causa vulgatum, cui Episcoporum plurimi, primarum etiam sedium numero viginti circiter, subscripserunt, confirmaruntque, quorum plurimi, in ejusdem condemnatione, Ludovico imperante consenserant, Lothariani edicti exemplar, cum Episcoporum subscriptionibus refert Flodoardus lib. 2. cap. 20. *Actum in Engilhenseim Palatio publico, in mense Junio, octavo Kal. Julii, regnante & imperante domino Lothario Cæsare anno reversionis ejus primo successor factus Patri in Francia indictione tertia*. Idest hoc anno, paulo post tamen ubi mutatæ sunt vices, ac apud Carolum victoria stetit; idem Ebbo vix post annum Rhemensi iterum sede relicta, ad Lotharium confugere coactus fuit, in quam redire ultra ei facultas facta non est, etsi pro se ipso Apologiam scripserit, atque sub Sergio Papa ad Romanum Pontificem appellaverit, de quibus infra redibit sermo.

Agobardi Lugdun. Episcopi obitus, & opera.

4. Agobardi Lugdunensis Episcopi obitus eodem anno contigit, quo Ludovicus obiit. Unde in antiquissimo Bedæ Codice de sex ætatibus Mundi hæc leguntur. *Anno* 840. *Sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Episcopus obiit, octavo idus Junii. Ludovicus quoque Imp. defunctus est* 12. *Kal. Julii &c.*, eademque de anno, & die obitus Agobardi adnotat auctor Chronici Sancti Benigni, qua die in Lugdunensi martyrologio ejusdem memoria recolitur, ac inter sanctos, solemni etiam officio recensetur, vir sane tum rebus gestis, cum doctrina præclarus, nisi eum Lotharii factio, cui plus æquo favit, fœdasset, ut non semel supra adnotavimus. Hanc tamen labem pœnitentia ante obitum diluis-

Jesu Chr. an. 840. se dubitari vix potest. Cum iterum in Ludovici gratiam receptus, Lugdunensem sedem recepit. Successorem in ea ecclesia Amolonem habuit, anno sequenti, ut iidem chronographi his verbis tradunt. *Amolo præfati Episcopi Diaconus ordinatur Episcopus Lugdunensis 17. Kal. Februarii*, cujus infra sermo redibit. Agobardi opera bibliothecæ Patrum inserta, post Papirium Massonum duobus voluminibus emendatiora Baluzius edidit, quorum primo præter opusculum adversus Felicem Urgellitanum Episcopum, ejusque hæresim, quatuor alia adversus Judæos scripta continentur, post hæc sequitur insignis de privilegiis, & vita Sacrdotum tractatus, deinde opusculo altero credulam, seu potius superstitiosam plebem edocet, ne tam facile sortilegiis tribueret, quæcumque insolita, aut mira eveniebant. Adversus Fredegisum S. Martini prope Turonos Abbatem insequens liber scriptus est, cum enim nonnulla in Agobardi scriptis redarguisset, hic apologiam edidit, ac adversarium erroris arguit. *Quod si ita sentitis*, ait, *quanta absurditus sequetur, quis dinumerare poterit &c.* Dum scilicet non solum sententias, sed singula verba divinis scriptoribus, inspirata fuisse Fredegisus scripserat, sequitur hæc epistola ad Hilduinum Palatii Archicapellanum, qua rogat, ut lex Judæorum gratia edita, qua vetabatur, ne inconsultis Dominis ipsorum mancipia baptizarentur, revocaretur, huic tres epistolæ succedunt quarum præcipua clero suo data, *de modo regiminis ecclesiastici* inscribitur ipsoque titulo, quid continet, satis edocet. De imaginum cultu & veneratione liber singularis adjungitur, quo disputationis æstu abreptus Agobardus limites excessisse videtur, dum eas satius abjicere, docet, quam superstitioso cultu prosequi, uti in Oriente fieri Michael, & Theophilus Imperatores ad Ludovicum scripserant. Deinde de recta bonorum ecclesiæ administratione tractatus sequitur, quo malam ecclesiasticorum administrationem, & sacrilegam laicorum usurpationem egregie confutat. Vulgares quoque probationes, quæ judicia etiam Dei dicebantur, stilo suo insectatur Agobardus, ac singularia præsertim certamina ad innocentiam, vel veritatem vindicandam adhibita, sicuti & ceteras probationes, quæ vel per ignitum ferrum, vel per immersionem in aquas vel callidas, vel rigentes, aut per ignem fiebant, easque superstitionem sapere

pere diserte probat. Voluminis secundi primus tractatus *de fidei veritate & totius boni institutione* inscribitur, populumque sibi creditum, quid credere, vel agere deberet, edocet, quinque deinde opuscula sequuntur, ab eo edita, ut Lotharii adversus patrem rebellionem tueretur, quibus nomini suo labem aspersit, post hæc habetur tractatus, de spe, & timore ad Ebbonem Rhemensem Episcopum inscriptus, ac tandem de divina psalmodia, deque divinis officiis, adversus Amalarium Metensem Presbyterum, uti jam supra alias adnotavimus. Sed de his hactenus, de quibus, ut Caveum, Odinum, Dupinium, Cellierium prætereamus, plura dabunt eruditi auctores historiæ litterariæ Gallorum.

Jesu Chr. an. 840.

5. Ad hæc tempora, seu anno tertio Prefecturæ Bassacii Abbatis Cassinensis, quem anno 827. Ausperto successisse narrat Leo Ostiensis, corpus S. Bartholomæi Apostoli ex Liparitana insula Beneventum translatum fuisse idem auctor adnotat. Cum enim Saraceni ex Sicilia utrumque mare excurrentes in Liparam insulam descendissent eaque direpta, reliquias S. Bartholomei, quæ ibidem hac tenus reconditæ fuerant, hac illaque dispersisent revelante Apostolo, a monaco quodam collectæ, hoc, vel anno proximo, ut ait Pagius, Beneventum translatæ sunt, unde postea, ut in Romano breviario legitur, Romam delatæ, ibidem summa cum veneratione exceptæ in ecclesia in Tiberis insula posita reconditæ fuerant; de earumdem autem translatione ex India, ubi S. Apostolus martyr occubuit, in Liparitanam insulam, diversorum varia est narratio, ait Baronius ad hunc annum.

Corpus S. Bartholomæi ex Lipari Beneventum transfertur.

6. Florebat hoc tempore Kenetus in Scotia Rex, cujus Regni limites erant, ait Auctor anonimus & cœvus, *Post Pictos deletos Norbumbria & Hista; ea est ultima Hebridum insularum, Hibernicus hinc Oceanus, est illinc Germanicus*, atque usque ad annum 855. Regnum tenuit, successorumque in Regno habuit Donaldum germanum fratrem, ingenio a fratre omnino diversum, ait idem auctor; his addit Kenetum Episcopalem Scotorum sedem ex Abbernethi oppido ferro, igneque vastato, ad Templum Reguli transtulisse, atque exinde huic oppido S. Andreæ nomen inditum fuisse; quod adhuc retinet; *Eosque qui illuc per pluscula inde tempora sacrum gessere magistratum, maximos Scotorum Epi-*

Kenetus Scotorum Rex floret, ejus præclara gesta.

JESU CHR. AN. 840.

Episcopos appellarunt, cum toti Insulæ tamquam Metropolitani preessent; quos etiam tanta morum innocentia, vitæque sanctitate floruisse ait, ut *Sex supra triginta Antistites, & eorum complures inter divos relatos illic sedisse perhibeant*. Usque ad Malchomii tertii tempora, quo hæc is auctor scribebat; ...

Keneti leges pro Dei cultu, & ecclesiæ juribus vindicandis.

7. Keneti etiam pietatem commendant leges ab eo vulgatæ tum pro recta Reipublicæ administratione, cum pro cultu Dei, ecclesiæque juribus vindicandis, quas idem auctor collegit; quarum civiles & populares in capita 28., ceteras religiosas appellatas in octo distinxit. Has autem exponere jurisperiti leges in singulis provinciis jubentur, ac gravioribus pœnis, quicumque in Rempublicam, in Deum, vel ecclesiam peccaverint, subiiciuntur, etenim in Deum in Sanctos, in Regem blasphemi, linguæ abscissione puniuntur, virginis raptores, corruptoresque extremo supplicio damnantur. Eodemque supplicio subiiciuntur, qui adulterium perpetraverint: Filii in patrem contumeliosi, igne damnantur, deinde, ut Ecclesiis, Sacerdotibus honor deferatur, ut dies festi, jejunia, vigiliæ servarentur & ne loca sacra, & cœmeteria ullo modo violentur cautum est, qua vero ratione insignes viri, & de Republica benemeriti ad ecclesiam pro sepultura deferrendi essent his verbis injungitur. *Duo his adhibito equestres; Alterum vita functi arma indutum ferentem insigne candido equo; alterum pulla veste, velata facie, equo nigro insidentem*. Hic autem cum ad ecclesiam pervenisset; Domini morte clara voce nunciata, cum equo ad sua redibat; Alter vero depositis ad altare armis, equum album Sacerdoti offerebat unde factum est, ut usque nunc alicubi ad funus magnatorum, eorum præcipue qui castra sequuntur equus ad funus ducatur. At is auctor adnotat eum ritum jamdiu in Scotia, ut parum religiosum *Posteriore ætate aboletum*; *Sacerdoti equi, armorumque loco quinque Sterlingicis libris in oblationem tributis*, Atque de his, & de hujus anni gestis, hæc satis sint.

JESU

JESU CHRISTI AN. 841. GREGORII 4. PAPÆ AN. 15. LOTHARII IMP. 2. THEOPHILI IMP. 13.

Bellum civile inter Ludovici filios.

1. Ad conventum Attiniaco hoc anno celebrandum diffidia de paterni Regni divisione exorta remisisse Lotharium, & Carolum anno proximo diximus; at Lotharius insatiabili ambitione exæstuans, de ineunda concordia cum fratribus, etsi repetitis legationibus rogatus, agere nullatenus voluit, unde atrox civile bellum inter fratres exarsit; quo Ludovicus, & Carolus junctis armis adversus Lotharium septimo Kal. Julii acriter pugnarunt, victoresque fuerunt, ut pluribus narrat Nithardus coævus, & ocularis testis; quo in prælio, cum utraque pars fortiter pugnaverit, nonnisi cruenta victoria Ludovico, & Carolo cessit; Ita ut Bertiniano annalista teste. *Ita Francorum vires attenuatæ sunt, ac famosa virtus infirmata, ut non modo ad amplificandos Regni terminos, verum etiam nec ad tuendos proprios imposterum sufficerent: &c.* quod eriam ex dicendis infra constabit. Lotharius interea, ut bellum instauraret, facinus sane, sua stirpe, ac Caroli M. nepoti, vel Ludovici pii filii indignum, excogitavit, dum Saxonibus, ut ad Idola redirent, potestatem tribuit. *Lotharius terga vertens*, ait Annalista Metensis; *& Aquisgrani perveniens, Saxones ceterosque confines restaurandi prelii gratia sibi conciliare studet, in tantum, ut saxonibus, qui sterlingæ appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cujuscumque legis, vel antiquorum Saxonum consuetudinis, utram earum mallent, concesserit. Qui semper ad mala proclives magis ritum paganorum imitari, quam Christianæ Fidei sacramenta tenere delegerunt.* Arioldum quoque Danorum Regem, a fide christiana Apostatam, & christiani nominis infensissimum hostem in societatem suam adscivit; ait idem auctor. *Dignum sane omni detestatione facinus, ut qui mala Christianis intulerant, idem christianorum terris, & populis, Christique ecclesiis præferrerentur, ut persecutores fidei christianæ domini christianorum existerent, & Dæmonum cultibus christiani populi deservirent*; dum iis loca christianis referta, ad habitandum Ludovicus dedit, & Arioldo concessit;

2. At

JESU CHR. AN. 841. Ludovici & Caroli pietas commendatur.

2. At diversa omnino Lodovici, & Caroli fratrum agendi ratio fuit; nam inter arma, & victorias, pietatis omnino officia non prætererunt; Ut enim Nithardus adnotat; post hostium fugam, suos continuerunt, ne fugitivos persequendo, major Trantici exercitus strages ederetur; *& Missa, dominica die peracta amicos & inimicos, fideles, & infideles pariter sepulturæ tradebant. Plaga correptos, & semivivos eodem modo pro viribus ex animo refovebant; Post hos qui fuga evaserant, miserunt, offerentes, si revera sana fide vellent, omnia delicta remitti &c.* ideft in fidem; & amicitiam receperunt. Insuper Episcopos, quos Francorum Reges ad prælia secum ducere solebant, in unum collectos, quid pro diluendis culpis in tanta suorum strage commissis, agere deberent, interrogarunt; quorum cum una sententia fuerit, necessitate coactos, ad hæc eos devenisse, id tantum ab Episcopis suggestum est; *Ut quicumque conscius sibi, aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certo quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset vere confessus secrete, secreti delicti, & secundum modum culpæ dijudicaretur. &c.* Hæc & alia de gestis post prælium ab Ludovico, & Carolo Regibus, eorumque militibus.

Gregorii Papæ epist. ad Episcopos Galliæ.

3. Inter bellicos Galliarum tumultus, Sanctus Aldericus Cenomanensis Episcopus, qui Ludovico Imperatori illibatam hactenus servaverat fidem; cum ei Lotharius successisset, sua sede exulare ab Lotharianæ partis factiosis, coactus est ad Carolum, cui ob fidem patri servatam acceptus erat confugit, quæ ut Gregorius Papa cognovit, ad Galliæ, & Germaniæ Episcopos litteras dedit; quibus ut idem Pontifex, ait pro Apostolico munere, omniumque ecclesiarum sollicitudine, iis jussit, ut Aldrici causam judicare nemo præsumeret; eo quod post Primatis sui sententiam ad Apostolicam sedem appellaverat *Qua propter* ait Gregorius Papa; *has ad vos litteras destinamus, quibus decreto nostro, vestram rogantes charitatem mandamus, ut si aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum, Aldricum Cenomanicæ Ecclesiæ Episcopum accusare damnabiliter attentaverit, ut honoretur beati Petri Apostolorum principis memoria, Ecclesiæque Romanæ, cui præsedit privilegium, & nostri nominis authoritas: liceat ei post aditionem primatus diœceseos, si ne-*

neceesse fuerit appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut Legatos nostros e latere missos, juxta patrum decreta, suas exercere, atque finire actiones, nullusque illum ante hac judicet, aut judicare præsumat. Sed si (quod absit) grave, intolerandumque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, ejusque implorat auxilium, decernat, quam ab ejus Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate; quia sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

An epistola Gregorio sit inscribenda.

4. Hæc, & alia ibidem fusiori stilo exposita; unde post plurima iterum *Maneat itaque memoratus Aldricus hac Apostolica auctoritate usque ad præsentiam sedis Apostolicæ semper Episcopus, nec antequam huc veniat, talium, aut aliorum verbis intendat nocivis, neque eorum succumbat judicio, aut ullam sævam suscipiat sententiam &c.* cetera, quæ in eamdem sententiam Gregorius addidit, brevitatis studio præterimus. Hoc unum addimus, eamdem epistolam Cointius, aliique ut suppostitiam habent, passim tamen a viris doctis, uti genuinam recipi Pagius adnotat, cum nihil, ut id probetur, in medium adducatur: styli nihilominus prolixitas, incomptaque repetitio privilegiorum Romanæ ecclesiæ, quibus tota excurrit epistola, suspicionem ingerere potest, ut legenti patebit. Ceterum Aldricum Gregorio Pontifici in maxima æstimatione fuisse, eique acceptissimum, narrat auctor gestorum ejus his verbis. *Præfatus Aldricus Episcopus tantæ fuit dignitatis, & honoris amorisque, ut usque ad Romanam sedem ejus rumor pervenerit, eique domnus Gregorius Romanæ sedis ecclesiæ venerabilis Apostolicus, Roma in pago Cenomanico suum vestimentum Sacerdotale miserit, illud scilicet vestimentum, quo in Pascha indutus fuerat. Misit etiam ei baculum pastorale, quod ferula nuncupatur, una cum sua epistola, vocans eum, ut, si possibile foret, usque ad eum perveniret, eique concessit ut qualemcumque petitionem, & benedictionem a sede S. Petri accipere vellet, aut per se ipsum, aut per suum missum ei voluntario & libenti animo mitteret, atque concederet &c.* Hinc non mirum, ut cum eum sua sede pulsum, vexatumque ab Episcopis Lotharianæ factionis accepisset ejusdem patrocinium susceperit, ac ut ejusdem judicium ad Ro-

Jesu Chr. an. 841. Romanam sedem refervaretur juffiffet, quem in fuam fedem paulo poft, ideft anno fequenti, rediffe, atque ad annum ufque 856. Cenomanicæ ecclefiæ præfuiffe fcimus, de quo iterum fermo redibit.

Aldricus Senonenfis Epifcopus obiit.

5. Interea Cenomanenfi Epifcopo Aldrico, alterum Aldricum Senonenfem Episcopum, pietate, & eruditione equalem addimus. Is porro ex monacho, & abbate Ferrarienfi Senonenfis Archiepifcopus ordinatus anno 829. multis pro ecclefia fibi commiffa, preclare geftis Ludovico Imperatori cariffimus æque ac fidiffimus fuit. Unde poft ejus obitum, cum Imperii, & ecclefiæ res undequaque turbatas videret, relicta fede in monafterium redire cogitaverat. Dumque hæc meditaretur, e vivis hoc anno ereptus eft, ut Pagius probat, cujus obitum, Cointius, & auctores hiftoriæ Galliæ ad annum 836. alligarunt; de obitu ejus hæc narrat Lupus Ferrarienfis abbas, Aldrici difcipulus in epiftola ad Venilonem Aldrici in Senonenfi fede fucceforem. *Deceffor vefter beatæ memoriæ Aldricus, qui prefati Cæfaris*, ideft Ludovici pii, *juffu, & mirabili bonorum adnifu nobis cum effet Abbas, ablatus, & ecclefiæ Senonicæ Pontifex factus eft, ad nos immutabiliter pofuerat regredi, Epifcopali cura omiffa, quando hanc vitam, ut credimus, feliciore mutavit*, auctor vero vitæ ejus apud Mabillonium Seculo quarto Benedictino infertæ, ait *Sexto idus octobris feliciter migravit ad dominum*, de quibus plura adnotat Pagius nota 11. & 12. ad hunc annum.

Gregorius Papa pacis fequefter inter Lotharium, & fratres ejus.

6. Nec filentio prætereunda eft Gregorii Pontificis follicitudo in reftauranda, fi fieri potuiffet, concordia inter diffidentes Ludovici pii filios, Lotharium fcilicet, & fratres ejus Ludovicum, & Carolum, ob quam caufam legatos ab eo in Gallias miffos fuifse, paucis his verbis indicat Annalifta Metenfis. *In quo prælio*, ab Lothario cum fratribus inito. *Georgius Ravennatis Epifcopus, a Gregorio Romano Pontifice ad Lotharium, fratrefque ejus pacis gratia directus, fed a Lothario detentus, neque ad fratres venire permifsus*, fruftraneam quidem Gregorii legationem fuiffe, exitus demonftravit, Gregorii Papæ legatos tres fuiffe præter Georgium Ravennatem Epifcopum Agnellus in vita Georgii narrat, quorum nihilhominus nomina, & dignitatem ignoramus, quos post Lotharii cladem Antiffiodorum fugisse

se addit his verbis. *Legati vero Romani Episcopi, qui fuerunt tres, fuga arrepta, iverunt in civitatem Antisiodorum.*

7. Georgium tamen Ravennatensium episcopum, cum legatis quidem Gregorii Papæ in Gallias transisse, idem Agnellus narrat; cum id ab Lothario Imperatore impetrasset, non tamen a Gregorio missum, neque ex ejusdem consensu, sed potius, ut ait, *Et ivit cum maledictione Apostolica*, cujus perversum ingenium his verbis idem auctor describit. Hic Georgius juvenis ætate ab Gregorio quarto *Romæ* Episcopus *consecratus fuit, sed postquam sacramentum a corpore B. Petri præbuit, egressus Roma, statim contrarius ordinatori suo extitit*, & administratione Ravennatensis ecclesiæ suscepta, ut Lotharium Italiæ tunc Regem sibi promereretur, benevolumque redderet, Papiam ivit, ut ejus filiam Bolthrudem e sacro fonte susciperet, anno circiter 830., ob eamque causam, ut impensas faceret, donaque regio nomine digna pararet, *Omnes Gazas ecclesiæ confregit, & scryptas disrupit, & thesauros prædecessorum Pontificum extraxit*. His autem gestis, cum accepisset ab Gregorio Pontifice legatos in Gallias mitti ut inter fratres concordiam inirent, ut iis sociaretur ab Lothario Imp. facultatem obtinuit, non quidem, ut pacis inter eum, & fratres ejus sequester esset, sed ut schisma ab Episcopis aliquot jamdiu excitatum, & sopitum instauraret, & Lotharii Imperatoris protectione munitus, ab Romanæ ecclesiæ obedientia se subtraheret, Unde *his gestis*, ait Agnellus ibidem, *sensit Georgius Archiepiscopus, quod legati sedis Apostolicæ Franciam ire deberent, ad impetrandam inter fratres pacem, misit missos suos ad Lotharium Augustum, ut peteret ad Gregorium Papam quatenus ipse cum Legatis Romanis Franciam pergeret. Factumque est ita, & ivit cum maledictione Apostolica. Et putans se ipse Georgius vicem Apostolicam tenere, ivit cum equis tercentum, qui diversa portabant onera, & sumpsit secum aurum multum & argentum, depopulata Gaza Ecclesiæ, & coronas aureas, quas B. Petrus antistes fecit, & calices, & patenas aureas, & diversa vascula argentea, & aurea, & gemmas de Cruce, & coronis quas demolivit, secum detulit, ut ad omnes larga manu largiretur. Cogitansque quod per eam posset subvertere Imperatoris corda, ut exiret de sub potesta-*

JESU CHR. AN. 841.

Georgii Ravennatis Episc. iter in Gallias, & infaustus exitus.

Jesu Chr. an. 841. *te Romani Pontificis, & privilegia; quæ Maurus, & ceteri Pontifices Ravenniani meruerunt a sacris Principibus omnia deportabat. Et pervenit cum Legatis Romanis usque ad Imperatorem, & invenerunt eum in Campo prælii in loco, qui dicitur Fontaneam, contra Carolum dimicantem &c.*

Georgius temeritatis suæ dat pœnas.

8. De prœlio autem inter fratres inito non nulla addit, in quo cum victoria Carolo cessisset, Georgius in victoris manus incidit, meritasque pro temeritate sua pœnas dedit: Nam subdit auctor. *Captus est ibi Georgius Archiepiscopus, deposueruntque eum de equo invite, & abstulerunt pluviale, quo erat coopertus, & compellebant eum ire hostes sui ante equum suum, quasi unum ex pecudibus, & cum non valebat gressu pedum incedere, percutiebant eum lancea, &c.* sicque inter ludibria, verbera, & irrisiones ad victorem Carolum duxerunt, quem triduo detineri Rex jussit; cum interea, *Sacerdotes ejus omnes dispersi sunt, & opes ecclesiæ distractæ sunt per manus prædantium.*

Georgius Ravenn. Episc. cum suis dimittitur.

9. Tunc vero Carolus misericordia motus, Sacerdotes omnes, & clericos ecclesiæ Ravennatis, incolumes dimitti jussit, quibus etiam Judith Augusta Caroli mater, Tribillum argenteum dedit, dicens. *Tollite hunc ferculum, refocillate penuriam vestram*, Georgium vero, utpote pessimi ingenii virum Carolus, & Ludovicus fratres, *Voluerunt eum in irrevocabile exilium mittere*. At ut in suam ecclesiam redire posset, precibus ab Carolo tum Juditha Augusta, cum Ravennates Sacerdotes obtinuerunt; quem ideo ad se vocatum Carolus, aspera oratione objurgatum dimisit, inter cetera. *O tu pastor inquit, si juste istud permanet nomen, cur reliquisti ecclesiam tibi commissam, & plebem tuam afflixisti, non recuperasti? si pro longinquo itinere, ut videres prælium, venisti, quid necesse fuit tuam depopulare ecclesiam, & quod a christianis Principibus, & Imperatoribus illatum fuit, & a suis prædecessoribus adquisitum, una amisisti hora? etiam si si centum vivas annos, non recuperabis, &c* quod eique exprobrans, cum fratre suo Lothario societatem iniisset, victoriamque prædixisset ac Carolum vinctum Ravennam perducturum promisisset, *dic modo*, reposuit Carolus, *fronte duelli, nonne externa cum esses die, in tua dicebas tentoria, quia cum vinctus fuerit Carolus, & innodatus loris brachia, post exutas palmas*, seu regali exutus ve-

veste, *ego eum clericabo*, seu ordinabo, *& ad meam deportabo parochiam*, *&c.* eaque etiam occasione ecclesiæ suæ ab Principibus concessa privilegia apud eum inventa, quibus schisma confirmare cogitaverat, *In loto projecta sunt & ab hastis, lancea comminuta*, ait idem auctor, sic que nudus, & pauper, cum Sacerdotibus, & Clericis suis Italicum iter ingressus est. Ut qui loricati cum tercentis equis, multaque suppelectile, & divitiis in Gallias transierant, *Postea pedestres effecti sunt, & velut peregrini, omnes eleemosinas petebant per vias*, hæc, & alia ibidem de infelici Georgii in Gallias peregrinatione Agnellus, de quibus ne verbum occurrit apud Baronium, vel Pagium. Hæc etiam in Ravennatensis ecclesiæ historia ex Agnello enarrans Hieronymus Derubeis, *Homini in Galliam profectionem paranti, idest Georgio*, ait Derubeis *facile injunxit Gregorius, ut suo nomine pacificator inter fratres dimicantes constituretur*, quo cum pervenisset, post prælium quo Carolus victor rediit, eum sancte diligenterque pacificatoris munus obiisse addit, ac inter fratres pacem conciliasse, quæ sane, qua ratione, cum Agnelli historia conciliari possint, nescimus, ut cuique legenti manifestum est.

Orientalis Imperi clades & calamitates.

10. De gestis autem in Oriente, hoc unum adnotare sat erit, quod cum variis cladibus toto tempore, quo Theophilus imperavit, Imperium afflictum fuerit, gravioribus adhuc, ultimis ejusdem vitæ annis attritum fuit, ut his verbis narrat Porphyrogeneta. *Circa idem tempus Cretenses*, seu Seraceni Cretam incolentes, *plena educta classe. Thraciæ maritima populari, prædasque agere, ac captivos abigere. Eo usque autem processit illorum insolentia, ac bellicus furor, ut non solum maritimam deprædari conarentur, sed & in eos, qui montem sic dictum, Latrus habitant, ac vitam monasticam agunt, strictis gladiis irruerent, eorumque omnem supellectilem, ellysorum (quod) ajunt prædam facerent. Constantinus tamen Contomites ejus tunc Provinciæ Præfectus, quod relictis navibus longius in terram excurrerant, velut Delphinos in continenti deprehensos jugulavit, cunctosque strenua manu internecioni dedit. Eodem quoque Theophilo Imperatore, mense Octobri, Indict.* VII. *Romanorum Classis in Thasso insula, navali prælio expugnata, tota penitus periit, deincepsque Cyclades insulas, quin & alias omnes*

Jesu Chr. an. 841.

omnes diripiendi ac populandi Ismaelitarum Classis atque exercitus nullum finem fecit. Iterum quoque Theophobus, & Augustæ frater Bardas cum exercitu in Abasgam missi, infaustis adeo ominibus gesserunt, ut pauci admodum ex illa expeditione reduces fuerint: Sed & nimii æstus, ac rursus exuberantes hac aeris inæqualitas pluviæ, intemperiesque terram, ac colonos lædebant, indeque rerum penuria, ac fames. Vix quoque vel unum diem, quandiu ille rerum potitus est, terræmotibus quasi destitit, sic quippe Orientales a Deo flagellabantur, ut ad saniora consilia, si fieri potuisset, revocarentur.

JESU CHRISTI an. 842. Gregorii 4. Papæ an. 16. Lothari Imp. 3. Michaelis Imp. 1.

Diffidentium fratrum colloquium, ac belli suspensio.

1. Cum inter Ludovici filios bellum hoc quoque anno vigeret, ac viribus, vel fortuna superiores extitissent Carolus, & Ludovicus, Lotharius, sæpius fugatus, Aquisgrano quoque translatis opibus excedere coactus fuit, ac Lugdunum transire, tandem oblatis de concordia ineunda, aures præbuit, *Electo ad hoc negotium*, ait Nithardus, qui is gestis interfuit. *Matisconis verbis vicinio, illuc utrinque coitur, ut utriusque partis castra, Arare fluvio dirimentia, in quamdam insulam ejusdem fluminis ad commune colloquium aspectumque coeunt, Ubi venia de præteritis perperam gestis vicissim postulata, atque accepta, Sacramentum quoque alter alteri veræ pacis, fraternitatisque juraverunt, & de Regni totius æquis partitionibus diligentius faciendis, Kal. Octobris in urbe Mediomatricorum Metis vocabulo decreverunt*, sicque armorum suspensio facta est, diffidentium fratrum congressum. *Mediante Junio, feria quinta, celebratum fuisse*, adnotat Nithardus lib. 4., ibique statutum, *Ut usque ad conventum, quod in Kal: octob. condixerant, pacifice quisque in sua portione, quam vellet, esset*. Ex Kalendis Octobris dilatus est conventus fratrum usque ad nonas Novembris, atque inde pacis tractatus hoc anno inceptus, sequenti tantum effectum sortitus est, ut ibi demdicturi sumus.

Carolus, & Ludovicus ex episcoporum consensu Lotharii Regnum occupant.

2. Interea cum bellum adhuc vigeret, ac Carolus, & Ludovicus Aquisgranum, ejecto inde Lothario, advenissent, de dividendo inter se fratris Regno, quod armis occupaverant, cogitarunt, id tamen absque Episcoporum consilio, & consensu exequi nequaquam sunt ausi, tanta quippe ejus ætatis Francorum Regum religio erat, ut de rebus gra-

gravioribus vix quidquam sine Episcoporum consensu, agerent. Rei gestæ testem habemus omni exceptione majorem, Nithardum scilicet, qui his interfuit. Postquam itaque Caroli, & Ludovici adventum Aquisgranum narravit. *Quæ tunc sedes prima Franciæ erat. Sequenti die quid consultius de populo, ac Regno a fratre relicto agendum videretur deliberaturi, & primum quidem visum est, ut rem ad Episcopos, Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima conferrent, ut illorum consultu veluti Numine divino, harum rerum exordium, atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commissum est.* Episcopis itaque *ab initio gesta Lotharii considerantibus, quomodo patrem suum Regno pepulerit. Quoties populum Christianum perjurium sua cupiditas effecerit. Quoties idem ipse hoc, quod patri, fratribusque juraverat, frustraverit: Quoties post patris obitum fratres suos exhereditare atque delere tentasset: Quot homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora universalis Ecclesia, sua nefandissima cupiditate perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse ferebant. Quibus ex causis non immerito, sed justo Dei omnipotentis judicio, primum a prœlio, & secundo a proprio Regno fugam illum iniisse ajebant, Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum ejecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se juste ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis Episcopi hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, utrum illud per vestigia fratris ejecti, an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem, in quantum nosse, & posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se, & suos gubernare & regere velle, ajunt: Et auctoritate divina, ut illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Hinc autem uterque illorum, idest *Carolus, & Ludovicus duodecim e suis ad hoc opus elegit, quorum unus ego extiti, & sicut* illis congruum, ut inter illos, *hoc Regnum divideretur, visum est, contenti sunt, in qua divisione non tantum fertilitas, aut æqua portio Regni, quantum affinitas, & congruentia cujusque aptata est. Evenitque Ludovico omnis Frisia &c.* Dein-

JESU CHR. AN. 842.

JESU CHR. AN. 842. Deinde & *Carolus quidem Mosam Regnum suum ordinaturus trajecit, Ludovicus vero Saxonum causa Coloniam*. At alia anno sequenti totius Monarchiæ inter tres fratres divisio facta est, de qua ibidem sermo fiet.

Normanni, & Mauri in Gallias irruunt.

3. Interea occasione civilis belli quo Gallicum flagrabat Imperium, Normanni iis regionibus sæpius infesti, iterum illud aggrediuntur. *Ea tempestate* ait Annalista Bertinianus *Normannorum classis in Emporio, quod Quantovicus dicitur*, in Ambianensi Diœcesi situm ait Pagius, *repentino sub lucem adventu, deprædationibus, captivitate, & nece utriusque sexus hominum adeo debacchati sunt, ut nihil in eo præter ædificia prætio redempta relinquerent. Maurorum etiam piratæ*, ex Africa, vel Hispania egressi, *per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta passim deprædati impune, oneratis navibus regressi sunt.*

Italia ab Seracenis vexata.

4. Eadem fere patiebantur Italorum provinciæ pleræque, Seraceni quippe ex Africa, Hispania, vel Sicilia erumpentes, Calabriam, Brutium, Campaniam depopulati sunt, & quod dolendum est, non semel ab christianis Principibus vocati. Ut etenim per hos annos adnotat Muratorius cum bellum Beneventani, Campani, Sorentini, aliique inter se gererent, non semel Seracenos in auxilium suum evocarunt, quorum adventus ubique tum iis, qui eos vocaverant, cum iis adversus quos vocati fuerant, infestus, & infaustus fuit, de quibus ad hunc annum hæc adnotat Nithardus. *Eodem tempore Mauri a Sineculpho fratre Sigiardi, sibi causa subsidii inducti Beneventum invadunt*. Bertinianus etiam Annalista hæc narrat. *Beneventanis inter se dissidentibus, Seraceni ab Africa ab eis invitati*, cum in Siciliam jam transiissent, *primo quidem auxiliatores, postmodum vero violenti insecutores, plurimas civitatum vi obtinent*. Dirissimum, & diuturnum bellum illis in regionibus hoc tempore gestum pluribus describunt Erchembertus, & Anonimus Panormitanus, ut apud Muratorium videre est, an. 840. 41. 42. 43.

5. Hoc anno Lupus, Servatus etiam dictus Ferrariensis monasterii Præfecturam obtinuit, qui illustri genere natus, ac adolescens in Ferrariensi, seu Betlhemitico etiam dicto monasterio in liberalibus disciplinis eruditus, in Fuldensi postea sacris divinisque litteris sedulam sub Rhabano Mauro operam dederat, quas etiam eum docuisse scimus, cum-

cumque doctrinæ fama inclaresceret, in aulam vocatus, & ab Judith Ludovici uxore, & Caroli matre Ferrariensis monasterii Præfecturam, ex qua Odo, utpote Lotharianæ factioni addictus exciderat, obtinuit, ut in suis litteris idem Lupus testatur, quarum altera ad Rengimbertum de sua in aulam vocatione hæc adnotat. *Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benigne omnino exceptus. Et nunc, hoc est, decimo Kal. Octobris, Indictione prima, ad palatium Regina quamplurimum valet evocante promoveo: multique existimant fore, ut cito mihi gradus dignitatis aliquis conferatur &c.* Atque tunc creatum fuisse Abbatem dicti Monasterii Ferrariensis, ipse ad Rabanum Maurum præceptorem significat his verbis: *Consensu fratrum nostrorum in Kal. Decembris Cœnobium Ferrariense mihi commissum est, Dominusque noster Carolus mira me dignatione fovens, gratia sua donavit. Vestra igitur benevolentia me, unaque congregationem mihi creditam sacris orationibus commendare dignetur, ut sicut studia mea plurimum eruditione adjuvisti, sic officii difficultatem assiduis precibus temperetis &c.* Atque Judith Augustæ intercessione eum locum se obtinuisse in epistola ad Carolum Regem testatur, ac Odoni non fine invidorum murmuratione successisse in epistola ad Jonam Aurelianensem Episcopum, alibique indicat. Quid postea Abbas creatus Lupus gesserit, infra dicturi sumus.

Rhabanus Fuldensis Præfectura se abdicat.

6. Eodem autem anno, quo Lupus Abbas Ferrariensis electus est. Rhabanus ejus in sacris litteris magister, Fuldensis monasterii Præfecturæ, ut quietam vitam duceret, renunciavit, onusque ac Abbatialem dignitatem in Hattonem transtulit, ut idem Lupus in epistola ad eum data his verbis narrat, postquam se Ferrariensem Abbatiam obtinuisse admonuerat. *Ceterum audivi sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, & rebus divinis solummodo nunc esse intentos. Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse.* Hic vero anno 822. Fuldensis Abbas creatus fuerat. *Quod cum per annos viginti*, usque ad labentem, *nobiliter rexisset, deposito curæ pastoralis pondere, ad ecclesiam, quam ad Orientem monasterii in monte constructam esse supra dixi, se contulit, ibique manens, ac Deo serviens cælesti philosophiæ vacabat*, ait Rodulphus in ejus vita apud Mabillonium,

Jesu Chr. an. 842. in abſcondito nihilominus tamquam lucerna lucens diu ſub modio eſſe non potuit, nam quinquennio poſt, ſeu anno 847. mortuo Othgario Moguntino Archiepiſcopo, in ejus locum Rhabanus ordinatus eſt, ut ibidem dicturi ſumus.

Theophili Imp. obitus.

7. Cum hactenus in ſacras imagines, earumque cultores debacchatus eſſet Theophilus Imperator, pro delictis ſuis, vivens adhuc *recepit duplicia de manu Dei*, ut ait Propheta, continuis quippe calamitatibus, cladibuſque a Saracenis acceptis, miſeram tandem vitam, miſeriori obitu, hoc anno complevit. De cujus infelici exitu hæc adnotat Curopalata. *Vigeſima die Januarii naturæ debitum ſolvit* Theophilus, *imperio potitus annos duodecim, menſes tres. Adverſus rectæ fidei profeſſores per omnem vitam odium implacabile geſſit, nullumque non turbinem omni hora ac quavis occaſione, nullam eis veniam. indulgentiamque adhibuit: quo factum eſt, ut* Infortunati *nomen apud omnes velut hæreditario quodam jure reportavit. Numquam pro Imperii majeſtate ac laude dignum adverſus hoſtes trophæum erexit, ac neque acceptam cladem reſarcire umquam ſatis potuit, idque cum octodecies per omnem vitam ſuſcepta adverſus hoſtes expeditione, totieſque cum illis ſigna contulerit, nec contemnendas copias pugnam commiſſurus duxerit &c.* Hæc Curopalates, Zonaras, aliique, qui immanem crudelitatem uſque ad ultimum vitæ anhelitum eum retinuiſſe narrant, nam dum jam infirmus eſſet, Theophobum quemdam virum clariſſimum, tamquam affectati Imperii reum in carcerem prope Palatium ad Bucoleonem dictum conjici juſſit, timens etiam, ut narrat Leo Grammaticus, ne poſt obitum Imperium invaderet, huic autem, morti proximus Theophilus, caput amputari juſſit, ac ad ſe deferri. *Quo accepto manibus capillos contingens, ſupremum hoc verbum dixit. Neque poſt hac*, ego ero Theophilus, neque tu *Theophobus*. Ita miſer hac noviſſima crudelitate exſatiatus vitam clauſit, ut ſupracitati auctores narrant, cujus *Execrandum corpus ad ſanctos Apoſtolos delatum eſt*, ait Leo Grammaticus, Theophobi vero *in monaſterium Theophobiæ nunc dictum, Narſetis ædi vicinum*. Eum nihilominus hæreſim Iconoclaſticam ante obitum retractaſſe, ſalutemque æternam conſequutum fuiſſe, ex Gennadio CP. Patriarcha narrat Baronius; at hæc Græcorum fabulas ſapere nemo non videt, cum non-

nonnisi ad id probandum Gennadius, Methodii CP. Patriarchæ, & Theodoræ Augustæ, & Theophili uxoris somnia referat, quibus nos fidem adhibere non possumus. Jesu Chr. an. 842.

8. Theophilo autem e vivis sublato, *Michael ejus filius, illius successor Imperium capessivit annos tres natus*. ait Porphyrogeneta, cui præter Theodoram matrem, tutores Theophilus destinaverat. Theoctistum Eunuchum Logothetam, & Bardam Patricium, ac Theodoræ fratrem, nec non Manuelem militum magistrum, & Augustæ patruelem, quorum opera cultus sanctarum imaginum restitutus fuit, ut supracitati auctores narrant, de quibus summatim hæc Leo Grammaticus. *Michael una cum matre sua Theodora annos quindecim regnavit, cum Basilio vero annum unum et menses quatuor. Theodora vero adeo fide, rectisque in Ecclesiam sensibus præstabat, ut ejus viro adhuc superstite, sanctas Imagines coleret & veneraretur. Hæc tum proprii animi motu, tum etiam suggestione & sententia Theoctisti Canicleo Prepositi & Logothetæ, ex Ecclesia & Urbe Joannem Patriarcham proprium Compatrem in Clidii, Monasterium ita dictum, ad Henum exulem ejecerit. In ejus locum Methodium monachum inducit, & Patriarcham instituit. Monachis vero, & Episcopis in exilium a Theophilo missis postliminio revocatis, fidem Orthodoxam firmavit, & ecclesiæ pacem restituit.*

Michael cum Theodora matre imperat.

9. Manuelem vero Patricium, ut statim sacræ imagines restituerentur, debitoque cultu prosequerentur, apud Theodoram auctorem fuisse narrant Græci auctores, *Firmato itaque Reipublicæ statu*, ait Porphyrogeneta, *futurum erat, ut & imaginum cultus instauraretur, pristinumque honorem illæ rursum reciperent. Ad Manuelem itaque diro morbo, gravique conflictatum ingressi Studiani Monachi (quippe quibus ille fidei plurimum habebat) facili negotio citoque recuperandam sanitatem pollicentur, si modo tum ipse Sanctarum Imaginum cultum approbet, tum illius quovis loco sanciendi Imperatoribus auctor existat &c.* Quod cum eorum ad Deum precibus consecutus esset, Theodoram adiit, ea de re commune consilium habiturus, cui cum Imperatrix consensum præbuisset.

Manuel Patricius cum Theodora Aug. de restituendis imaginibus agit.

10. Manuel Patricius addidit, quid *causæ est Augusta cum sic sentias, ac optime consulas quidve impedit, ne hoc* opere

Joanne amoto, Methodius CP. Pa-

JESU CHR. AN. 842. triarcha eligitur.

opere impleas. Statim ergo accersito Bigle Drungario, Patriarchæ denuntiat, plures undique viros pietate spectabiles, ac Monachos supplicationem Augustis obtulisse, ut sacras Imagines restitui juberent. *Si igitur ita confitearis, bisque consentias, Dei Ecclesia vetus ornamentum recipiat, sin autem hæsitas, nec recte sentis, relicta sede, ac Urbe, in suburbanum tuum tantisper recede*, dum sancti Patres una tecum conveniant, in concilio scilicet, ibidem mox celebrando. In *Joannis itaque, locum inducitur is*, ait Porphyrogeneta, *qui multis laboribus atque ærumnis integram, ac illibatam virtutem conservaverat, invictus ecclesiæ defensor, Methodius is erat, & congregatis in unum Episcopis pro restituto sacris imaginibus debito cultu. Hoc unum a vobis peto, ait Theodora Augusta, ut viro meo, ac Imperatori, eorum quæ in causa Imaginum deliquit, indulgentia veniaque præstetur, tantumque scelus oblivione a Deo deleatur. Sin autem minime feceritis, neque me vestra sequentem decreta habebitis, nec vero Ecclesias recipietis.* His Methodius justa quidem se petere respondit, in eorum tamen potestate non esse subdit eos, qui ad aliam vitam commigraverint, a pœnis illis a Deo constitutis liberare, cum cœlum aperire, ac clavium potestas Episcopis a Deo data fuerit, pro iis qui in hac vita detinentur. *Quin etiam quandoque his ipsis, qui e vita emigraverint, cum levia sunt delicta, quibus nec desit pœnitentia. His autem qui spe non bona vivis excesserint, feruntque palam suæ damnationis sententiam, pœnas diluere minime possumus. Tum Augusta, sive id vere, sive alioquin nimia in maritum succensa amoris vi (quod plane ita est, nosque assentimur) jurejurando tamen sacro illi choro affirmabat*, eum in vitæ exitu ingentem luctum edidisse, ac de retenta hactenus Iconoclastica hæresi pœnituisse, ac Imagines petiisse, ac fervemti animo eadem ipsa Augusta in manus porrigente, exosculatum, abducentibus Angelis spiritum tradidisse. Quibus auditis, Augustæ mores, indolemque reveriti Episcopi, cum Sanctarum Imaginum cultum instaurari inpensius cuperent, *communi sententia ac suffragio, dummodo se res Theophili ita haberent, ejus veniam delicti se a Deo exoraturos dixere, simulque rei scriptam cautionem Augustæ tradidere*. Hæc quidem de Theophili Imp. pœnitentia, quæ quidem etsi incerta sit, ac fi-

cti-

ctitia ab Theodora Augusta, pro mariti anima nimium anxia, sat tamen hæc fuerunt, ut Episcopi canonum severitate remissa, se pro eo exoraturos fore promiserint, ac ut post obitum ecclesiasticæ communionis participem efficerent. Jesu Chr. An. 842.

11. His addit Porphirogeneta. *Interea recepta ecclesia, sanctissimoque Methodio Pontificali bonore sublimato, Sanctorum Jejuniorum prima Dominica, una cum Augusta, peractis in sacra Sanctissimæ Dominæ nostræ Deique Genitricis Blachernensi æde, in Dei laudibus & canticis, nocturnis vigiliis, mane solemni supplicatione ac pompa ad magnum Dei Verbi Templum veniunt, riteque peracta re sacra, suum rursus Ecclesia ornatum recepit. Inque eum modo proficiebat Orthodoxa Ecclesia, & ut verbis Scripturæ utar*, renovabatur ut Aquila, *proscriptis toto terrarum Orbe cunctis hæreticis, eorumque Antistite, Joanne scilicet, cui a fidelibus ob suam impietatem Jannis nomen inditum est*, quæ quidem in concilio Cpoli congregato peracta sunt, cujus memoria extat apud Theophanem Presbyterum, in oratione in laudem S. Nicephori recitata, quam Labbeus, & Baronius exhibent, narratque inter cetera, ad eam synodum in Palatio congregatam, tantam multitudinem convenisse, ut vix eos locus, designatus continere potuerit, non solum ex iis inquit. *Qui impietatis temporibus mentem sanam conservarant, verumetiam quam plures ex iis, qui cum pietatis hostibus consenserant, quique Sacerdotiis, & ecclesiis regendis ab ipsis* (Iconoclastis) *electi fuerant, e vestigioque mutata sententia, eos, qui sanctas imagines oppugnarunt, anathemati subjecerant*; tanta autem rerum mutatione perspecta, Joannes CP. Episcopus turbatus, ac pene solus in tuenda hæresi relictus, *stupore & mentis caligine captus, parum abfuit, quin ipse sibi manus inferret* ait idem auctor, deinde. *Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiserat, uno omnium consensu, & cunctis tum magnorum Imperatorum, tum universi cætus Ecclesiastici suffragiis a sacra sede cum ignominia ejecto, Methodius vir, & vita & doctrina valde probatus, & qui pro veritate & religione multa certamina, & longum exilium pertulerat, atque inde plagis, & carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est, qui Sacram Reginæ urbium civitatis sedem obtineret*, Hæc, & alia Theophanes de rebus in concilio CP. adversus Iconomachos gestis.

Solemnis restitutio sacrarum Imaginum.

12. His

JESU CHR. AN. 842.

Exules pro fide revocantur.

12. His peractis quotquot hactenus pro fide catholica tuenda exules erant Episcopi, Presbyteri, monachi, aliique synodi sententia revocati sunt. *Qui zelo Dei inflammati eos, qui in exiliis erant sanctos Patres, revocarunt*, ait auctor libelli synodici, ex is autem Josephus hymnographus dictus, vix multis precibus rogatus in urbem rediit, ut in ejus vita capite 4. refert Joannes magnæ ecclesiæ diaconus his verbis. *Ut qui exilio perinde atque amenissimis deliciarum hortis propter Christum frueretur. Tamen eorum precibus enixe obsecratus, quibus obsistere amplius nefas erat, tum illectus etiam charitate, qua in cives summopere flagrabat, crebris Imperatorum postulationibus concedendum ratus, Bizantium revertitur*, auctor etiam anonymus, & coœvus vitæ S. Nicolai Studitæ, de eodem, & Neucratio in Prefectura Studitarum S. Theodori successore narrat. *Tunc plane, ait, communis pater noster, ac Christi famulus Neucratius ab exilio rediens, venit Bizantium propter certaminum merita, multo cum honore ab Imperatrice, ipsoque Patriarcha Methodio susceptus, vir inclitus eorum rogatu sacræ fratrum sodalitatis in unum tunc congregatæ, in venerabilissimo Studii monasterio, Prefecturam suscepit*, quam sanctissime regens, eorum numerum eousque adauctus est, Ut *ad millenarium fere numerum provexerat*, ait idem auctor, ac de Nicolao subdit, eum eousque solitarie vitæ addictum fuisse, ut & si in monasterio degeret, *rarius in Patrum se consortium dabat &c.*

Solemnitas celebrata in erectione Sanctarum imaginum.

13. Sacrarum autem imaginum restitutio, & erectio in ecclesia CPolitana solemni ritu, celebrique pompa facta est, convenientibus in magnam ecclesiam Imperatoribus cum clero, monachorum turba, & universo populo, celebrataque sunt veluti quædam encoenia innovatæ & illustratæ basilicæ, quæ ab impiis Hagiomachis seu Iconoclastis fuerat deturpata, ac penitus denigrata. Hanc autem solemnitatem in Dominica prima, seu secunda solemnis Quadragesimalis jejunii peractam fuisse narrat auctor orationis tunc recitatæ in memoriam restitutæ orthodoxiæ, seu restitutionis sacrarum imaginum, apud Porphirogenetam pag. 96. ac solemni supplicatione cum Crucibus, & imaginibus, ad ecclesiam solemniter imagines delatas fuisse narrat, unde luctus, & pœnitentiæ tempus in gaudium & lætitiam conversum

est

est, statutumque tunc fuit a Methodio Patriarcha, sociatisque sibi Episcopis, ut per singulos annos, eadem recurrente die, prima Dominica Quadragesimæ, perpetua memoria, tanti accepti a Deo beneficii per omnes Orientis ecclesias, solemni ritu fieret, qua etiam occasione, Theophanes illustris fidei confessor, triumphale carmen in ea solemnitate canendum, variis distinctum odis composuit, quo debitas Deo pro tanto beneficio, gratias agit, Deique Genitrici laudes celebrat, eique alterum additur a Theodoro Studita conscriptum, seu potius ab Neucratio, vel alio Studii incola, nam Theodorus ante annos aliquot obiisse diximus, utrumque hymnum Græce, & latine in Annales suos Baronius intulit, utrumque novem odis constat, pro singulis in solemni officio Græcorum more recitandis. His addidit Baronius orationem singulis annis, eadem recurrente festivitate recitandam, quaortus, progressus, & fines hæresis Iconoclasticæ narrantur, His alteram orationem ab Theophane Tauromaniæ in Sicilia recitatam in die festo ob restitutas sacras imagines inseruit ab Turiano, & Sirmondo acceptas. At hæc omnia, brevitati studentes prætterimus, cum præsertim nil novi hæc afferant, sed rerum hactenus gestarum relationem, debitasque Deo, gratiarum actiones.

Jesu Chr. an. 842.

CPolitana ecclesia aliquantulum turbatur.

14. Inter tot, tantaque exultantis CPolitanæ ecclesiæ signa, non defuerunt inquieti viri, ne dicam ingrati, qui obtentæ religionis, & disciplinæ tuendæ, sicuti alias post Alexandrinam scilicet synodum anno 362. celebratam contigerat, dum cum Lucifero Calaritano, nonnulli clericos qui Arianæ hæresi subscripserant in suis ordinibus nequaquam recipiendos esse contendebant, eadem itaque severitatis specie abrepti, Methodio CP. Patriarchæ, qui Iconoclastas ad ecclesiam redeuntes, cum suis sedibus, & Sacerdotiis receperat, nonnulli resistere conati sunt, aut saltem ob indulgentiam erga hæreticos Iconoclastas adhibitam obmurmurare, quos nihilhominus patientia & prudentia sua Methodius compressit, ac obmutescere coegit, ut pluribus narrat auctor vitæ S. Joannicii, qui tum verbo, cum scriptis epistolis ab Methodio diffidentes, ad unitatem communionemque Patriarchæ revocavit, ut idem auctor pluribus persequitur.

15. Ne

Jesu Chr. an. 842.

Canones pœnitentiales a Methodio editi.

15. Ne tamen ecclesiasticam disciplinam spernere videretur, canones aliquot pœnitentiales Methodius Patriarcha edidit, quibus pro conditione personarum, pœnitentiam agere debebant ii, qui ex hæresi Iconomacha, ad ecclesiæ communionem redibant ita ut puer, qui metu, ignorantia, vel inscitia cultum imaginibus abnegaverat, septem diebus. *Propitiationis preces accipiat, Octavo die lavetur, & a lavacro linteo accinctus chrismate inungatur, ut solent inungi qui baptizantur, & ferat vestes novas, secundum ordinem eorum qui illuminantur. Si autem sint adolescentes, vel senes, seniove confecti; siquidem per tormenta negaverunt, clementer ac benigne cum eis agatur, sed duas Quadragesimas jejunent, vacantes orationibus, & genuflexiones, assiduasque preces peragentes. Duarum autem Quadragesimarum fine appropinquante., octo diebus propitiatorias preces suscipiant, & sub omnibus qui inveniuntur cum Sacerdote, qui pro eis Deum placat, eas faciant, & dicant intensa voce, Kirie eleison, centies, Et sicut superius statuimus, laventur & ungantur secundum priorem constitutionem; & celebrato sacrificio, sacrosanctis mysteriis digni habeantur, vacantes Ecclesiæ, & sacrorum celebrationi octo diebus. Si qui autem sua sponte ad negandum transfugerunt ii quidem habent canonem terribilem: sed propter commiserationem duos annos jejunent, a carnium & ovorum esu, & a vino abstinentes, inflexiones facientes, si sint quidem juvenes & robusti, quotidie centum diebus, ducenties dicentes, Kyrie eleison. Duobus autem annis expletis, ante octo dies preces propitiatorias accipiant, & quæ sequuntur, ut prius statutum est, in ipsis fiant, sive sint viri, sive mulieres modo sint perfectæ ætate.* Ista Methodius, atque de his hactenus.

Mutasimo Saracenorum Caliphæ succedit Haron.

16. Interea Mutasimus Saracenorum, Calipha, Græcorum Imperio hactenus infestus, hoc anno Hegiræ 227. die quinta Januarii vivere desiit, cum annos novem imperasset, ab anno 833. ad labentem, filiumque Haronem successorem habuit, Vatexbillac etiam dictum, virum carnis deliciis eousque deditum, ut quadriennio post, seu anno 846., crapula, luxuriaque consumptus obierit.

JE-

JESU CHRISTI ANNUS 843. GREGORII 4. PAPÆ AN. 17, LOTHARII IMP. 4. MICHAELIS IMP. 2.

Pax inter Francorum Reges, & Regni divisio.

1. De pace ineunda inter Ludovici filios, deque Regni divisione inter Lotharium, Ludovicum, & Carolum actum fuisse anno proximo adnotavimus. Hoc tandem. *Divisio Regni* tunc inchoata *& pax facta inter ipsos est*, ait auctor chronici brevis Sangallensis, seu ad effectum perducta est. Regni igitur divisionem hoc anno factam, quæ in Nithardo desideratur, fusiori stilo exhibent Metenses, & Bertiniani Annales. *Anno Domini* 843. ait auctor Bertinianus, *descripto Regno a primoribus, & in partes diviso, apud Virdunum Galliæ civitatem, tres Reges mense Augusto convenientes, Regnum inter se dividunt. Et Carolo quidem Occidentalia regna cesserunt, Ludovico vero Orientalia, scilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta. Porro Lotharius, quia major natu erat, & Imperator appellabatur, medios inter utrosque incedens, regnum sortitus est, quod hactenus, ex ejus vocabulo Lotharii nuncupatur, totamque Provinciam, nec non & omnia regna Italiæ, cum ipsa Romana urbe. Factaque inter se pace, & juramento firmata, singuli ad disponendas & tuendas Regni sui partes revertuntur. Carolus Aquitaniam, quasi ad partem regni sui jure pertinentem affectans, Pippino nepoti sui molestus efficitur: eumque crebris incursionibus, infestans, grande detrimentum proprii exercitus sæpe pertulit.* Infaustam autem Gallorum Imperio hanc divisionem fuisse his verbis adnotat Hugo Flavianacensis Abbas in chronico Virdunensi. *Unitum Francorum Regnum fœda sectione sciderunt, & exteris nationibus occasionem rebellandi, sive bellandi, contulerunt. Ingruentibus enim Normannis, Dacis, & Britonibus fiunt christianorum strages, deprædationes, vastationes, incendia &c.* Hinc antiquæ nobilitatis, & anctoritatis vix umbram retinuit Imperium Gallicum, ac merito poeta coevus cecinit.

Perdidi Imperii pariter nomenque decusque,
Et Regnum unitum concidit sorte triformi.
Induperator ibi prorsus jam nemo putatur.
Pro Rege est regulus, pro Regno fragmina Regni.

JESU CHR. AN. 843. Guenilo Senonensis Episcopus Fratrum concordiæ subscribit.

2. Fratrum concordiæ Episcopos quoque subscripsisse scimus, inter eos Guenilonem Senonensem Archiepiscopum, ut Carolus in libello in concilio ad Saponarias celebrato, adversus Guenilonem Senonensem Episcopum oblato testatur. *Post hæc*, ait, *de divisione regni inter me, & fratres meos ratio est exorta notissima, unde partem divisionis cum mutuis nostris, seu missis, nostrorumque fidelium sacramentis, sicut enim Primores regni totius invenerant tuendam & gubernandam suscepi. Quam divisionem inter me, & fratres meos de cetero a me substantialiter tenendam, sicut & alii, qui ibi adfuerunt Episcopi, Guinilo mihi, fratribusque meis propria manu juravit, pacem etiam, & mutuum adjutorium inter me, & præfatum fratrem Ludovicum Guinilo sacramento firmavit*. Ea quippe tunc temporis conditio exigebat, ut nihil fere in Regno Francorum ab Regibus sine Episcoporum consilio, consensu, aut subscriptione ageretur.

Normanni Nannetem diripiunt, Episcopum, aliosque occidunt.

3. Aquitania interim hoc anno turbata non solum est, sed cœdibus, rapinisque repleta, ut ad hunc annum adnotat Annalista Bertinianus, cujus hæc sunt verba. *Carolus Aquitaniam pervagatur, quo illic constituto, Nomenogius Dux, & Lambertus, qui nuper ab ejus fidelitate defecerant, Rainaldum Nannetorum ducem interficiunt, complures capiunt. Piratæ Northmannorum urbem Nannetorum aggressi, interfectis Episcopo, & multis clericorum, atque laicorum. sexusque promiscui, deprædata civitate, inferioris Aquitaniæ partes depopulari adoriuntur. Ad postremum insulam quamdam ingressi, convectis a continenti domibus hyemare velut perpetuis sedibus statuerunt &c.* Eademque de Northmannorum irruptione hoc anno in Aquitaniam facta alij chronologi, præceteris vero de eadem accuratius agitur in fragmento chronici monasterii Andegavensis, ubi post narratum Northmannorum in eam urbem ingressum, de sancto Goarbo, vel Guihardo hæc subdit. *Porro civitatis Episcopus vocabulo Gaihardus vir innocens, & omni pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis, qui ex vicino cœnobio, cujus vocabulum est Antrum, quod antefati amnis ictifero gurgite undique cingitur, ad urbem copiosum Ecclesiæ thesaurum habentes confugerant, cumque reliqua vulgi multitudine, quos vel metus hostis incluserat, vel Præcursoris, quæ inerat, nativi-*

tivitas, non solum e vicinis regionibus, sed etiam ex procul positis urbibus attraxerat, cernentes intra mœnia hostem, certatim euncti ad Templum Apostolorum Petri & Pauli, quod in urbe nobilius & pulchrius erat, utpote ignari certaminis concurrerunt, obseratisque ostiis ædis, solum, quod supererat cœlitus auxilium, anxie flagitabant, inquit Auctor Anonymus, qui sequentibus verbis se eo tempore vixisse indicat, Guihardi Episcopi vitam exhibent auctores Armoricæ sacræ, cujus memoria die 25. Junii Nannetæ celebratur.

JESU CHR. AN. 843.

Conventus in villa Colonia a Carolo Rege celebratur.

4. Sancito jam cum fratribus fœdere, ac ex minori Britannia redux Rex Carolus, avi, & patris sui exemplo, generalem regni sui Episcoporum, & Procerum conventum hoc anno, in villa Colonia prope Cenomanos celebravit, ut quæ in singulis ordinibus, bello civili vigente, irrepserant vitia, emendaret, ut in præfatione testatur Carolus, eoque sex canones sunt editi, quorum primo de cultu Dei præstando, deque honore ecclesiis exhibendo, privilegiisque servandis agitur, secundus de fidelitate Regi servanda agit, sequentibus deinde capitibus, se singulis in Regno suo degentibus sua jura servaturum Rex ipse Carolus promisit, & ut justitia ubique recte administraretur, jussit, uti apud Labbeum, vel Balutium videre est. Alium quoque in villa Germiniaca prope Aurelianos ab Carolo Rege conventum celebratum fuisse scimus, ex diplomate pro Corbionensi monasterio tunc edito, cujus in præfatione hæc leguntur. *Anno Incarn. Dominicæ* 843: *indict.* 7. *Regnante per provincias Galliæ piissimo ac mitissimo rege Carolo, filio quondam Ludovici Augusti, pace jam & divisione regni cum fratribus suis, Lothario videlicet Imperatore, & Ludovico regibus, miserante Domino, celebrata, factus erat conventus populorum, qui sub ejus regno erant, per regiam evocationem in territorio Aurelianensi, in loco, qui Germiniacus dicitur: ubi etiam nos qui superna largiente clementia, etsi indigni, Episcopi dicimur, convenimus: ut scilicet per sacrorum Antistitum maxime consilium, qui de diversis regni ejus partibus aderant, ea, quæ in quibuslibet ordinibus ecclesiæ minus utiliter constare videbantur ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli transacti violentiam, juvante Christo, in melius reformasse satageret, & illa quæ hactenus be-*

Jesu Chr. an. 843. *ne constiterant, regali providentia honorificentius amplecteretur, & firmius roborari studeret &c.* His litteris Heiricio prædicti monasterii Abbati, qui privilegium illud a Carolo petierat, directis, subscripsere Metropolitani octo; Episcopi triginta, & decem abbates, ex quibus Hincmarus Remorum Archiepiscopus, post synodum nomen suum apposuit, cum nonnisi anno sequenti eam obtinuerit sedem, ut ad eum locum adnotat Mabillonius.

Caroli cum Hirmentrude nuptiæ, Judithæ Augustæ obitus.

5. De Carolo Rege id etiam hoc loco adnotamus, quod cum anno proximo nuptias cum Hirmentrude solemniter celebrasset, ut Nithardus, aliique narrant, hoc anno Judithæ Augustæ matris suæ funera celebravit, quam decimotertio Kal. Maii obiisse adnotat Mansius ex Caroli Calvi donatione matris suæ jussu facta ecclesiæ S. Martini Turonensis.

Lotharii Imperat. privilegia ecclesiis, & monasteriis concessa.

6. Caroli Regis pietatem in honore ecclesiis exhibendo, aut quiete monasteriis procuranda, post pacem cum fratribus initam, æmulatus est Lotharius Imperator, cujus plurima extant privilegia, ecclesiis, vel monasteriis hoc anno concessa, ex his, dum in villa Gundulphi prope Tullum esset, Bobiense monasterium, ab omni fiscali exactione immune declaravit, *pridie Kal. Septemb. anno Imperii Lotharii in Italia* 24. *in Francia quarto*. Immunitatis quoque præceptum in gratiam ecclesiæ Viennensis dedit, *Undecimo Kal. Novemb. anno, Christo propitio, Imperii D. pii Imp. in Italia* 24., *& in Francia quarto indict.* 6, *Actum Aquisgrani &c.* Aliud etiam in gratiam ejusdem Viennensis ecclesiæ dedit, eadem subscriptione munitum, quo Villam Tollianam eidem ecclesiæ reddi jussit, ut apud Balutium videre est, tom. 2. Capitularium Regum Francorum in appendice pag. 1442.

Cassinense monasterium expoliatur.

7. Dum Gallicanis provinciis restituta pax esset, ecclesiisque ibidem honor decusque redderetur, ac monasteria reficerentur, privilegiisque augerentur, ob obstinatum inter Campaniæ, Lucaniæ, & Beneventani Ducatus regulos bellum, quod diu iis in locis vigebat, Cassinense monasterium, anno septimo Bassacii Abbatis, idest labenti, suis thesauris expoliatum est ab Siconulpho Beneventano Duce, qui ut promissam Saracenis pecuniam solveret, immensam auri, argentique suppellectilem inde abstulit, ut in Cassinensi chronico

nico Leo Marſicanus lib. 1. capite 26. 27. 28. his verbis narrat. *Septimus jam annus memorati Abbatis Baſſacii vertebatur, cum præfatus Siconulphus ad B. Benedicti monaſterium veniens, mutui nomine, univerſum fere theſaurum, quem inclitæ memoriæ Reges Carolus, & Pippinus frater ejus, & Carlomannus, & Ludovicus ejuſdem Pippini filii, & alii plurimi Reges, & Principes religioſi ibidem contulerunt, Agarenis tribuendum abſtulit*, ac catalogum rerum ablatarum deinde texit, quas ſane immenſi ponderis, ac prætii fuiſſe conſtat, eaſdemque etſi mutuo accepiſſe adnotet, nil tamen poſtea reſtituiſſe addit, ut ibidem videre eſt. JESU CHR. AN. 843.

8. Jonam adverſum Claudium ſcripſiſſe, ejuſque apologeticum confutaſſe, ſupra anno 825. adnotavimus. Hic autem inter illuſtriores Gallicanæ eccleſiæ hujus ætatis ſcriptores, anno 821. circiter Theodulphi, ſucceſſor in Aurelianenſi ſede Epiſcopus ordinatus, non obſcura pietatis, & eruditionis indicia reliquit, Ludovico imp. cariſſimus, ac fidiſſimus fuit, cujus opera non ſemel tum in legationibus, cum etiam pro gravioribus Regni negotiis, uſus eſt, qui cum uſque ad hunc annum Aurelianenſem eccleſiam gubernaſſet, hoc anno vivere deſiit, ac Agium quemdam ſucceſſorem habuit, a Venilone Senonenſi Archiepiſcopo ordinatum, ut ex concilio Vernenſi anno ſequenti celebrato conſtat. Præter tres libros adverſus Claudium Taurinenſem, de quibus Nat. Alexander pluribus agit, ac catholico ſenſu exponit, tres quoque de inſtitutione laicali libros edidit, ubi laicos omnes, ſed maxime conjugatos ad vitam chriſtianam excitat. Alterum etiam de Regia inſtitutione opuſculum edidit, ut tomo primo, & quinto ſpicilegii, ubi inſerta ſunt, videre eſt, aut apud auctores hiſtoriæ litterariæ Gallorum, qui ſumma cum eruditione, & diligentia hæc pertractant.

Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi obitus.

9. De rebus autem in Oriente hoc anno geſtis, hoc unum adnotare ſufficiet, quod cum pulſis hæreticis Iconoclaſtis imagines ubique aut reſtitutæ eſſent, aut reſtituerentur, ac in locum Joannis hæretici, Methodius CP. Patriarcha ordinatus eſſet, ut anno proximo diximus, Hæretici nihilhominus, cum obmuteſcere debuiſſent, ſuam ignominiam, non ferentes, tantam eccleſiæ felicitatem turbare conati ſunt, ac Methodium e ſublimi throno, putida in eum ca-

Calumnia in Methodium CP. Patriarcham conſtructa.

JESU CHR. AN. 843. calumnia constructa, dejicere conati sunt: sceleris auctores idem Joannes, & frater ejus Arsabas Patricius, ut narrat Curopalates in historia, qui seductam auro mulierem induxerunt, ut Methodium accusaret, quasi cum ea carnalem copulam habuisset. Quamobrem in judicium mulier deducta, quæ docta fuerat, judicibus exposuit. Indignabantur judices, & præceteris Magister *militum Manuel, quod unius viri opera Orthodoxorum multitudo periclitaretur, & ludibrio esset futura adversariis. His omnibus cognitis S. Methodius, qui studebat impios de spe dejicere, & pios qua tenebantur, gravi animi molestia liberare: neque lapis offensionis volebat esse Ecclesiæ: nihil hominum frequentiam veritus: rejecta veste, in conspectu omnium qui spectatores aderant, pudenda nudat, omni honore & reverentia revera dignus. Et illa ab omnibus conspecta sunt ita morbo quodam consumpta, ut naturalis prorsus essent virtutis expertia. Factum hoc, pudore sceleratos perfudit, & calumniatores, & quammaxima lætitia & jucunditate affecit pios viros.* Interrogatus qua ratione virilia tam fœde contabuissent, narravit quod cum Romæ esset ob tumultus Nicephori Patriarchæ tempore excitatos, cum se libidinis æstu pene abripi cerneret, Petrum Apostolum rogasse, ut ab eo periculo eriperet, sibique in somniis apparuisse Apostolum, qui tactis ejus virilibus certiorem reddidit, se ab carnis illecebris liberum imposterum futurum. Mulier interea ad quæstionem deducta, ut tota rei seriem aperiret, se ab Joanne, fratreque ejus, aliisque impietatis sociis auro seductam fuisse, ut hanc criminationem Methodio inferret, aperte testata est, ac ubi acceptam auri summam abscondisset, indicavit. *Statimque e satellitibus unus missus est, & aurum adductum, & facinus fuit manifestatum*, pœnasque dedissent Sicophantæ nisi pro iis idem Methodius veniam impetrasset. *Hoc tantum pœnarum & & supplicii subirent, ut annis singulis in publica Orthodoxorum celebritate, ab immaculato Templo Dei Genitricis, quod est in Blanchernis, cum facibus ad S. Sophiæ templum accederent, ibique suis auribus perciperent anathema illud, quod usque ad exitum vitæ ipsorum servatum est*.. Sicque Methodius ex calumnia conficta illustrior evasit, *Et dum verenda nudat, reverendissimus ostensus est ipse*, ait Baronius.

Methodius a calumnia se purgat.

10. At

10. At si tum scelerum suorum pœnam sceleratissimus Joannes evasit, paulo post in perfidia sua perseverans, & sceleribus scelera addens, aliqualem saltem, & si pro-merito leviorem dedit; Nam in monasterio ad agendam pœnitentiam detrusus, *Cum in quodam parte conspicatus esset restitutam imaginem Christi Dei, ejusque Matris, & Angelorum, suo Diacono præcepit, ut eo ascendens, venerandarum imaginum oculos effoderet. Quod ubi audivit pia Regina, zelo divino incensa, eidem oculos effodi jussit. Verum hoc factum non est, quod quidam probi & idonei viri intercessere, sed missis satellitibus ducentis eum verberibus & loris percutiendum curavit.* Hucusque de Joanne Constantinopolitano Patriarcha Curopalates.

Jesu Chr. an. 844. Joannes impietatis suæ dat pœnas.

JESU CHRISTI AN. 844. SERGII 4. PAPÆ AN. 1. LOTHARII IMP. 5. MICHAELIS IMP. 3.

1. Gregorium quartum Pontificem anno proximo desinente 843. obiisse, nonnullos Francorum annales sequutus scribit Baronius, quos in chronologia parum diligentes fuisse adnotat Pagius, ac labenti anno, & quidem octavo Kal. Febr. Gregorium seu die 15. Januarii obiisse constat, ex Sergii successoris ordinatione die decima Februarii peracta, postquam dies quindecim Romana sedes pastore viduata remansisset; Gregorius itaque cum *Per sexdecim solertissime gubernasset ecclesiam, annos, ad extrema ductus occubuit*, ait Anastasius in vita Sergii successoris, cum autem res ab Gregorio hactenus gestas suis locis exsposuerimus, nunc de ejusdem inmensa liberalitate in extruendis, ornandisque per urbem ecclesiis plurima addenda essent, quæ singulatim ab Anastasio descripta sunt, & a Baronio in annales relata, nisi nos styli prolixitas, & munerum copia ecclesiis oblata deterreret, quare his prætermissis, quæ apud Anastasium, vel Baronium videri possunt, centum octoginta quinque Episcopos per diversa loca, quinque ordinationibus celebratis eumdem consecrasse, ac in Basilica B. Petri Apostoli sepultum fuisse ex Anastasio adnotamus, Epitaphii autem locum teneant Rabani Mauri versus, cum eidem Pontifici inscripsit egregium opus a se editum de crucis mysterio, cujus initium est.

Gregorii quarti Papæ obitus.

Se-

Jesu Chr. an. 844.

Sedis Apostolicæ Princeps, lux aurea Romæ
Et decus, & doctor plebis; & almus amor;

eoque carmine multa in Gregorii laudem commemorat ibidem videnda. Opus autem Gregorio inscriptum, Sergio successori oblatum est, cum eum obiisse acciderit, eo tempore quo Rabani missi Romam pervenerunt.

Sergius Papa ordinatur, ejus vita usque ad Pontificatum.

2. His de Gregorii Papæ gestis, & obitu adnotatis, ad ejusdem successorem Sergium secundum oratio devolvitur, quem post dies 15. vacationis sedis, die decima Februarii ordinatum fuisse supra adnotavimus, de ejus autem vitæ serie, gestisque usque ad electionem in summum Pontificem, quam plurima laude digna refert Anastasius, ac de ejusdem a primæva ætate morum integritate, studiis, & educatione hæc adnotat. *Sergius natione Romanus ex patre Sergio regionis quartæ, sedit annos tres. Hic cum illustri editus a matre fuisset, castis nutrimentis eum erudire ingenti cœpit studio, ut nihil obscenum, vel libidines audire, aut videre posset.* Anno ætatis suæ duodecimo parentibus orbatum *Leo Papa tertius scholæ cantorum, ad erudiendum communibus tradidit litteris, & ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis &c.* Et ne plura de ejusdem initiis addamus, adnotare sat erit; quod cum Leoni tertio successisset Stephanus, Subdiaconum eum ordinavit, Paschalis vero Stephani successor, tituli S. Silvestri confessoris & Pontificis Presbyterum ordinavit, sicque post Eugenium, & Valentinum, Gregorius Papa Archipresbyterum Romanæ ecclesiæ dixit, eoque defuncto *Cum Proceres, & Romanæ urbis optimates, universusque ecclesiæ populus, pro eligendo Pontifice in unum coissent; atque alias de alio, ut fieri solet in talibus conclamaret, subito per Dei providentiam divino nutu conpuncti, de Antistati Sergii Archipresbyteri religione diligentius confabulari coeperunt, ut omnes conclamarent, quia dignus est Pontificatus adipisci regimen, firmatoque in eumdem virum consilio, unusquisque in sua reversus est*, cum jam. Clerus, Populusque de electione Sergii convenissent, ait Anastasius, qui subdit.

Joannes diaconus tumul-

3. *Tunc repente Joannes quidam nomine Diaconus ejus ecclesiæ in tantum amentiæ erupit, atque insaniæ, ut per-*

sua

sua quodam satis imperito, & egressi populo collecta turbolentorum, & seditiosorum manu in Patriarchium Lateranense per vim fractis januis, bellicis telis ingrederetur, legis, & ordinis traditionem transgressus: quo ex facto omnes qui intra Patriarchii mœnia aderant, stupore, & metu repleti sunt. Igitur cum per unius horæ momentum cum eo illa perdurasset ignobilis populi concio timore correpta, eo relicto nusquam comparuit. Quibus ita gestis omnes Quiritum Principes indignati sunt, & communi consilio universi pariter in Basilica Beati Martini Confessoris atque Pontificis celeri cursu, magnoque equitatu sunt congregati. Et eumdem Archipresbyterum Sergium in omnibus probatissimum virtutibus virum, de quo superius memoriam fecimus, extrahentes de ecclesia magno cum honore, magnaque populi comitante caterva, amplisque resonantibus laudibus, cum hymnis & canticis spiritalibus in Patriarchium Lateranense electus, atque perductus est. Eodem vero die tanta nix in Urbe effusa est, ut omnibus candidata cerneretur. Quod multi gaudi dicebant, & claritatis esse indicium. Joannem vero ex Patriarchio cum ignominia eductum, arctiori custodiæ seu carceri Romanæ urbis Principes tradiderunt, quem etiam gladiis membratim discerpsissent, nisi Sergius, id fieri prohibuisset, nolens malum pro malo reddere. Sicque *sacratissimus vir Sergius, in Apostolica B. Petri sacratissima sede ordinatus, consecratusque est Pontifex*, ait idem auctor.

Jesu Chr. an. 844. tuarie in Rom. Pontificem electus, carceri traditur.

14. In hujus Pontificis inaugura i ie Platina, aliique, qui fabulis delectantur, aut quibus veris falsa intexere proclive est, hæc adnotat. *Sunt qui Sergium primo quidem Os porci appellatum fuisse dicant, & ob turpitudinem cognomenti, Sergii nomen sumpsisse &c.* Eamdemque consuetudinem tunc initium habuisse addidit, ut electi Romani Pontifices nomen mutarent. Verum primus Pontificum qui nomen mutavit, Octavianus fuit, qui Joannes duodecimus dici voluit, & Sergius, qui *Os porci*, dicebatur, non fuit Sergius secundus, aut Sergius tertius, sed quartus, ut infra ostendam, ait Pagius.

Fabula de Sergii nomine.

15. Cum autem Lothario Imp. delatum est, post Gregorii obitum, in ejus locum Sergium ordinatum fuisse. *Drogonem Metensis ecclesiæ Archiepiscopum, cum excellentissimo Ludovico filio suo, magno cum Francorum exercitu Romam direxit*, ait Anastasius, *cum quibus etiam Archiepisco-*

Ludovicus 2. Lotharii Imp. filius Romam pergit.

JESU CHR. AN. 844. *scopos, Abbates, & Comites proficisci præcepit. Ipse vero a quo in oras Bononiæ civitatis cum belligeris suis exercitibus sunt ingressi*, idest in Rom. ecclesiæ ditionem, *tantas cædes, tantasque strages in populo peregerunt, ut qui per urbes, & agros erant, tirannica crudelitate perterriti, relictis propris locis per loca abdita & latebras se absconderent &c.* At ob Cœli faciem ex serena in obscuram mutatam, ac fulminis ictu quosdam Drogonis familiares interemptos, nimio omnes timore correpti sunt. *Sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes atroci voluntate ad urbem velociter properabant.*

Ludovicus a Sergio Papa honorifice exceptus.

6. Cum Ludovicum ad urbem accedere cognovit Sergius Papa, in Ludovici occursum. *Universos Judices ad novem fere milliaria ab hac urbe direxit. Quem cum signis, & magnis resonantibus laudibus susceperunt, & dum urbi pene unius milliarii spatio appropinquasset, universas militiæ scholas una cum Patronis direxit. Dignas nobilissimo Regi laudes omnes canentes, aliosque militiæ doctissimos Græcos Imperatorias laudes decantantes, cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum Regem gloriose susceperunt. Obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces, item signa, sicut mos est Imperatorem, aut Regem suscipere. Ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero Hludovvicus Rex, qua hora sibi sacratissimas Cruces, ac signa obviam advenisse conspexit, alacris factus valde lætatus est. Tunc suo universo cum Populo omnibus Romanis Judicibus, & scholis antecedentibus ad Beatum Petrum studuit properare. Quem antedictus almificus Pontifex in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ eumdem Regem in ipso die Dominico post Pentecostem suo cum Clero expectavit. Conjungente vero eodem Rege universoque gradus ejusdem sacratissimæ beati Petri Ecclesiæ ascendente ad prænominatum propinquavit Pontificem, ubi in atrio super gradus, juxta fores Ecclesiæ cum universo Clero, & populo Romano assistebat. Tunc mutuo se amplectentes tenuit idem Hludovicus Rex dexteram antedicti Pontificis, & in interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas. In quo atrio unus de exercitibus a Demonio arreptus in conspectu Francorum omnium valde vexatus est.* Dei quippe magna providentia factum est, ut eorum unus ad ceterorum ferociam frænandam a Dœmone corriperetur, ut cuncti sacram

cram Romani Pontificis personam revereri discerent, ac ab inferendis in urbe cœdibus, rapinisque abstinerent.

Jesu Chr. an. 844.

Qua cautione Ludovicus a Sergio Papa in urbe receptus fuerit.

7. Qua cautione exceptus fuerit Ludovicus a Sergio Papa deinde narrat Anastasius his verbis. *Tunc almificus Præsul claudi faciens omnes januas B. Petri, atque serari præcepit, & Regi sancto Spiritu admonente sic dixit: Si pura mente, & sincera voluntate, & pro salute Reipublicæ, ac totius urbis, hujusque Ecclesiæ huc advenisti, has mea ingredere januas jussione: sin aliter nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur. Statim Rex ille respondens, dixit, quod nullo maligno animo, aut aliqua pravitate, vel malo ingenio advenisset. Tunc eodem Præsule præcipiente appositis manibus prædictas januas patefecerunt. Et ita in eamdem venerandam aulam beati Petri ingressi sunt, laudem Deo, & ejusdem excellentiæ decantantes universus Clerus, & cuncti Religiosi Dei famuli, extensaque voce acclamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini &c.. Sicque cum eodem Pontifice ipse Rex, simulque omnes Episcopi, Abbates, & Judices, & universi Franci, qui cum eo advenerant ad confessionem beati Petri appropinquantes, se seque pronos ibidem prosternentes Deo nostro omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et data a prædicto almo Pontifice super populum oratione, ab Ecclesia pariter regressi sunt omnes. Postea vero continuis diebus sequentibus omnia suburbana pestifera devastatione compresserunt, agrosque, & segetes, atque prata quasi fulmineus impetus decerpserunt. Dum hæc gerebantur, ipse vero a Deo protectus Pontifex a quibusdam audierat, quod in hanc famosissimam Urbem hospitalitatis causa introire voluissent, sed munitis, clausisque portis, ut fieret minime concessit.* Sergius Papa, atque hoc uno Anastasii loco, quem in dubium nemo revocat, eorum opinio, cui non semel subscribit Muratorius, penitus evertitur, qui tradunt, Romanæ urbis Dominium usque ad hæc tempora Carolum M., Ludovicum pium, ejusque filium Lotharium Imperatores retinuisse, qualemcumque etenim possessionem Lotharius in urbe habuisset. Filius ejus Ludovicus hoc anno in urbem ab eo cum exercitu missus, ut in eam ingrederetur, veniam ab Sergio Pontifice non postulasset, nec ejusdem consensum expectasset, ut vel saltem B. Petri basilicam ingrederetur,

 cui

JESU CHR. AN. 844. cui nonnisi cautione præstita, quod non malo animo advenisset, in eam ingredi licuit, cum Sergii jussu ecclesiæ januæ eidem apertæ sunt, exercitum vero ejus, & milites, munitis clausisque portis, ab urbe omnino exclusit. Etsi iidem *hospitalitatis causa introire voluissent*, ut ait Anastasius, unde factum est, ut Francorum exercitus, ob repulsam exasperatus. *Omnia suburbana pestifera devastatione compresserunt, agrosque, & segetes, atque prata, quasi fulmineus impetus decerpserunt*, atque hæc de integra Romanæ urbis posessione, liberoque dominio Romanorum Pontificum adnotasse sufficiat.

Ludovicus Longobardorum Rex creatur.

8. Nunc reliqua inter Ludovicum, & Sergium Pontificem gesta prosequimur, de quibus hæc iterum Anastasius. *Dominico vero die sequenti, in eadem Principis Apostolorum basilica, omnes Archiepiscopi, & Sancti Abbates, & omnes, qui cum eo venerant Franci sunt congregati, omnesque pariter Romanorum nobiles, & præclari. Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum Hludovvicum Lotharii, Imperatoris filium Oleo sancto perungens, regali, ac pretiosissima coronavit corona, Regemque Longobardis præfecit, cui regalem tribuens gladium illum subcingere jussit. Deinde Missarum celebratione finita, ab Ecclesia omnes cum Rege lætantes regressi sunt. Deinceps vero per dies singulos, conflictum summi certaminis cum sanctissimo Præsule, omnibusque Episcopis, & Optimatibus nostris, atque Proceribus ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superius memoriam fecimus, commovebat tam ipse, quam omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui cum eo contra hanc universalem, & caput cunctarum Ecclesiarum Dei sine Metropolitani concessione, atque vocatione convenerant, idest Gregorius Archiepiscopus ecclesiæ Ravennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Mediolanensis* cum ceteris ex tota Italia Episcopis ibidem congregatis, numero viginti, qui ob Ludovici ad urbem adventum, vel a Sergio Papa vocati, vel sponte advenerant, quorum nomina ibidem, & sedes recensentur.

De Romani Pontificis electione cum Galliæ Episc. dissident Episcopi Italiæ.

9. Qua autem de causa cum Sergio Papa, *& cum Episcopis, & Optimatibus nostris*, seu Italiæ, per singulos dies confligeret Drogo Archiepiscopus Metensis ecclesiæ, etsi Anastasius siluerit, non alia tamen de causa, nisi ob Pontificis Sergii electionem hæc dissidia excitata fuisse scimus,

mus, eo quod scilicet, Sergius Papa, nec petito Imperatoris Lotharii consensu, aut expectata missorum suorum præsentia electus, & ordinatus fuerat, hinc ne imposterum id fieret, Lotharii nomine id Drogonem jussisse adnotat ad hunc annum Annalista Metensis, & post eum Sigebertus. *Gregorius Romanæ ecclesiæ Pontifex decessit, cui Sergius succedens in eadem sede substituitur, Quo in sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Ludovicum cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos, ne deinceps decedente Apostolico, quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes. Qui Romam venientes honorifice suscepti sunt, peractoque negotio Ludovicum Pontifex Romanus manus unctione in Regem consecratum cingulo decoravit. Drogonem vero Episcopum sui Vicarium Galliarum, Germaniarumque partibus designavit.* Hinc morem olim usurpatum, & ultra centum annos obliteratum, ex Romanæ ecclesiæ concessione, ait Cennius, ut nonnisi ex Imperatoris consensu, & præsentibus missis Imperialibus Romanus pontifex consecraretur, tunc renovatum fuisse ait, ubi pro more ibidem, alibique, de vario in Romani Pontificis electione ritu antiquitus usurpato, plurima adnotat.

Romani fidelitatem Lothario Imp. promittunt.

10. Interea etsi Drogoni, Francorumque conatibus Sergius Papa restitisset, amico tamen animo eos discessisse adnotat Anastasius, ac addit, Romanis prohibuisse Sergium, ne Ludovico Regi fidelitatem promitterent, quam quidem ut Lothario Imp. renovarent, permisit. *Divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi Pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nullus sermone eum concludere, vel constringere potuisset. Quod videntes omnem iram, atque ferocitatem, quam mentibus observabant, omni modo deposuerunt. His igitur peractis a prædicto postulaverunt Pontifice, ut omnes Primates Romani fidelitatem ipsi Ludovico Regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Pontifex nequaquam fieri concessit, sed sic orsus est illis: Quia si vultis, Domino Lothario magno Imperatori hoc Sacramentum, ut faciant solummodo consentio, atque permitto. Nam Hludovico ejus filio, ut hoc peragatur nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas consentit. Tum demum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Archiepiscopi,*

JESU CHR. AN. 844. *scopi, atque Episcopi; stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum, ac Francorum Optimatibus fidelitatem Lothario magno Imperatori semper Augusto promiserunt*. Quo uno loco, ut ab Muratorio, Pagio, aliisque adnotatum est, erraise Baronium constat, dum falsi arguit Anastasium, eo quod scripserit, ab Sergio Papa in Regem Longobardorum coronatum fuisse Ludovicum, quem Baronius Imperatorem, Adonis auctoritate deceptus, dictum & coronatum fuisse scribit, cui etiam Frodoardus in fragmento de Romanis Pontificibus seculo 3. Benedictino parte secunda recitato adversatur, ubi eadem fere de gestis Sergii Papæ cum Ludovico narrat quæ Anastasius adnotat, ac Regem coronatum fuisse addit hoc versu.

Papa tuens urbem immanem, Regemque coronans &c.

Ebbo, & Bartholomæus ad laicam communionem admittuntur.

11. *Post hæc vero*, subdit Anastasius, *Ebbo quidam, & Bartholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis privato honore ab ecclesia fuerant expulsi, a sanctissimo Pontifice postulabant, ut eos reconciliare, ac pallium iis tribuere dignaretur, quos etiam idem Præsul nec communionem inter clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberet*. His addit Siginulphum quoque Beneventanum Ducem Romam eo tempore advenisse, eumque ab Ludovico Rege honorificentissime exceptum, cuncta, quæ petierat, ab eo obtinuisse, idest Beneventani Ducatus confirmationem, aureis centum millibus oblatis, ut his verbis indicat Annalista Bertinianus. *Sigenulphus Beneventanorum Dux, ad Lotharium*, seu potius ad Ludovicum, *cum suis omnibus, sui deditionem faciens, centum millium aureorum mulcta sese ipse obnoxium fecit*. Minorem medietate summam promisisse narrat Enchembertus, quæcumque fuerit auri, argentive summa, ex monasterii Cassinensis deprædatione eam fuisse, anno proximo diximus, & ne irreligiosus Romanis videretur. *Ardenti pectore*, ait Anastasius, *desiderabat Siginulphus videre Pontificem, & ab eo benedictionem accipere, quem Præsul cum suscepisset, solo prostratus, prætiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, & ab eo benedictione suscepta, ab ejus conspectu, alacriter Deo gratias referens, regressus est*. Non sine ma-

maximo tamen Romanorum damno, tam illustrium peregrinorum adventum fuisse indicat Anastasius. Nam *Cum simul Franci, Longobardi, ac Beneventani congregati fuissent, facta est ingens multitudo, ita ut ex omni parte Roma circumdata videretur, quorum multitudine omnia sata deleta sunt &c.* Quare his finitis. *Ipse excellentissimus Ludovicus Rex, ampla cum lætitia Papiam reversus est*, ubi ab exordio Principatus *sui culmen tenebat. Tunc vero læti omnes*, Romani scilicet ob hospitum discessum, *cum conjugibus, & liberis, Senatus, populusque Romanus, ingenti peste liberati, & jugo tirannicæ immanitatis redempti, sanctissimum Sergium Præsulem, velut salutis auctorem, ac restitutorem pacis venerabantur. Ille tamen non suæ virtuti, rem gestam, sed divino muneri deputabat.* Atque hæc hactenus de Ludovici adventu Romæ, deque gestis ejus, & reditu.

Sergii epist. ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ.

12. Inter cetera ab Sergio Papa cum Ludovico, & Drogone Archiepiscopo gesta, hunc Romanæ sedis vicarium per Gallias, & Germaniam destinasse diximus, cujus rei testis extat ejusdem epistola ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ, seu Transalpinos, qua narrat, se ubique esse non posse. *Ad nostræ humilitatis vicem cunctis provinciis trans Alpes, constitutis Drogonem Archiepiscopum Metensem, gloriosi quondam Caroli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum, Francorumque concorporavit imperium, cauta deliberatione constituimus. Ut quia serenissimi atque piissimi filii nostri magni Imperatoris Lotharii, ejusque fratrum dilectissimorum filiorum nostrorum Hludovici, & Caroli regum avunculus est, insuper sanctitate doctrinaque conspicuus, ab hac sede sanctissima Apostolorum principis auctoritate percepta, vestris necessitatibus vice nostra idoneus ubique minister existat. Et quia omnium vestrorum sollicitudinem illi gerere præcepimus, omnium volumus obedientia comitari.* Quare ut in omnibus eidem parerent, & ad Synodos vocati prompto animo conveniant, hortatur, salvo tamen, ut ait, Primatus sui honore, & ad Apostolicam sedem recursu & appellatione, quotiescumque dissidii aliquid inter eos intercesserit.

Alphonsus Legionis Rex moritur, cui Ramirus succedit.

13. Cum ad ultimam senectutem Ramirus Legionis in Hispania Rex pervenisset, hoc, vel proximo anno, vivere desiit, successoremque habuit Ramirum alterum qui Regnum ab Sarace-

Jesu Chr. an. 844. racenorum jugo a prædecessore suo maxima ex parte ereptum, integrum pene liberavit, dum adversus Abderhamum Saracenorum Cordubensium Calipham pugnans, insignem victoriam retulit, quam cum divinitus potius, & S. Jacobo Apostolo monitore, & auspice, quam militum virtute, vel numero se obtinuisse sciret, Regnum suum S. Jacobo vectigalem fecit, ut ex Tudensi pluribus referunt Ambrosius Morales, Mariana, ceterique rerum Hispanicarum scriptores. Cum etenim quadam die victus Ramirus, in montem cum suis recessisset, de victoria non solum, sed & de exitu, utpote a Saracenis obsessus., fere desperaret, Ramiro in somnis paruit B. Jacobus Apostolus, eumque ut bono animo esset hortatus, victoriam sequenti die de Seracenis habiturum prædixit, qua visione confortatus, prœlium instauravit, nulloque negotio Saracenos vicit, fugavitque, ut ibidem videre est.

Bernardus Marcæ Hispanicæ Præfectus occiditur.

14. Hoc etiam anno Bernardus sancti Villelmi Comitis filius Marcæ Hispanicæ Præfectus, seu dux Septimaniæ Caroli Calvi jussu occisus est, sive quod Pippino palam in Aquitania faveret, sive eo quod tirannidem affectaret, ut Annalista Bertinianus his verbis ad annum 844. insinuat: *Bernardus Comes Marciæ Hispanicæ jamdudum grandia moliens, summisque inbians, majestatis reus, Francorum Judicio, jussu Caroli in Aquitania Capitalem sententiam subit*. Ex uxore *Dodona* duos relinquit filios, ut ipsemet testatur in suo Manuali a Mabilonio Sæc. IV. Benedict. part. 2, inter Monumenta historica publicato, ex quo etiam liquet Vvilelmum Bernardi filium majorem natu, hoc anno annum ætatis 18. egisse. Hic porro patris mortem ulturus, Pippini auxilio Tolosam intercepit, quam Carolus Rex statim obsidione cinxit, qua obsidione durante, atrox inter utrumque exercitum prœlium commissum est, cujus Annalista Metensis ad hunc Christi annum mentionem facit. *Pippini duces*, *inquit Karoli exercitum superant* VII. *Idus Junii. In quo prælio ceciderunt Hugo Abbas, patruus Karoli, & Ribtbodo Abbas, Raban quoque signifer, cum multis Nobilibus*, eadem fere Annalista Fuldensis, & Bertinianus, qui addidit. *Hugo Presbyter, & Abbas filius Caroli M. Imp. & consobrinus Lotharii, Ludovici, & Caroli Regum, nec non Aichertus Abbas & ipse*

ipse consobrinus Regum, nepos videlicet Caroli Imp. ex filia cum aliis plurimis interfecti sunt. De Hugone abbate plura in ejus vita apud Mabillonium sæculo tertio Benedictino parte prima videri possunt. Prælio Lupus etiam Ferrariensis anno 842. ordinatus adfuit, atque ex eo incolumis vix evasit, ut idem in Epistola ad Marcuardum Pruniensem abbatem, qui cum eo de suo reditu in monasterium gratulatus fuerat, his verbis narrat. *In Aquitanica congressione, manifesta morte liberatus, post captivitatis molestias, solutus utroque periculo, ingenti Dei gratia, cui maxime confidebam, & sanctorum ejus, beneficio præterea cujusdam Turpionis ereptus, integra valetudine ad monasterium tertio nonas Julii remeavi &c.* cum Marcuardo de ejusdem reditu ab itinere Romano, ac de acceptis ab Sergio Pontifice reliquiis SS. Chrysanthi, & Dariæ gratulatur. *Ego vicissim, inquit, fratresque omnes de vestra tam fructuosa reversione maxima lætitia gratulamur, & Domino Deo nostro gratias ingentes referimus, quod non solum vestram excellentiam nobis restituit, verumetiam vestro labore, duplex patrocinium sanctorum providit &c.* idest B. Chrysanti, & Dariæ, de quorum translatione pluribus agit Mabillonius in Annalibus sui ordinis lib. 33. pag. 649.

JESU CHR. AN. 844.

15. Interea Vilhelmus patris obitu exasperatus infaustum sibi, nominique christiano fœdus, cum Abderamane Cordubensium Saracenorum Rege iniit, ut Eulogius Cordubensis indicat in epistola ad Vilesindum Episcopum Pampilonensem a Baronio hoc anno recitata, scripta erat. 889. seu anno Christi 851. in qua hæc narrat. *Beatissime pater, cum dira sæculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum, & Isidorum a genitali solo abducens pene in interiores togatæ Galliæ partes apud Hludovicum Bajoariæ exulare fecit, me etiam propter eos diversas adire regiones, & ignota atque laboriosa itinera subire compelleret, quoniam stipata prædonibus via & funeroso quondam Vulehelmii, tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversus Carolum Regem Francorum eo tempore auxilio fretus Habdurraghmanis Regis Arabum tirannidem agens, invia, & inadibilia cuncta reddiderat: ad partes Pampilonenses diverius, putaram me cito inde migraturum. Sed ipsa iterum, qui Pampilonam & Seburicos limitat Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli contumaciores cervices, factionibus Comitis Sonctii Sancionis erigent,*

Vilelmus Septimaniæ dux cum Saracenis fœdus init.

Jesu Chr. An. 844. *gens, contra jus præfati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat &c.* Cetera quæ ibidem Eulogius narrat sive de rebus suis, sive de persecutione a Mauris in christianos excitata, suo loco reservamus, ad annum scilicet 851. quo eadem epistola scripta fuit.

Concilium ad Theodonis villam.

16. Reintegrata vero inter Ludovici filios pace, ad restaurandam ecclesiæ disciplinam, & libertatem, civili bello labefactatam, duo in Galliis concilia hoc anno celebrata sunt, quibus tres fratres Reges adfuerunt, ac initam inter se concordiam se servaturos promiserunt. Primum ad villam Theodonis habitum est, ut synodi titulus indicat, his verbis *Capitula, quæ acta sunt in synodo secus Theudonis Villa habita in loco, qui dicitur Judicium, quando tres fratres gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludovicus & Carolus simul convenerunt, anno v. Regni Caroli, cui Synodo Drogo Metensis Episcopus præsedit consensu eorumdem Regum: quæ & ipsi Principes ante se fidelesque eorum relecta Capitula approbarunt, & se eadem servaturos auxiliante Domino promiserunt mense octobri indictione septima.* Ex universa autem Francia, quæ tribus regibus Ludovici filiis subjiciebatur, hæc synodus congregata fuit, eique præfuit Drogo Metensis Episcopus, cui etiam vices suas ab Sergio Papa delegatas fuisse supra hoc anno diximus, de qua synodo, hæc narrat Bertinianus annalista. *Interea fratrum Lotharii, Ludovici, & Caroli alternatim fraterno affectu, legatis multifariam discurrentibus mense octobri, iidem penes Theodonis villam conveniunt. Habitoque diebus aliquot amicabili pernecessarioque conloquio inter se, fraternitatis & caritatis jura imposterum non violanda confirmant. Omnes quoque discordiarum satores cauturos sollicitius, execraturosque, & statum Ecclesiarum imminentibus necessitatibus fœdissime rebus dilaceratarum, ac personis minus congruis, idest Laicis vulgo contraditum redintegraturos sese promittunt. Unde & ad Pippinum Landertum atque Nomenogium* (idest Nomen ojum, Minoris Britanniæ ducem) *pacis gratia Missos pariter destinant, ut fratri Carolo, obedientes fideles de cætero permansuri occurrere non differant. Sin alias eis tempore opportuno viriliter conglobati, eorum infidelitatibus ulciscendis se interminando profecturos pronunciant,*

ciant, atque capitibus sex editis, ut Sacerdotalis, & Monachalis ordo in pristinum restitueretur splendorem, mutua exhortatione, se invicem Reges, Episcopi, & Proceres excitarunt, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 844.

Concilium Vernense.

17. Concilium alterum Vernense dicitur, utpote habitum *in Verno Palatio, cui Ebroinus Pictavorum Episcopus*, qui & Palatii Archicapellanus erat, præfuit, & *Venilo Senonensis, nec non, & Ludovicus S. Dionisii Abbas, & Hincmarus post Remorum Episcopus, anno quinto Regni D. N. Caroli filii Ludovici Imp. Mense Decembri indict. 7.* Vernensis hujus concilii canones duodecim extant, quorum auctor fuit Lupus Ferrariensis Abbas, ut ex Epistola 42. ad Hincmarum Episcopum data colligitur, ubi de illis loquens *Canones eosdem, sive ut vos vocatis Capitula meo stilo tunc comprehensa vobis direxi, de quorum æquitate, credo, ætas posterior judicabit, & devotionis meæ non erit immemor cordium renumque scrutator*. Canon undecimus his verbis conceptus est. *De prælatione reverendissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quam maximus cogi potest, Galliæ, Germaniæque Conventum, & in eo Metropolitanorum, reliquorumque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere, nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, si quid tamen alicui committi potest, & non alia, quam quæ prætenditur, latet causa, illi potissimum convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur*. Post mortem S. Bonifacii, quæ anno 755. contigit, nullus in Gallia, ac Germania Legatus Apostolicæ Sedis fuerat, per annos nonaginta. Hinc contigit, ut Galliarum Episcopi dignitatem legationis sedis Apostolicæ ab Sergio Papa Drogoni collatam ægre ferrent; Hincmarus in Epistola 44. cap. 30. testatur, Episcopos Gallicanos huic legationi restitisse irritamque reddidisse. *Quod affectu ambiit*, inquit Hincmarus de Drogone, *effectum non habuit, & quod efficaciæ usu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, tolleravit, ne scandalum fratribus Consacerdotibus generans, Schisma in Sanctam Ecclesiam introduceret. Quem tantæ generositatis, ac dignitatis virum quisque nostrum imitari debuerat, ut indebite appeteret, quod non habebat, qui sine contentione non exequi pertulit, quod ad*

Jesu Chr. an. 844. *eptus fuerat*. Vernensis autem synodi canonibus, cautum est, ut Remensi, & Aurelianensi ecclesiis pastoribus viduatis, succurreretur, ac digni in iis præficerentur Episcopi. Regii autem officiales, & administri admonentur, ut scelerum patratores, & ecclesiasticæ disciplinæ contemptores, dignis suppliciis afficiant, & ut tandem raptores, detentoresque bonorum ecclesiæ coerceant. At de his, aliisque pro ecclesiarum utilitate & incolumitate statutis, plura ibidem videri possunt.

Caroli Regis privilegium pro Hispanis.

18. Suam quoque hoc anno pietatem commendavit Carolus Rex, dum Avi sui Caroli M. & Ludovici patris exemplo, privilegium immunitatis, aliaque beneficia iis concessit, qui Saracenicum jugum aufugientes, in Septimaniam, vel Tolosatum ducatum transibant. *Notum sit*, inquit, *omni sanctæ ecclesiæ fidelium atque nostrorum, præsentium scilicet, & futurorum in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, sive Hispaniæ consistentium, quia progenitorum magnorum nostrorum, orthodoxorum Imperatorum, avi videlicet nostri Caroli, seu genitoris nostri Augusti Luduvici auctoritatem imitantes, Gothos sive Hispanos, inter Barcinonam famosi nominis civitatem, vel Terracium Castellum &c.* Atque iis eadem privilegia alias concessa confirmat, ac datum dicitur diploma. *Tertio idus Junii anno quarto, regnante Carolo glorioso Rege, actum in monasterio S. Saturnini prope Tolosam*.

Translatio corporis S. Theodori Studitæ CP.

19. De rebus autem in Oriente hoc anno gestis, hoc unum adnotamus, quod cum annus decimusoctavus ab obitu S. Theodori Studitæ excurrisset, solemni pompa, ejusdem corpus CPoli translatum fuit, ut in ejus vita narrat Michael Studita, his verbis. *Quoniam sacrum ipsum sanctumque corpus præcipuo quodam honore affici par erat: post annos 18., cessante jam adversus Ecclesiam bello, quod postremum Theophilus excitarat: in Regiam urbem clara & celebri pompa devehitur, illustri Methodio, piaque Theodora illud ab insula exportantibus, atque in Studii monasterio collocantibus, in quo & magni Platonis, & beati quoque Josephi dives arca pariter asservatur. Quod cum inferretur, divinus ipse Patriarcha, Clerusqueuniversus cum ingenti monachorum, ac populi multitudine cum facibus, varioque suffitu extra urbem obviam euntes, supinis manibusillud excipientes, salvum, inte-*

te-

tegrum, sanumque ac miro fragrans odore repererunt, laudemque Deo omnium Regi referentes, in Patrum thorum intulerunt &c. ac die 26. Januarii piissima Theodora Augusta providente, solemniter a Methodio Patriarcha reconditum fuisse narrat auctor vitæ S. Nicolai Studitæ apud Bollandum die quarta Februarii. Is quippe tanto viro honor debebatur, ut qui pro sanctarum imaginum cultu ad agonem usque, & martyrium certaverat, debebatur, inquam, ut restituta jam sacris imaginibus veneratione, & cultu, eo honore, & reverentia prosequeretur, ut qui spiritu in Cœlo receptus triumphaverat, in terra quoque triumphum ageret.

Translatio corporis S. Nicephori CPolim.

20. Materiæ affinitas exigit, ut hoc loco de translatione corporis S. Nicephori Patriarchæ olim. CPolitani, ac fidei confessoris, ex loco ubi in exilio obierat, in Regiam urbem agamus, etsi hæc translatio Martio ineunte sequentis anni contigerit, quadriennio postquam sacris imaginibus debitus honor & cultus restitutus fuerat, ut narrat Presbyter in oratione panegyrica ad populum CP. tunc habita, ubi inter cetera hæc occurrunt. *Quadriennio post a restitutione scilicet facta sacrarum imaginum, sacratissimus Methodius divino plenus spiritu impulsus opportune sapienterque divinam Theodoram admonuit Imperatricem, non esse ex Imperii, & Reipublicæ dignitate, quod venerandus & inter Patriarchas illustris Nicephorus, qui pro gloriosæ sinceræque fidei defensione a sacra sede depulsus in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur.* Cum consilium Methodi pia Imperatrix probasset, Methodius cum clero, & populo ad Theodori Templum accessit ubi Nicephori reliquiæ jacebant, easque elevatas cum luminibus, & frequenti psalmorum cantu in navem ad hoc paratam detulit, ac freto trajecto per mediam urbem transiens, in Sanctorum Apostolorum templo collocavit, ut longa oratione idem auctor prosequitur, cujus ibidem laudes recenset, ut apud Baronium, aliosque videre est.

JESU CHRISTI AN. 845. SERGII 2. PAPÆ AN. 2. LOTHARII IMP. 6. THEOPHILI IMP. 4.

Manichæos undique Theodora Imp. exagitat.

1. Restituta jam in urbe Regia, totoque fere Orientali Imperio catholica fide, redditoque sacris imaginibus cultu, ad expurgandum a ceteris sordibus Orientale Imperium Theodora Augusta animum convertit, ac Paulicianos, seu Manichæos, in quorum sectam, tamquam in vastissimam latrinam, omnium fere hæresum sordes transierant, ex toto Imperio exturbare curavit, quos dum ad internecionem usque persequitur, Romano Imperio infestos, hostesque reddidit, ut Curopalates, Porphirogeneta, aliique narrant. *Paulicianos quoque per Orientem conatur*, Theodora, *ad veram transferre fidem, sin minus extirpare ac de medio tollere*, ait Porphyrogoneta, *quæ res ingentibus malis Romanum Orbem implevit. Mittit illaque in eam rem Procerum quosdam ac Magistratus. Erant illi, Algiri Ducisque filii, & sodales. Hi alios in crucem agebant, alios gladio cædebant, alios mari profundo mergebant. Sublati ad centum millia ejusque generis suppliciis publicata substantia ac fisco illata.* His subdit Porphyrogeneta, Carbeam Manichæum cum quinque millibus ejusdem religionis *ad Militinæ Amerem* idest Præfectum, transisse, *indeque ad Ameramnunem*, idest Calipham Saracenorum, profectos, communibus studiis Romanam ditionem invasisse, Urbes tres condidisse, & multas clades Romanis intulisse, quod fusius Baronius num. 9. & seqq. ex Curopalate narrat. Urbes vero tunc conditæ sunt Argaunum ut Cedrenus pag. 541. seu Argaum vel Argeum *Amare, & Tephrica &c.* Hæc, & alia de his Porphyrogeneta, quem Curopalates, Cedrenus, aliique exscripserunt, hisque Bulgarorum conversionem ad fidem catholicam præmittunt, hæc tamen longe post, & remota jam ab Imperii administratione Theodora, accidisse adnotat Pagius not. 2. & 3. ad annum labentem 845. dumque igne, ferroque undique per Orientem Pauliciani, & Manichæi exagitarentur, quadraginta illustres viri, quos Saraceni anno 836 in Amoriensi deprædatione captivos hactenus detinuerant, pro catholica fide certantes, illustrem martyrii coronam promeruere, quorum præcipui Theodorus cognomento Eraterus, Con-

Constantinus, & Drungarius Theophili olim Imp. exercitus duces, de quibus Porphyrogeneta, & Simeon Logotheta in vita Theophili Imp. narrant, eos carceris molestias septennio patienter tolerasse, *Tantis obsitus tenebris locus erat sicque arcta custodia tenebantur, ut nec alto meridie, lucis quidquam eis splendesceret. Una vox erat, qua alter alterum dignoscebat: nulla eis cum aliquo præterquam cum custodibus consuetudo: cum aliis penitus sublata, nec aliter quam in altissimo eremo vitam agebant. Tantis malis ad annos septem conflictati sunt*, inquit Porphyrogeneta. Qui addit, *quinta Martii* Boiditzem a Christo apostatam in carcerem venisse, & Constantinum virum studiis sapientiæ educatum, ut a fide Christiana deficeret, irrito labore sollicitasse, dieque insequenti, cunctis eorum constantiam mirantibus, morte affectos fuisse. Quorum memoria in variis Græcorum Menœis, a Bollando ad diem VI. mensis Martii insertis recolitur. Horum martyrum acta ab Evodio quodam digesta ex tribus Mscriptis Codicibus vulgavit Bollandus die 6. Martii, eaque fide digna censuit. Fabulatorem tamen Græculum sequioris ævi eorumdem compilatorem fuisse, non immerito adnotat Pagius, in quibus diu immorari, instituti nostri ratio, aut brevitatis studium non patitur.

Concilium Bellovacense.

2. Quo magis Francorum Reges, & Galliarum Episcopi ecclesiasticam ibidem disciplinam instaurare conabantur, iis in regionibus eadem in deterius prolabi videbatur, ut frequentia ibidem concilia celebrata nos docent. Duo quippe ibidem anno proximo concilia habita fuisse diximus, duo quoque hoc anno iterum celebrata fuisse scimus, quorum primum Bellovacense fuit, de quo hæc Flodoardus in vita Hincmari Remensis Archiepiscopi: *Anno Dominicæ incarnationis* 845. *Carolus synodum Episcoporum regni sui apud Bellovacum civitatem Rhemensis provinciæ convocavit*. In ea *Hincmarus* SanDionysianus Monachus Episcopus Rhemensis electus est, cum sedes jam a decennio per *Ebonis* depositionem vacasset. Adfuere *Wenilo* Senonensis Archiepiscopus, *Erchanradus* Parisiensis, *Hincmarus* Rhemensium Archiepiscopus designatus, & octo alii Episcopi. Condita in eo octo Capitula, quæ *Carolus* Rex, se religiose observaturum promisit. Referuntur ea tom. 7. Concil. pag. 1812. Ex Epistola Hincma

JESU CHR. AN. 845. mari ad Carolum Regem, edita tom. 2. Operum ejus pag. 316., constat, Concilium Bellouacense *mense Aprili* congregatum fuisse; Idem Hincmarus in hoc Concilio Archiepiscopus Rhemensis electus, die tertia mensis Maii, in quam hoc anno Dominica cadebat, ordinatus fuit, ut legitur in brevi Chronico Rhemensi apud Labbeum tom. 1. bibliothecæ sacræ.

Concilium Meldense capitula 80. ex aliis synodis vulgat.

3. Celebrius adhuc fuit Concilium Meldense Kal. Julii hoc anno celebratum, quo canones octoginta ab aliis synodis olim vulgati, iterum promulgati sunt, & ut executioni mandarentur, Episcopi ibidem congregati, Venilo Senonensis, Hincmarus Rhemensis, & Rodulphus Bituricensis Metropolitæ cum suffraganeis suis, jusserunt. Cum etenim immensis malis hactenus affligerentur Galliarum provinciæ, Episcopi in unum congregati, perversos cleri, populique mores, bonorumque ecclesiarum rapacitatem tantorum malorum causam fuisse confessi sunt, ac ut præcedentium conciliorum canones, de vita clericorum honeste agenda ut vulgarentur jusserunt, ut in præfatione testantur, ubi postquam Sacerdotalis officii esse adnotarunt, ingruentia vitia ex hominum fragilitate, vel malitia, in clero, & populo emendare, subdunt, jam a temporibus Ludovici Augusti cum ecclesia diversis & adversis cœpisset vexationibus fatigari, crebris admonitionibus cujuslibet conditionis homines, ut vitam in melius mutarent Episcopi admonere non destiterunt, at frustra hæc hactenus tentata fuisse addiderunt. Quare ut canones editi in synodis, vel capitula olim in conventibus vulgata iterum vulgarentur, præceperunt. Hinc cum graviora ex Normannorum irruptione, hoc eodem anno paterentur. *Et quia sicut necesse fuerat, divinis jussionibus non est secuta obedientia, dedit Dominus ab Aquilone, unde (juxta Prophetam) pandetur omne malum: dignos meritis nostris Apostolos, crudeles scilicet, & immanissimos Christianitatis persecutores Northmannos, qui usque Parisios venientes, quod jussit Dominus, demonstrarentur; quorum actus Domini sacerdotes, ut prævenerant ex ore Domini, sermone sunt etiam subsequuti. Sed & inde Bellouacum civitatem venientes, quæ ex Domini voluntate cognoverunt, & verbo & scripto nullatenus siluerunt. Tandem autem, grassante iniquitate, atque elongasse se optata atque*

atque optabili pace, non solum a medio nostri, verum (quod est lugubrius) a finibus nostris: perspicientes etiam divinam misericordiam, quæ potissimum in tribulatione suis fidelibus consueverat semper adesse, tot miserorum gemitus, tantasque lacrymas, & pene intolerabiles, & in hac Regni dumtaxat parte, inauditas afflictiones, & horribiles calamitates, surda, (ut dici fas est) aure justo judicio præterire: ob hoc justæ indignationis divinæ complangendum supplicium, & Ecclesiæ Christi devoto pectore tractandum negotium, præsulum quoque & sequentis Cleri correctionem, & Regis, & Regni salubritatem atque stabilitatem, & populi, auctore & fautore Domino, procurandam salutem, venerabiles Episcopi Vvenilo, videlicet Senonicæ sedis Archiepiscopus cum suffraganeis suis, Hincmarus quoque sanctæ Metropolis Ecclesiæ Rhemorum Episcopus cum Coepiscopis suis, & Rodulphus Bituricæ civitatis Archiepiscopus, cæteris etiam dominis sacerdotibus Legatis, vel scriptis suam præsentiam exhibentibus, in Meldensem Ecclesiam de suis civitatibus convenerunt, ibique secundum synodalis ordinis censuram residentes, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo quadragesimoquinto, piique Regis Caroli succrescentis feliciter sexto, cujus consensu, suo divino nutu illuc conventum est decimoquinto Kal. Julii.

JESU CHR. AN. 845.

4. Hæc autem hoc anno cœpta, anno sequenti effectum sortita sunt in Parisiensi synodo. Unde in eadem præfatione, hæc leguntur. *Quia post mox absolutam synodum, nec admonitionis Episcopalis congruentia, variis eventibus præpedita, potuit subsequi, nec monitionis efficacia promereri, prædicti venerabiles Episcopi*, qui Meldis convenerant, *una cum æque venerabili Guntboldo Rothomagensi Archiepiscopo cum Coepiscopis suis, consensu supradicti Caroli Regis, anno Incarnationis Dominicæ* 846. 16. *Kal. Martias, Parisios convenerunt, & cœptum divinum negotium pertractantes, ut ad perfectionem debitam, propitiante Domino perduceretur, satagere studuerunt &c.* Hæc, & alia ibidem, quæ anno sequenti in synodo Parisiensi statuta sunt, quæ cum Meldensis synodi hoc anno celebratæ appendix dici possit, hoc loco eadem adnotanda censuimus. Sequuntur hæc canones octoginta, quibus quæcumque ad ecclesiarum cultum, decorem, immunitatem, & privilegia pertinent, fi-

Synodus Parisiensis reformationem in clero, & populo jubet, ac canones 80. vulgat.

Jesu Chr. an. 845. delium oculis subjiciuntur, & ut Episcopis, ceterisque ecclesiastici ordinis personis, debitam obedientiam, & reverentiam exhiberent, ut Regiæ etiam potestati, tamquam a Deo ordinatæ cuncti subjacerent, admonentur. Ac de Episcoporum moribus, conversatione, officiis, sicuti etiam Presbyterorum, aliorumque inferioris ordinis clericorum multa adnotantur. Nec ea præterierunt, quæ ad monasticam in utroque sexu vitam pertinent, eorum precipue quieti, incolumitati consulentes, graviter deplorantes, quod secularibus viris monasteria traderentur, ut monachis tamquam Abbates præessent, ac monasteriorum bona diriperent, non sine maxima tum monasticæ vitæ relaxatione, cum monasteriorum ruina, & excidio. In raptores, invasoresque bonorum ecclesiæ, vel in violatores immunitatis ecclesiasticæ, prophanatoresque ecclesiarum quamplurima addunt, atque hæc tot cladium præcipuam causam fuisse non immerito adnotant. Hinc capite 40. hæc ingerunt. *Admonenda est etiam Regia magnitudo, ne hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum, & ordinata & exculta fuerant, & modo ad nihilum sunt redacta, sed & hospitalia Scotorum, quæ sancti homines illius gentis in hoc Regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata, & non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi, qui ab infantia in iisdem locis militaverunt, ex iisdem eiiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur.* Cum etenim frequentes ex Anglia, & Scotia tunc essent ad Apostolorum limina peregrinationes, Scotorum nonnulli ad contribules suos in via excipiendos hospitalia erexerant, quæ non sine Scotorum etiam injuria, Gallorum potentiores invaserant, ab ipsis autem Regibus inchoandam esse correctionem non immerito adnotavit Hincmarus Rhemensis, quæ si negligatur, irritum eorum laborem futurum fore adnotat. Et quasi hæc statuta ad rem perficiendam satis non essent, c. 70. hæc etiam adddiderunt. *Ut capitula ecclesiastica a Domno Carolo M. Imp., nec non & a Domno Ludovico pio Augusto promulgata obnixe observari præcipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur*, idest ut eadem sollicitudine, qua statuta circa politicum Regni statum observabantur, eadem quoque servarentur, quæ ecclesiæ dignitatem, personasque spectabant.

6. Ca-

Jesu Chr. An. 845.

Andegisus Abbas capitularia vulgat, ejus obitus.

5. Caroli M., & Ludovici pii capitularia, jam antea seu anno 827. vulgaverat Andegisus Fontanellensis Abbas vir pietate, & doctrina celebris, ac in quatuor libros digesserat, quibus tres addiderat appendices, nonnulla prætermissa addens. *Anno Incarnationis 827. Indict. 5. anno vero 13. Imperii gloriosissimorum Principum, Domni Ludovici pii, christianæ religionis magni propugnatoris, & Lotharii Cæsaris filii ipsius*, ait idem Andegisus in præfatione, qui jam ante hæc tempora obierat, de cujus obitu, hæc adnotat auctor chronaci Fontanellensis. *Recessit Domnus Andegisus Dominica illucescente die 13. Kal Augusti* seu die 20. Julii anni 833. ut adnotat Pagius not. 16. ad hunc annum. Quia vero in sua capitularium collectione multa prætererat Andegisus, alteram pleniorem, circa hæc tempora vulgavit Benedictus levita, seu Diaconus ecclesiæ Moguntinæ, eamque tribus libris distributam Ludovico, Lothario, & Carolo Regibus obtulit, ut his verbis in præfatione testatur. *Et quæ ille*, idest Andegisus, *aut invenire nequivit, aut inserre fortasse noluit, & illa, quæ postmodum a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & Pippini, & Caroli, atque Ludovici didicimus in jam dictis libellis minime esse inserta: pro Dei omnipotentis amore, & sanctæ Dei ecclesiæ, & servorum ejus, atque totius populi utilitate fideliter investigare curavimus, & in tribus subsequentibus libellis distincte cum titulis suis coadunare, ac Ludovico, Lothario, atque Carolo nobilissimis Regibus, filiis videlicet Ludovici piissimi Imp. habenda, & omnium Christianorum fidelibus tradenda, scribere non distulimus: ut scirent qualiter juxta normam avi, proavi, ac genitoris, secundum Domini voluntatem, sicut & illi fecerunt, Clerum, & populum sibi commissum, Domino opem ferente, regere mererentur*. Et in carmine dedicatorio, post laudes dictorum trium prædecessorum Pippini, Caroli, & Ludovici, hæc ad tres successores, quibus eosdem offert libros, his versibus idem auctor hæc adnotat.

Nos quibus illa tenent terni quæ jura libelli
Obtulimus scripta semper habenda tibi.
Quorum norma docet jugiter nos vivere recte,
Et studiis Domino rite placere piis.

Jesu Chr. an. 845.

Namque patrant multi funestas saepe rapinas:
Nonnulli violant templa dicata Deo.
Sunt alii scelerum foedati labe suorum,
Fistula quos omnes connumerare nequit.
Sed cohibet tales legum censura sacrarum,
Decretisque vetat ista patrare piis &c.

Utriusque collectionem una cum capitularibus Regum Francorum post alios, auctiorem emendatioremque Stephanus Balutius edidit, de quibus Mabillonius in vita Andegisi, & Benedicti, & auctores historiae litterariae Galliae plura dabunt.

Carolus Rex Rhemensi ecclesiae bona restitui jubet.

6. Nec frustra ecclesiasticorum bonorum restitutionem ab Meldensi synodo imperatam fuisse, ex Caroli Regis diplomate, Hincmaro Rhemensi Episcopo inscripto, scimus, quo bona ejusdem ecclesiae, hactenus vel a se ipso, vel ab aulae Proceribus occupata, restitui jubet, ubi inter cetera haec post praefationem leguntur. *Omnes igitur fideles Dei servi, & nostri sciant, quod hoc nostro mandato, & auctoritatis nostrae edicto in praesentiarum omnia Episcopatus Rhemensis bona in integrum restituimus, quae magna quadam necessitate coacti, dum hic sanctus conventus pastore destituebatur, in commendam ad tempus nostris subditis contulimus, ut nobis servientes, aliquo subsidio temporali gauderent: nos, inquam, restituimus Hincmaro & Esperneum, scilicet Julium, Cormiacum, Capellam, quam Rabanus presbyter possidebat, & omnia singula quaeque bona; quae de hoc Episcopatu Richuinus Comes, Odo, Pardulus, Algarda Abbatissa, Robertus, Amalbertus clericus, Altmarus, Joannes medicus, Rabanus parvus Rathboldus, Goderanus, Hereboldus, Donatus, & Giluinus tenuerunt, & adhuc tenent.* Eademque sive a clericis, vel laicis possessa Rhemensi ecclesiae restitui jubet. Haec in gratiam Rhemensis ecclesiae Carolus, cum in ea Hincmarus Episcopus ordinatus fuisset, cujus etiam aliud extat diploma de persolvendis eidem ecclesiae decimis, datum die 2. Septembris anno regni ejus 8. indict. decima, alterum vero anno Regni decimo, die 22. Maii indict. 13., quo Rhemensis ecclesiae immunitates, & exemptiones praedecessoribus suis concessas, quae ibidem recensentur, Carolus Rex confirmavit.

7. Nor-

De Normannorum irruptionibus in Gallias.

7. Normannorum irruptiones frequentes hoc tempore in Galliis fuisse, supra adnotavimus. Hoc anno cum ingenti navium copia per Sequanam ingressi, Parisios usque progressi, ac inde per Bellovacum civitatem venientes stragibus ubique, incendiis & cœdibus repleverunt, quos tamquam *dignos meritis nostris Apostolos crudeles, & immanissimos Christianitatis persecutores*, immissos fuisse commemorat Meldense concilium hoc anno celebratum, eo quod priorum conciliorum canones sprevissent, ac Episcoporum, sanctorumque virorum admonitionibus, quibus ad corrigendos depravatos cleri, populique mores excitabantur, obduruissent, ut ibidem lamentabili stilo Meldensis concilii Patres enarrant, uti jam supra hoc anno diximus. Nec finem sœviendi iis in regionibus fecere Nortmanni, usque dum concessa iis pinguiori in sinu Galliæ provincia, sedem in ea fixerunt, cui etiam nomen, quod adhuc retinet dederunt, Nortmandia dicta, ex quo tempore cum Gallis sociati, ac christanam religionem amplexi, mansuetiores tandem humanioresque effecti sunt, ut infra dicturi sumus, dc horum irruptionibus hoc, & sequentibus annis in Gallias, plura ad hunc annum, alibique adnotat Pagius, ceterique Galliarum historici, at hæc ad rem nostram adnotasse sufficiet, occasione synodi Meldensis, eo consilio celebratæ, ut populos ad pœnitentiam excitarent, qua tantum Dei flagellum e finibus suis Dei ope propulsarent.

Nortmanni accepto prœtio ad sua redeunt.

8. Interea Carolus Rex, Nortmannorum adventu cognito, cum iis resistere vix posset, subitariis copiis contractis, ad basilicam S. Dionysii confugit, sive quod ad resistendum tutior hic locus esset, vel sanctorum patrocinio securiorem se fore crederet, nec frustra, nam Nortmanni cœdibus, rapinisque jam exsatiati, urbeque Parisiaca direpta, cum variis etiam affligarentur incommodis, & dysenteriæ morbo ita affecti, ut dum quotidie morerentur, nullus evadere posse speraret, ut ait Aimonius, legatos tandem ad Carolum miserunt, petentes, ut prœtio accepto, ad sua securi redire possent, sicque auro accepto se numquam in Gallias, nisi auxiliarios redituros, promittentes ad sua redierunt. *Sed revertentes* ,addit idem auctor, *morbo, quo in prædicta ecclesia*, S. Germani, *percussi fuerant quotidie deficientes, cruciabantur, cruciatique nequissimas mise-*

JESU CHR. AN. 845. *miserabiliter animas expiraverunt, nemine, quos secum habebant, Christianorum hujusmodi plagam sentiente. In quibus omnibus Dei est consideranda potentia, ejusque pietas amplectenda, qui tam misericorditer salvat innocentes, tamque terribiliter, Sanctos suos mirificando, punit profanos.* Subiicit his auctor de reditu reliquiarum S. Germani ad suam ecclesiam, quæ ob Nortmannorum adventum, alibi, ne disperderentur, translatæ fuerant, ac plura de miraculis in utraque translatione factis, ibidem addit Aimonius S. Germani tunc monachus, & testis fidelis, sicuti & alia, quibus Deus sanctorum suorum potentiam infidelibus ostendit, cum scilicet ecclesias ibidem sanctorum Petri, & Germani incendere nequaquam potuerunt, nec ecclesiæ trabes, quas ad navium usum asportare destinaverant, incidere, nam cœcitate percussi, ex oratorio discedere quamcitissime coacti sunt, hisque alia refert a Baronio annalibus inserta, quæ brevitatis studio prætermisimus, hoc unum addere contenti, quod ad sua reversus Nortmannorum præcipuus Dux Raginarius, debitas & ipse, etsi tardas crudelitatis, Sacrilegiorumque pœnas dedit, nam a S. Germano, cujus basilicam diripuerat, baculo percussus, etsi cruciatibus coactus, Antiochi exemplo christianum se futurum promitteret. *Sicque diffusis visceribus medius crepuit, vitamque inanem miserrimus finivit*, ait Aimonius. *Sed quia non erat ex ovibus Christi, idcirco quod petebat, obtinere non meruit*. Ex eoque intelliges, quam admirabilis sit Deus in sanctis suis.

Turonensis civitas ope S. Martini liberata.

9. Quod autem testati sunt barbari, suoque periculo sunt experti, mortuos scilicet, viventibus aliquando fortiores esse, non solum in sancto Germano Parisiensi episcopo, sed etiam in S. Martino Turonensi alias experti fuerant Nortmanni, cum ante annos aliquot, circa annum 838. alter eorum dux Astingus nomine, Gallias discurrens, & vastans, Turonensem civitatem obsidere aggressus est, nam ut narrat Odo Cluniacensis Abbas in libello de translatione S. Martini ad Fulconem Comitem, cum vix Turonensibus evadendi spes esset, ad protectorem suum confugerunt, & corpus Beati Martini ad locum certaminis detulerunt ac *Mortuum pro vivis propugnatorem opponunt*, & ob res mira ad ejus conspectum subdit auctor. *Fugiunt Dani (iidem ac Nortmanni) fugientes Turonici persequuntur, fugentium pars gla-*

gladio cadit, pars capta reducitur, & pars fugæ subsidio elapsa est, & usque ad sextum lapidem ab urbe persequuti sunt Danos, triumphatoris sui corpus cum hymnis deferentes, cum gloria, per quem sibi triumphus cessit, & victoria, eoque in loco ad sextum lapidem ecclesia altera Deo in honorem Sancti Martini edificata est, quæ *propter belli eventum, S. Martini belli sortita est vocabulum* ait idem auctor, ejusdemque miraculi ab synodo paulo post celebrata jussum est, ut in tota diœcesi Turonensi anniversaria dies quarto idus Maii celebraretur, ait is auctor.

Translatio reliquiarum S. Mauri Abbatis.

10. Frequentes hac ætate translationes reliquiarum sanctorum fuisse, præcipue in Galliis hactenus dicta demonstrant, inter cetera, hoc anno reliquiæ S. Mauri S. Benedicti discipuli, & monastici ordinis in Galliis propagatoris translatæ sunt, ut Odo Glannofaliensis Abbas in libro de translatione reliquiarum S. Mauri his verbis refert. *Anno incarnationis D. N. J. Christi 845. indict. 8. feria quinta hebdomadis nihilominus quintæ in quadragesima, quarto idus Martii translata sunt ossa beatissimi Levitæ Mauri a famulo Dei Gauzelino, aliisque Sacerdotibus in locum, in quo nunc venerantur in arce ferrea cum honore recondita*, eaque occasione inscriptionem sepulchro S. Mauri olim positam, & temporis tractu pene obliteratam, idem Odo Abbas instauravit, juxta vetus exemplar his verbis. *Hic requiescit corpus Mauri monachi, & Levitæ, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venit, & octavodecimo Kal. Febr. migravit a seculo*, ex qua veteri inscriptione ab Odone hoc anno restaurata, traditionem de S. Mauri profectione in Gallias, & monastici ordinis propagatione, quam *Nonnulli hoc tempore, nullis idoneis argumentis elevare, immo & negare cœperunt*, mirifice confirmatur ait Mabillonius. Ipse etiam Odo Abbas hujus seculi scriptor, quanta severitate idem S. Maurus in Gadulphum quemdam Ravennatem, cui a Rege Francorum Offatense monasterium donatum fuerat ultus sit monasterii sui eversionem, & deprædationem, ibidem enarrat, pro ut ab viris fide dignis, Germano scilicet monacho ejusdem congregationis, aliisque. *Qui ab eodem tempore (quo hæc facta fuerant) usque ad nostram perdurantes ætatem, evidentissimis ista profitentur indiciis, ex quibus ego etiam duos vidi, quos pro hoc ipso ad*

me

Jesu Chr. an. 846. *me evocans, atque ab eis cuncta diligenter sciscitans, verissima hæc esse, pro ut ea ipsi oculis inspexerant, asseruere* ait idem Odo, atque Gadulphum monasterii eversorem, dum in lautiori mensa cum sceleris sociis accumberet, ab Beato Mauro in capite percussum, miserrime periisse narrat ut ibidem videre est. Mauri tamen reliquiæ ob frequentes Normannorum irruptiones in Andegavensi tractu, ubi Glannafoliense monasterium situm erat anno 868. ad Ossatense monasterium in agro Parisiensi translatæ sunt, Ænea Parisiensi Episcopo pompam ducente, & sacra lypsana humeris suis deferente, ut in suis litteris idem Æneas refert, quas Mabillonius recitat, hæcque facta dicuntur. *Anno Incarnationis* 868., *indict. prima*, *Jussu Serenissimi Caroli Regis &c.* at hæc de gestis hoc anno satis sint,

JESU CHRISTI an. 846. Sergii 2. Papæ an. 3.
Lotharii Imp. 7. Michaelis Imp. 5.

Romæ Suburbana, & basilicas SS. Apostolorum Petri, & Pauli Saraceni deprædantur.

1. Hoc J. Christi anno 846. Saraceni ex africa egressi per Mediterraneum mare ad ostia Tiberina delati, Romam usque pervenerunt, quam quidem, etsi ingredi non potuerint, suburbana tamen, & Basilicas SS. Apostolorum Petri, & Pauli, quæ tunc extra muros erant, diripuere. *His temporibus* ait Annalista Metensis ad hunc annum, *Mauri Romam cum exercitu venientes, cum non possent urbem irrumpere, ecclesiam S.Petri vastaverunt*; his consentit Annalista Fuldensis. Bertinianus vero. *Mense Augusto Saraceni, Maurique Tiberi Romam aggressi, basilicam beati Petri Apostolorum Principis devastantes, ablatis cum ipso Altari, quod tumbæ memorati Apostolorum Principis superpositum fuerat, omnibus ornamentis, atque thesauris &c.* His subdit auctor, Saracenorum partem unam ab Lotharii exercitu deletam fuisse, alteram vero a Campaniensibus oppressam, dum Pauli basilicam diriperent. Utrasque tamen Basilicas ab Saracenis expoliatas fuisse tum Joannes Diaconus, cum Anastasius tempore, & loco viciniores, ac fide digniores testantur. *Romam*, Saraceni, *supervenerunt*, *ecclesias Apostolorum*, *& cuncta*, *quæ extrinsecus repererunt*, *lugenda pernicie*, *& horribili captivitate diripuerunt*. Anastasius vero Leonis quarti Sergii successoris gesta recensens, *Sub cujus*

cujus etiam tempore, idest Sergii Papæ *Ecclesiæ beatissimorum Principum Petri, & Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt*, & iterum de gestis Leonis quarti verba faciens. *Ipse quidem beatissimus Pontifex post cædem, & deprædationem sævæ gentis Agarenorum, quam in SS. Apostolorum ecclesiis peregerunt, ad restaurationem ipsarum quotidie animum pertendebat, quatenus omnia, quæ ab impiis manibus ablata fuerant, repararet, sperans æternæ futuræ retributionis mercedem &c.*

Cassinense monasterium ab Saracenorum direptione divinitus liberatur.

2. Tanta itaque præda onusti Saraceni, Viam appiam ingressi Cajetam usque pervenerunt, cœdes ubique atque rapinas exercentes, & excursione facta Cassinense Monasterium diripere conati sunt, sed eos S. Benedictus prohibuit, ut his verbis narrat Leo Marsicanus, sive Ostiensis. *His temporibus præsidente Sedi Apostolicæ Sergio secundo, qui Ludovicum Imp. coronavit, ingens Saracenorum multitudo, ex Africa classe Romam devecta, ecclesias SS. Apostolorum Petri, & Pauli omnino deprædati sunt, multis illic interfectis: per Appiam viam iter aggressi, ad Fundanan civitatem pervenerunt, quam cum igne succendissent, cunctosque illic cives partim cepissent, partim interemissent, omniaque in circuitu vastassent, secus Cajetam applicantes castramentati sunt.* Cum autem ibidem essent, ac ad Cassinensis monasterii direptionem properarent, tardiore hora prohibiti, ad litus fluminis Liris, seu Gariliani, tentoria fixerunt, *Ea intentione, ut die hac altera*, ait Ostiensis, *properantes, cœnobium omne destruerent, & quæque hic reperissent, cuncta diriperent, omnesque hic degentes gladio trucidarent. Maxima tunc erat Cœli serenitas, tantaque prædicti fluvii siccitas, ut pedibus illum quisque transvadare potuisset.* Cassinates autem monachi in tanto periculo constituti, insomnem noctem in Litaniis, & orationibus transegerunt, cum ecce Appollinaris ejusdem olim monasterii Abbas, Bassacio Abbati in somnis apparens, ut bono animo esset, admonuit, addens, *Benedictus enim pater vestram a Domino ereptionem obtinuit.* Cumque hæc monachis suis Abbas denunciasset, ingentes Deo cum lacrymis gratias egerunt, & sane, tanta subito aquarum copia e Cœlo cum tonitruis erupit, ut fluvius ultra ripas excresceret, & undique lateque se se diffunderet. Quare mane facto, cum

JESU CHR. AN. 846. nec ad fluminis quidam ripas accedere, aut navibus trajicere possent, quod conceptam prædam amisissent, dolentes. *Cellas hujus cœnobii sanctorum martyrum Georgii, & Stephani titulis nobiles, igne succendentes, per duos Leones, Cajetam ad sua castra reversi sunt.*

Saracenorum classis in mare demersa.

3. Frustra etiam Cajetam obsidere tentarunt; quare longo itinere fatigati, frequentibusque præliis inminuti, & a Sergio Neapolis Duce, terra, marique vexati in Africam dum redirent, cum jam littora viderent, tanta repente tempestas exorta est. *Ut naves omnes partim se collidentes, partim in montes, & scopulos impulsæ naufragium fecerint, vixque pauci evaserunt, per quos ceteris ista inolescerent. Hoc ordine Petrus Apostolus suas injurias vindicavit, & Benedictus suum monasterium liberavit*, ait idem auctor. Eamdem pene sortem experti fuerant Vandali, cum sub Leone Magno, urbe capta, prædaque onusti, in Africam redirent, etsi Saracenis religiosiores a basilicarum direptione se se continuissent, uti supra suo loco diximus, ut mirum non sit Saracenos tanti sceleris, & sacrilegii reos, eadem, vel tristiora etiam pertulisse.

Carolus Rex Parisiensis synodi canones ex parte recipit.

4. Ex Meldensis synodi jussu anno proximo celebratæ, alteram hoc anno Parisiis indictam fuisse diximus, ut cleri, populique reformatio cœpta, ad effectum perduceretur. Ob quam rem canones plurimos ex præcedentibus conciliis, vel Regum capitularibus collectos, ibidem vulgatos, ac ad Reges missos fuisse, ut executioni mandarentur, supra adnotavimus. At iis ex parte tantum consensum suum Carolus Rex præbuit, non sine ecclesiastici ordinis mœrore, & dedecore. Unde Annalista Bertinianus ad hunc annum scribit. *Carolus apud villam S. Remigii Spernacum contra morem, conventum populi sui generalem mense Junio habuit, in quo Episcoporum Regni sui pernecessaria admonitio de causis ecclesiasticis ita flocci facta est, ut vix umquam reverentia Pontificalis, christianorum dumtaxat temporibus, sic posthabita legatur.* Et sane inter capitula Caroli Calvi in villa Spernaco vulgata, in præfatione hæc leguntur. Hæc quæ sequuntur capitula, excerpta sunt a Domno Rege Carolo, & Principibus ejus, ex his capitulis, quæ anno 846. ediderunt Episcopi in synodis, Venilo scilicet, & ceteri in Meldensi anno proximo 845. & iterum hoc anno in Pa-

Parisiensi. Deinde. *Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius Regis contra Episcopos, diffidentibus primoribus Regni sui, ab eorumdem Episcoporum admonitione, & remotis*, seu revocatis, *ab eodem concilio Episcopis, ex omnibus illis capitulis, hæc tantummodo observanda, & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripto tradiderunt, dicentes non amplius de eorum capitulis acceptasse, quam ista, & illa se velle cum Principe observare*. Hæc Primores Regni Caroli Calvi, quorum plurimi cum Monasteria, & Abbatias aut ex regia auctoritate detinerent, aut usurpatione sibi vindicassent, Parisiensis synodi canones, quibus restitutio jubebatur, recipere, ac admittere recusarunt, iisque faciles aures præbens Rex Carolus, non sine nominis sui labe, & Regni sui damno, continuas vexationes, ob sacrilegam bonorum ecclesiæ retentionem expertus est, ut ex dicendis infra constabit.

Lupi Ferrariensis Abbatis quærelæ adversus laicos Abbatias sibi retinentes.

5. Adversus laicos Abbatiarum, monasteriorumque usurpatores, detentoresque vocem & stylum non semel exacuerant Episcopi, & Abbates præcipue Lupus Ferrariensis Abbas, nam cum S. Sodochi Abbatia sibi a Ludovico Imp. tradita, ab Rhodingo quodam viro laico, cui eam Lotharius concesserat, detineretur. Hæc inter alia ad Lotharium scripsit. *Domine præcellentissime Auguste, nos fratres ex cœnobio Ferrariensi, multis & maximis hoc anno pressi angustiis*, his addit, eam Abbatiam Alcuino primum a Carolo M. tributam, ab Ludovico patre suo sibi traditam, deinde. *Hanc per subreptionem Rhodingus a vobis obtinuit, nobisque legitimam donationem patris vestri repetentibus impostura crimen inurit &c.* Quare post aliqua *Ipse Deus*, inquit, *inspiret prudentiæ vestræ, ut sicut hoc scandalum vestro tempore cœpit, ita etiam per vos finem accipiat, ut hoc beneficio, & nos, & posteri nostri pro vobis, & filiis vestris nitamur Deum attentius implorare, vosque sic tribuat imperare in terris, ut æternum Regnum possideatis in Cœlis*. Hæc ad Lotharium Imp. Lupus Ferrariensis Abbas, cum nondum facta Regni divisione, eam provinciam Lotharius possideret, at paulopost cum in Caroli possessionem transiisset, ab alio seculari viro ab Odulpho scilicet Comite, Carolo ipso annuente, occupata fuit. Unde in epistola ad Hugonem idem Lupus. *Cum mihi, quod nec timueram, nec (ut opinor) merue-*

JESU CHR. AN. 846. *merueram contigisset, ut Dominus Rex cellam cœnobii nostri, unde edictum, & ipsius, & patris ejus Domini Ludovici Serenissimi Augusti habemus nobis oblatum, Odulpho Comiti daret &c.*.

Lupi epist. ad Hincmarum pro recuperanda Abbatia.

6. Quantum & pro cella Abbatia sua recuperanda sollicitus fuerit Lupus Abbas, ejusdem epistolæ ad diversos pro eadem recuperanda datæ indicant. Ad Hincmarum Remensem Episcopum Carolo Regi familiarissimum, & acceptissimum hæc scripsit. *Non sum nescius, cum tantis divinæ gratiæ muneribus abundetis, ultro vos cogitare apud Principem juvare bonos facultatem divinitus accepisse, ut quod in se non habent, in vobis possideant, & remunerandæ vestræ industriæ materiam præbeant &c.* Quare ut apud Regem pro ejusdem libera restitutione ageret, enixe rogat, infelicem monasterii sui conditionem his verbis exponens. *Loci nostri factura vobis nota est, ut scilicet Rex Cellam nobis nulla mea culpa subtraxit, quam pater ejus etiam edicto contulerat, quod cum comperisset, monachicam religionem apud nos durare non posse, nisi facultatum fulciremur augmento. Itaque ad tantam inopiam devoluti sumus, ut hoc anno vix duorum mensium frumenti sustentaculum habeamus; famuli, quorum servitio carere non possumus, pene nudi sunt, nec quid his faciamus, habemus. Plerique fratrum nuditatem attritis atque scissis vestimentis vitare coguntur: Hospitalitatem paupertate compellimur imminuere: & hoc turbulento Reip. tempore his expensis, quæ majores nostri congregaverunt, a Rege clementiam, a communi Domino patientiam flagitamus. Itaque tædio necessitatum afflictus, vacationem officii, ad quod a fratribus electus sum, subinde cogito. Verum ab ea, & secularium perniciosa voracitate & impatientiæ crimine, si in tanta perturbatione eosdem fratres relinquam, deducor. Cum enim pro viribus, immo ultra vires Regi servierim, & pro eo semper intente orem, non solum ut aliquid mediocritati nostri cœnobii conferret non merui, verum etiam hanc notam incurri, ut partem ejus optimam sæculari homini traderet non regendam, sed evertendam. Fecerit hoc mea vilitas, cur tantorum virorum, qui mecum Deo serviunt, est contempta sanctitas? Vestro admonitu nosse debet, esse inter nos aliquos, de quibus merito Scriptura testetur. Voluntatem timentium se faciet, &: Qui tangit vos, quasi qui tangit pupil-*

pupillam oculi mei. Hec, & alia ibidem, ac capitula a se ipso digesta, & in synodo Parisiensi vulgata eidem mittit, cumque nil hactenus ab Rege obtinuisset, Hincmarum iterum pro eadem causa interpellavit, & sicuti supra nihil prosperum Carolo cessisse indicaverat, ex quo ecclesiæ bona aut invaserat, aut laicis tradiderat, ita in hac altera epistola, contra propria commoda eum laborare adnotat, dum eadem retinebat. Unde inter plurima ad Hincmarum. *Elaborare dignemini*, inquit, *ut se Rex tanto peccato exuat, & nos tam ingenti penuria liberet, ne tam eum nostra oratio sublevet, quam afflictio inportabilis deprimat*. Eademque repetit in epistola ad Ludovicum Abbatem Regi Carolo familiarem, in cujus fine hæc addit. *Admonete igitur eum sui periculi, ut & sibi & nobis, aliisque similiter a se afflictis consulat, nec timeat Dominum nostra consolatione placare, quem non timuit acerba compassione offendere. Siquidem generalis religiosorum assertio est, præter vindictam ultimam, quæ impendeat, numquam eum felicitatis optatæ prosperitatem adepturum, donec reintegret Ecclesiam, quam divisit, & gravibus ac maturis bonorum, hoc est timentium Deum consiliis acquiescat &c*

Lupi Abbatis epistola ad Carolum Regem.

7. Cumque nil hactenus profecisset, Carolum ipsum Regem litteris suis adiit, quibus quadriennio se cum monachis suis in summa rerum omnium inopia esse narrat. *Plus minusve quadriennium est, ex quo septuaginta duo monachi, quos ad eorum votum, electionemque mihi commisistis, quive indesinenter vobis in diversa occupatis pro salute ac prosperitate vestra excubant, propter abstractas facultates patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, ac piscium indigentiam, & publica hospitalitas peregrinis, juxta constitutionem piorum Regum exhibenda, intermissa est, famuli monasterii squallore torquentur & frigore, nec possunt subvenire miseris, quoniam ab aliis multitudo collecta, mihi relicta est, & copia unde sustentabatur, ablata*, atque bona eidem monasterio ab Patre suo, & matre pro animarum suarum remedio, & posteritatis salute collata fuisse adnotat. Unde post plurima, *Flectant igitur*, addit, *pietatem vestram justissimæ supplicationes, humillimæ preces, quas maxima extorquet egestas &c.* Nec a petitione sua destitit, quousque voti sui compos factus est. Hinc aliam ad eumdem Regem pau-

Jasu Chr. An. 846.

paulo post epistolam scripsit, alias vero ad ejusdem Regis intimos, & familiares, inter alios ad Marcuardum Abbatem Pruniacensem, suaque perseverantia effecit, ut monasterium eidem redderetur, ut idem litteris suis testatur.

Quæstio de partu Virginis in Galliis agitatur.

8. Etsi Francorum Imperium in frusta divisum quotidie decresceret, & ad interitum pene properaret, unaque cum Imperio litterarum quoque studia decrescerent, nonnullæ tamen quæstiones ibidem magna animorum contentione agitatæ sunt, uti jam supra ad annum 831. adnotavimus, ex harum una de Virginis partu fuit, quæ ex Germania in Gallias delata inter Ratramnum Corbejensem monachum, & Paschasium Ratbertum ejusdem monasterii cœnobitam, ac circa annum 844. Abbatem agitata est. Quæstionis summa in eo erat. An B. Virgo Maria, communi mulierum lege aperta vulva, seu utero Christum pepererit, quam sententiam Ratramnus tuebatur in libro de Christi nativitate, quo Christum *per naturæ januam per solemnem parturitionis viam* ex utero sacratissimæ virginis processisse ajebat, ac vulvam aperuisse, ita tamen, *non ut clausam corruperat, sed ut eam suæ nativitati ostium aperiret, non quo violaret integritatem uteri, sed quo ventris Palatium vacuaret &c.* Hæc, & alia Ratramnus in suæ opinionis confirmationem, qui etsi perpetuam Dei genitricis virginitatem ante partum, in partu, & post partum, non abnegaret, eam tamen imminui, & periclitari nonnullis, & præcipue Paschasio Ratberto visum est, nec inmerito, cum nullum in partu Beatæ Virginis privilegium, præter communem fœminarum modum tribueret. Quare Ratbertus tanta opinandi libertate commotus, ac illibatam B. Virginis virginitatem in partu destrui, vel periclitari cernens, de partu Virginis adversus Ratramni sententiam librum edidit, quem Abbatissæ, & sanctimonialibus Svessionensibus dicavit. *Quoniam vos eam*, idest B. Virginem, *plurimum amare non ambigo, ut ex hoc sciatis quantum vos diligam, longe diu a puero vester alumnus, multo jam senio confectus*, cumque Ratramnus, aliique suam adhuc, post Ratberti librum de partu Virginis, opinionem verbis, & scriptis tuerentur, alterum priori librum Ratbertus addidit, in quo, quod suis dictis non adquiescerent, ac subscribere recusarent, conqueritur, hortaturque eos, ut Augustini ecclesiæ Do-

Doctori sententiæ cederent, cujus ex Enchiridio, in suæ sententiæ confirmationem, testimonium profert. *Si* inquit Augustinus, *vel per nascentem corrumperetur ejus*, Virginis scilicet, *integritas, non jam ille de Virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria tota confitetur ecclesia &c.* Quid ex hoc altero libro, quem imperfectum tantum habemus consecutus sit Paschasius Ratbertus non constat, hanc nihilominus quæstionem in ortu pene suo sopitam, extinctamque fuisse dubitari vix potest, perpetua siquidem ecclesiæ traditione constat, Beatissimam Virginem integerrimam semper fuisse, cujus conceptio, æque ac partus, præter communes mulierum vices, & modum, fuit, quæstionis ortum, exitumque exhibent auctores historiæ litterariæ Galliarum de Ratramni, & Paschasii scriptis agentes tom. 4. pag. 258. seqq. tom. 5. pag. 288. & seqq. & 332. & Dupinius seculo nono cap. 8. pag. 255.

9. Dum de partu Virginis, majori fortasse, qua monachum deceret curiositate quæstionem agitaret Ratramnus, leviorem adhuc confutavit, de unica totius humani generis anima, quasi una omnium hominum universalis anima esset. Stultam opinionem ab Macario quodam monacho Scoto, quem per irrisionem Bacharium Ratramnus appellat, monachus quidam Corbejensis, cujus nomen ignoratur, didicerat, ex male intellecto Sancti Augustini testimonio in libro de quantitate animæ, ubi de una hominum anima dubitanter scripsisse videtur, cum itaque in eo errore esset Corbejensis monachus, ut ab insulsa opinione eum revocaret, epistolam eidem dederat Ratramnus; At cum simplex, aut errans monachus conceptam semel opinionem, seu magis errorem non deposuisset, librum adversus obstinatum monachum, ejusque errorem, vivaciori stilo paulo post edidit, quem Odoni Bellovacensi Episcopo, cujus hortatu opus susceperat, dicavit, eoque questionem extinctam pene fuisse verisimile est, Ratramni autem opus se habere Mabillonius testatur, cujus inscriptionem exhibet. Eamdemque de unica in omnibus hominibns anima opinionem ab Leone Papa decimo in Concilio Lateranensi, e cineribus revocatam, damnatam fuisse adnotat idem auctor, *quam totis pulpitis nunc decantant philosophi sub solemni sua distinctione Unitatis specificæ, & numericæ.*

De anima humana quæstio altera.

10. Ex

JESU CHR. AN. 846. An in stercora Sacramenti species transire possint.

10. Ex hac levissima ad quæstionem leviorem, ne dicam turpiorem oratio delabitur, ut vel nomen ipsum a stercore sumptum indicat, quæstioni dedit occasionem epistola Amalari ad Guntardum data. Se quippe offendi Amalario scripserat Guntardus quod *Cum majori cautela se non custodiret, ne illico post consumptam sacrificium spueret, quasi sumptum corpus simul cum sputo projiceret*. His Amalarius respondens dixerat, sibi difficile esse diu a sputo abstinere, additque, quod si pura mens, & humilis fuerit in conspectu Domini, se confidere, quod absque animæ detrimento id esset, quidquid propter corporis sanitatem expueretur. Hac adhibita excusatione, cur tam cito post sumptam Eucaristiam spueret, aliam a Guntardo ut verisimile est quæstionem propositam fuisse addit. *Ita vero sumtum corpus Domini bona intentione, non est mihi disputandum, utrum invisibiliter assumatur in Cœlum, an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino. Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Hoc solum cavendum est, ne Judæ corde sumam illud, & ne contemtui habeatur, sed discernatur saluberrime a communibus cibis.* Ex hoc autem Amalarii loco, eum Stercoranistam fuisse, quasi Eucaristiam secessui obnoxiam fuisse crediderit, eruditorum nonnulli tradiderunt. In incerto tamen rem ab eo relictam fuisse, nihilque certi definisse, vel ipse Amalarii locus indicat, in id tantum intentus, ut factum suum excusaret, & Guntardum, aliosque ab iis quæstionibus revocaret. Unde Paschasius Radbertus c. 20. in libro de corpore & sanguine Domini J. Christi, *Frivolum est ergo sicut apocrypho libro legitur, in hoc mysterio cogitare de stercore, ne commisceatur in alterius cibi digestione*, Stultum æque est dicere, vel scrutari, num Sacramenti species, in stercora transire possint. Nihilhominus ab Heribaldo Antissiodorensi Episcopo de eadem quæstione interrogatus Rabanus Maurus, in dubium vocari vix posse ait, quin id quod in stomacho digeritur, in ventre abeat, cum Dominus ipse dixerit, quidquid intrat per os &c. cui sententiæ Scholasticorum etiam plurimos subscripsisse compertum est, dum alii in contrariam abierunt sententiam, ac sacramenti symbola seu species, in spiritalem quamdam substautiam, vel po-

potius in nihilum redire censuerunt. Id tamen certum est, hanc, aliasque hujus generis quæstiones, inter privatos doctores, in scholis agitatas tantummodo fuisse, de quibus nullum ecclesia judicium, aut sententiam tulit, cum una omnium opinio esset in Eucharistiæ sacramento Christi corpus, & sanguinem vere, & proprie contineri, quod a fidelibus cum debita pietate sumptum gratiam, & vitam spiritualem conferret, nec cuiquam umquam in mentem venit, S. Christi corpus, & sanguinem sumptum corruptioni, sicut ceteris alimentis, aut per ventrem ejectioni subditum fuisse, ut mirum sit ex his questionibus tunc agitatis, in sui erroris confirmationem ab Sacramentariis, seu Calvinianis argumenta derivasse, ut Realem Jesu Christi præsentiam in Sacramento Eucaristiæ abnegarent, cum de eadem usque ad Berengarium, & Calvinum nemo dubitaverit, ut indubitatis argumentis, certisque probationibus Theologorum turba demonstravit, eamdemque questionem usque ad seculi decimi finem agitatam fuisse indicat tractatus de corpore & sanguine Domini, Herigerio Lobiensi Abbati ab Celletio, & Mabillonio inscriptus, quem Pezio auctore Gerberto inscribendum esse demonstrant auctores Maurini historiæ litter. Galliæ tom. 6. Pag. 587. Qui de stercorariorum questione plura cupit Mabillonium præceteris adeat inpræfatione ad seculum quartum Ordinis Benedictini parte 2. de altera circa Eucaristiæ sacramentum excitata quæstione ex Paschasii libris de corpore & sanguine Jesu Christi, seu de divinis sacramentis, infra sermo redibit.

Joannicii Abbatis obitus, prædictiones & miracula ad ejus tumulum.

11. Nunc de gestis hoc anno in Oriente hæc addimus, Virum scilicet pietate doctrina, admirandisque operibus clarissimum Joannicium Abbatem, ab Theodoro Studita sæpius laudatum hoc anno obiisse, cum annum ageret centesimum decimumquintum, cujus transitum cum prævidisset Methodius CP. Patriarcha, ad eum veniens, ultimas ab eo preces petiit, anno quinto Imperii Michaelis, ut ejusdem acta sincera testantur, cumque multa inter se, de retinenda, restituendaque orthodoxa fide, & imaginum cultu, dixissent, non diu sibi superstitem futurum Methodio prædixit. *Qua quidem in re non fuit falsus*, ait auctor vitæ Joannicii, *tertio autem die, postquam hæc dixisset, erat vero tertius novembris dies Joannicius, spiritu quidem migrat ad*

Jesu Chr. an. 847. *eum quem diligit, ductus a choris Angelorum, corpus autem depositur in loculo. Methodius autem, qui clarissime refulsit inter Patriarchas, ipse quoque octavo mense post illius decessum, excessit ex hac vita, quartodecimo Junii*, anni sequentis scilicet, labenti tamen Methodium obiisse ex Niceta Pagius plurima, atque miracula ad ejus tumulum patrata fuisse commemorat is auctor. *Si solum ad ejus capsam accessissent*, cujus anniversaria memoria, eadem qua obiit die in ecclesia recensetur.

JESU CHRISTI AN. 847. LEONIS 4. PAPÆ AN. 1.
LOTHARII IMP. 8. MICHAELIS IMP. 6.

Sergii secundi Papæ obitus.

1. *Sergius Romanus Pontifex sexto Kal. Februarii defungitur, & Leo in ejus locum eligitur*, ait Annalista Bertinianus ad hunc annum, quem annis tribus Romanam ecclesiam sanctissime administrasse non semel scribit Anastasius, ordinatus quippe die decima Febr. anni 844., die 27. Januarii labentis obiit, sicque demptis diebus decem et octo, ab Anastasio prætermissis, per annos tres sedem Romanam obtinuit, sepultusque est in basilica B. Petri Apostoli, ut idem adnotat Anastasius, qui multa de extructis ab eo, vel reparatis, & exornatis Templis, eodem loco addit. Inter Romanæ urbis ecclesias ab Sergio 2. restauratas, exornatasque ecclesiam S, Silvestri, & Martini Anastasius commemorat, cujus imperfectum opus, ab Leone quarto successore absolutum fuisse, sequentes versus in Abside ejusdem ecclesiæ inscripti testantur.

Sergius hanc cœpit Præsul quam cernitis aulam,
Cui moriens nullum potuit conferre decorem,
Sed mox Papa Leo quartus, dum culmina sumsit
Romanæ Sedis divino tactus amore
Perfecit solers, melius quam cepta manebat,
Atque pia totam pictura ornavit honeste,
Cœnobiumque sacrum statuit, monachosque locavit,
Qui Domino assiduas valeant persolvere laudes.
Talibus ut donis cœlestia scandere possit
Regna, quibus Martinus ovans, Silvester & almus
Præfulgent, gaudentque simul cum præsule Christo,
Quorum pro meritis hæc Templa dicata coruscant.

E la·

E latere autem dextero altera inſcriptio legitur, qua plurimorum martyrum reliquias ibidem a Sergio Papa reconditas ex cæmeterio Priſcillæ ac illuc translatas fuiſſe narratur. *Statuens omni anno in feſtivitatibus eorum indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum omnibus ad eam devote venientibus.* Jesu Chr. an. 847.

2. Utraſque inſcriptiones integras exhibet Baronius, at hanc poſtremam de reliquiarum translatione, & indulgentia annorum trium ab Sergio iis tributa, qui eamdem eccleſiam in feſtivitatibus viſitaverint, aut ſuppoſititiam, aut ab poſterioris ævi manu corruptam, & auctam fuiſſe viri eruditiſſimi adnotarunt, Conſtat etenim recentioris ætatis earumdem indulgentiarum formam fuiſſe, ut præceteris adnotat Mabillonius, nam etſi in eccleſia auctoritas indulgentiarum, aliqualiſque uſus ſemper fuerit, remittendi ſcilicet peccatoribus partem publicæ penitentiæ, quam pro criminum qualitate peragere debuiſſent. Ut tamen per annos, vel dies aliquot ea imminueretur, vix ante undecimum ſeculum occurrit exemplum, ait idem auctor, atque in eccleſiarum dedicatione ultra quadraginta dies ut plurimum indulgentia non extendebatur. Plenariæ autem indulgentiæ, ſeu remiſſio totius penæ pro peccatis commiſſis, ante Bonifacii octavi ætatem, conceſſas fuiſſe nullibi conſtat, cum eam ipſe anno 1300., Jubilej primo tunc vulgavit, unde factum eſt, ut rei novitate, & remiſſionis, ſeu indulgentiæ amplitudine, totus pene commoveretur orbis, ac infinitus peregrinorum numerus ex tota Europa urbem peteret. Hinc ſi quæ aliæ plenariæ indulgentiæ ante Bonifacium octavuum conceſſæ circumferuntur, ſuſpectæ merito, aut falsæ habendæ ſunt, ut a viris doctis, qui de indulgentiarum origine, uſu, vel abuſu noſtra ætate tractarunt, adnotatum eſt. Indulgentiæ Sergio 2. affictæ, de earumdem origine, & uſu.

3. Poſt Sergii obitum tanta fuit cleri, populique Romani conſpiratio in eligendo Romano Pontifice Leone, ut *Nec dum is, qui obierat Pontifex ad ſepulturam debitam fuerat deportatus. Et ecce omnes a noviſſimo uſque ad primum una voce, una ſimulque concordia Leonem venerabilem Presbyterum ſibi futurum Pontificem poſtularunt*, ait Anaſtaſius, *& quod nullum ſuper ſe alium habere vellent Præſulem niſi hunc, de quo crebro dictum eſt, multis conjurationibus, & vocibus fatebantur &c.* Quare cum gaudio per- Leo quartus Rom Pontifex electus, ordinatur.

JESU CHR. AN. 847. gentes ad ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum, cujus Presbyter Cardinalis erat, inde abstractum, & ad Basilicam Lateranensem deductum, non expectato, vel petito Lotharii Imp. consensu, ibidem eum consecrari fecerunt. Nam *Romani, ut diximus, novi Pontificis electione congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari eo quod sine Imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem, periculumque Romanæ Urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore, & futuro casu perterriti, cum sine permissu Principis Præsulem consecraverunt, fidem quoque illius, sive honorem post Deum per omnia, & in omnibus conservantes*, idest se fidem Lothario Imp. servaturos promiserunt. Cum etenim, ut adnotat ad hunc annum Annalista Bertinianus, Saraceni *usque ad Romana confinia* transiissent, ne quid sede vacante, uti olim acciderat, adversi in urbe, vel in suburbiis accideret. Leonem Pontificem, non expectato Lotharii consensu, ordinandum censuerunt, cautione adhibita, id necessitate urgente se egisse, non vero ut Imperatoris auctoritatem spernerent, aut fidem datam frangerent, nam ut ad rem adnotat Cennius, cum in locum Gregorii quarti Sergius secundus anno 844 ordinatus esset, *Lotharius filium suum Ludovicum cum Drogone Mediomatricorum Episcopo Romam, dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico, quidquam illic præter sui jussionem, missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes &c.* uti jam supra suo loco diximus, quominus tamen, aut Imperatoris consensus, aut Missorum præsentia expectaretur in ordinatione Leonis quarti, imminens urbi periculum in causa fuit, quod cum a Sergio 2. obtinuisset Lotharius, in electione successorum Leonis quarti, Benedicti scilicet tertii, Nicolai primi, Hadriani secundi, & Joannis octavi, eadem electionis forma obtinuit, quæ paulolum postea in successoribus Joannis octavi immutata est, ut iterum adnotat Cennius loco citato, & sane de Benedicto tertio Leonis 4. successore. adnotat Anastasius. *Clerus, & cuncti Proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & ut consuetudo prisca poscit, invictissimis Lothario, & Ludovico destinaverunt Augustis*, ut electi confirmationem obtinerent.

4. Sed

Jesu Chr. an. 847.

4. Sed de Leonis electione & consecratione in Romanum Pontificem hactenus, quem non solum pietete insignem, atque in monasterio B. Martini educatum, sed etiam sacris humanisque litteris eruditum, inde vero ob castitatis, sanctæque conversationis meritum ab Gregorio Subdiaconus Rom. ecclesiæ ordinatus fuerat, ab Sergio deinde Gregorii successore Presbyter tituli SS. quatuor Coronatorum consecratus, tanta virtutum fama, & præcipue in pauperes liberalitate inclaruerat, ut defuncto Sergio, eum ceteris prætermissis, clerus, populusque Romanus Pontificem expetierit, ac ordinandum curaverit, de cujus præclare gestis, vel in ipso Pontificatus sui initio, quamplurima narrat Anastasius, in annales a Baronio relata, quæ *humanus existimare non sufficit arbiter*, nec quisquam referre prævalet, quanta fretus Dei amore sanctorum ecclesiis obtulit vel a primo sui Pontificatus exordio ait Anastasius, his vero quæ, & quanta per singulas urbis ecclesias fecerit, enarrat, quæ ibidem, vel apud Baronium videri possunt. Qui & quantusque esset Leo Rom. Pontifex.

5. Hæc tantum, quæ ejusdem zelum in restituenda ecclesiæ disciplina, demonstrant, hoc loco subdimus, *Ipse solertissimus Pontifex secundum antiquam consuetudinem canonica auctoritate decrevit, atque constituit, ut dum sacra Missarum solemnia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in Presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur*, ut scilicet clericalis tantum ordinis, ibidem consisterent, atque ut in ecclesia B. Pauli Apostoli, *Vespertinas publice a cuncto clero, & schola constituit die Natalis ejus psalli laudes* idem Anastasius tradit, atque hoc anno, quo indictio decima in cursu erat, terræmotum Romæ fuisse addit. Leonis Papæ pro eccl. disciplina zelus.

6. His addit tantæ virtutis Leonem fuisse, ut miraculis etiam inclaresceret. Nam *In primo Pontificatus sui anno juxta basilicam B. Luciæ martyris, quæ in Orphea sita est, in quibusdam tetris abditisque cavernis diri generis serpens, qui Basilicus græce, latine Regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo omnes, qui ad easdem properabant cavernas celeriter necabat, mortisque tradebat periculo &c.* Ut tantam ab urbe cladem averteret sanctus Pontifex, solemnibus Litaniis in die festo Assumptionis B. Mariæ Virginis indi- Serpens lethifer ab Leone Papa fugatur.

JESU CHR. AN. 847.

indictis, cum clero, & populo ex ecclesia S. Hadriani, ad ecclesiam Beatæ Mariæ ad Præsepe progressus, ad ostium cavernæ transiens, ibidem orans aliquandiu stetit, Deum profusis lacrymis deprecans, *ut ab eodem loco* diri serpentis genus sua potentia effugaret, & data super populum oratione abiit, atque oratione sua effecit, *ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret*. His alterum pontificatus sui initio patratum miraculum addit, cum oratione sua incendium extinxit, quod in vico Saxonum excitatum fuerat tantis ventorum flatibus eousque dilatatum, ut cum Saxonum, & Longobardorum domos comsumpsisset, basilicam quoque Beati Principis Apostolorum Petri invadere minabatur. Quare S. Pontifex ibidem profectus, Dominum precatus, ut ignem extingueret. *Crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, sed beati virtutem Pontificis ferre non valens, extinctus flammas redegit in cinerem &c.* Hæc, & alia de gestis ab Leone quarto Pontifice hoc primo Pontificatus sui anno, de quo plura ab Anastasio recitata non addimus, cum hæc ad tanti Pontificis meritum, virtutemque celebrandam satis superque sint, nec semel de ipso redibit sermo.

Parisiensis synodus pro restitutione Ebonis.

7. Dum adhuc Sergius Papa Romanam administraret ecclesiam, Lotharius Imp. pro Ebonis Rhemensis Episcopi fidissimi sui restitutione sollicitus, eum rogaverat, ut missis in Galliam legatis suis in synodo Episcoporum ejusdem causa retractaretur, ac inde Hincmarus in ejus locum anno 845. ordinatus dejiceretur. Quamobrem cum Parisios Galliarum Episcopi convenissent, nec Ebo, causæ suæ fortasse diffidens, causam dicturus advenisset, Hincmari ordinatio confirmata ibidem est, deque gestis in Parisiensi synodo litteris suis Leonem Pontificem, Sergii successorem certiorem reddiderunt. Unde nullam amplius de recuperanda sede sollicitudinem Ebo habuit, qui quinquennio adhuc superstes fuit, usque ad annum 851. uti pluribus narrat Flodoardus.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus ordinatur synodum celebrat.

8. Parisiensis synodi celebrior fuit Moguntina hoc anno ab Rabano nuper ejusdem ecclesiæ Episcopo ordinato, celebrata; nam cum Otgarius Moguntinus Archiepiscopus Kal. Maii obiisset, quinto Kal. Julii in ejus locum Rabanus ordinatus est. *Qui eodem anno jubente Ludovico Rege*

apud

apud Moguntiam synodum habuit circa Kalendas Octobris, ait Annalista Fuldensis. Pro reparanda autem ecclesiastica disciplina, quæ in Ludovici, & Caroli Regno collapsa penitus erat, tum epistola ad Ludovicum ab Episcopis inscripta, cum canonum triginta ibidem editorum index, congregatam fuisse synodum indicant. Epistolæ autem hæc est inscriptio. *Domino serenissimo & Christianissimo Regi Ludovico, strenuissimo Rectori, ac Defensori Sanctæ Dei ecclesiæ, una cum uxore, & prole sua, ejusque fidelibus vita, salus, & honor, & benedictio cum victoria sine fine mansura. Dignissimæ reverentiæ vestræ patefacimus nos humillimi servi vestri, Rabanus videlicet Moguntiacensis Ecclesiæ indignus Archiepiscopus cum Coepiscopis meis, qui ad prædictæ Ecclesiæ diœcesim pertinent, id est, Samuele, Egotbaldo, Baturato, Hebone, Gorbarto, Hemmone, Vvaltgario, Ansgario, Otgario, Bantone, Salomone, & Gebehardo cum reliquis collegis nostris Chorepiscopis, Abbatibus, Monachis, Presbyteris, & cæteris Ecclesiasticis ordinibus, quia venimus secundum jussionem vestram in civitatem Moguntiam; ibique pariter adunati post triduanum jejunium, quod cum litaniis celebravimus, divinam suppliciter supplicantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum & actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, & Christiano populo proficientem ad salutem & vitam perpetuam, vobisque ad æternum bonorem & gloriam. Ubi etiam decrevimus, ut singulis parochiis per Episcopos, & clericos, per Abbates, & monachos oratio pro vobis, & pro vestra conjuge, simulque prole nobilissima fieret. Cujus orationis summa est, Missarum tria millia & quingentæ, & psalteriorum mille septingenta: hoc omni devotione postulantes, ut Deus omnipotens diuturnam vobis sanitatem ac prosperitatem concedat, Regnumque vestrum stabiliat ab omni hoste defensum in terra, & post hujus vitæ terminum in Regno cælesti gloriam vobis simul cum Sanctis suis concedat sempiternam.* His subdunt in duas turmas divisos fuisse, ac separatim Episcopos, de rebus ecclesiæ consuluisse. In alia turma Abbates, & probati monachi S. Benedicti regulam legentes, qua ratione monasticam disciplinam restaurare ac restituere possent, pertractasse.

Jesu Chr. an. 847.

9. Post

JESU CHR. AN 847.

Episcoporū ad Ludovicum querelæ.

9. Post hæc de violata immaniter ecclesiastica disciplina, & immunitate his verbis conqueruntur Episcopi. *Proh dolor: his temporibus nec sancta loca venerantur, neque ministri Dei condigne honorantur: sed vice versa illi qui honorari debuerunt, flagellantur, spoliantur, atque diversis calumniis franguntur. Unde necessitas magna nos cogit pro hac re ad vos reclamare, & petere, ut sicut apud antecessores vestros Reges, atque Imperatores, qui ante vos fuerunt, honorem sancta Dei ecclesia habuit, & per immunitatem eorum possessiones Ecclesiasticæ inconvulsæ perstiterunt, manentesque in eis semper illæsi perseverarunt; ita apud vos modernis temporibus incontaminatæ permaneant. Zelo enim Dei oportet vos defendere Ecclesias Christi &c.* Subjiciuntque his exempla Ethnicorum, & Christianorum Principum, qui olim libertati & immunitati Ecclesiasticæ faventes, eidem optime consuluissent, ac ut eos imitari studerent, hortantur.

Canones triginta synodi Moguntinæ.

10. Sequuntur hæc canones triginta, quorum primo, admonentur Sacerdotes, ut in fide catholica populos instruant, & ut cum fide bonis vacent operibus, cum fides sine operibus mortua sit. 2. Episcopi homilias ad captum populi habeant, easque *transferre studeant in rusticam romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti intelligere possint quæ dicuntur*. 3. ut baptismatis sacramentum juxta Romanum morem administretur, in Paschate, & Pentecoste, nisi necessitas, ut periclitantibus subveniatur, aliud suaserit. Ut pax & concordia ubique servetur, quartus jubet. Qui vero adversus Regalem, vel eccclesiasticam potestatem rebellis fuerit canone quinto excommunicatione plectitur, qui sequuntur ad 12. usque de bonis ecclesiæ servandis, administrandisque agunt, 12. Simoniacos damnat. 13. de vita Canonicorum agit, sicut 14. de vita monachorum sancte instituenda. 15. Ne comam nutriant clerici admonentur. 16. Monialium præpositis injungitur, ne monasterio egrediantur, & ut monialium curam gerant, divina officia per singulas horas persolvant, curent, ut ab pauperum oppressione singuli se abstineant, nec munera ad subvertendam justitiam quisquam accipiat, jubetur, de pœnitentia pro variis criminum generibus imponenda canones 20. ad 26. agunt, de parricidiis scilicet, de Presbyterorum occi-

occisione, de adulteriis, fornicationibus &c. Et ut infirmis discreta pœnitentia imponatur, nec iis denegetur, qui ad patibulum damnantur, canone 26. 27. cautum est, ac tandem de incestis conjunctionibus, deque impedimentis usque ad quartum gradum canones 28. 29. & 30. agunt, ultimo tandem admonentur Sacerdotes, ut in pœnitentiis imponendis modum servent. *Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos sub omni cubito, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Hæc, & alia ibidem, ac tandem ut hæc auctoritate sua Rex confirmare dignetur, his verbis rogant. *Hæc vero, quæ vobis transmissa sunt, petimus ut vestra auctoritate firmentur, etsi quis adversarius illis esse voluerit, prævalere non permittatur. Dei enim cooperatores esse debetis, & adjutores sanctæ ejus ecclesiæ, quatenus religio christiana incontaminata temporibus Regni vestri usque in finem servetur.* Hactenus de gestis in synodo Moguntina, cui etiam mulier quædam, Thiota nomine oblata est, quæ Prophetissæ officium exercens, ultimum jam instare diem, aliaque sibi a Deo revelata credulæ plebi venditabat, quam sacri etiam ordinis viri uti magistram cælitus missam sequebantur. At synodo oblata. *Et diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quemdam sibi ea suggessisse, & se talia quæstus causa narrasse professa est. Quapropter synodali judicio, publicis cæsa flagellis: ministerium prædicationis, quod irrationabiliter arripuit, & sibi contra morem ecclesiasticum vindicare præsumpsit, cum dedecore amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit*, ut veteres Francorum annales narrant.

Urbs, & alia Italiæ loca terræmotu concussa.

11. Variis undique cladibus Italiam, & urbem afflictam, ac terræmotu concussam fuisse ex Anastasio, supra adnotavimus, cujus, etiam Leo Ostiensis in chronico Cassinensi meminit, ac alia etiam Italiæ loca diruta fuisse addit; Campaniam vero, vicinasque provincias Saracenorum irruptionibus devastatas fuisse his verbis narrat. *Eodem tempore Saracenorum dux in auxilium prædicti Radelchis accersitus Beneventi rediens, Beneventanosque contemnens, eos modis omnibus vehementer afflixit, monasteriumque Sanctæ Mariæ Cingula devastavit, Castellum S. Viti cepit, Telesinamque civi-*

JESU CHR. AN. 847. *civitatem in deditionem compulit, & omnia per circuitum depopulatus est. Qui dum die quadam iuxta B. Benedicti transiret monasterium, ita mens ejus effera continuo cœlitus mutata est, ut cum canis ejus anserem monasterii cœpisset, ipse cum flagello accurrens, illum per se ex ore illius extraxerit, atque ante januas monasterii veniens, claudi illas protinus jusserit, ne quis ex suis ingressus aliquam illic vim inferre præsumeret. Sicque Aquitanum pertransiens, omnia per circuitum vastans, Beneventum reversus est. Eo item tempore, cum ab Incarnatione Domini octigentesimus quadragesimus septimus ageretur annus, ingens terræmotus per omnem Beneventanam regionem factus est, ita ut Iserina a fundamentis fere tota corruerit, multusque ibi populus, & ipse una eorum pontifex cum eis interierit. Apud monasterium quoque Sancti Vincentii terremotus idem evertit domos. In hoc autem monte, meritis Beati Benedicti nec unum quidem lapidem de suo movit loco.* Ait Leo Ostiensis.

Normannorum incursiones in Galliis.

12. Beneventanæ incursionis meminit etiam Annalista Bertinianus, ac vix meliora fuisse Galliarum fata his verbis indicat. *Dani partem inferioris Galliæ, quam Britones incolunt, adeuntes, ter eum eisdem bellantes superant. Nomenogiusque (Britonum Dux) victus cum suis fugit. Dein Legatos muneribus a suis eos sedibus amovit.* Ubi legendum, *per Legatos*. His subdit Auctor: *Hlotharius, Hluddovicus, & Carolus Legatos ad Oric Danorum Regem destinant mandantes ut suos Christianorum infestationibus cohiberet; sin alias bello se impetendum nullatenus dubitaret. Ea tempestate Mauri & Saraceni Beneventum invadunt, & usque ad Romana confinia populantur. Dani Aquitaniam maritimam impetunt & prædantur, Urbemque Burdegalam diu oppugnant. Alii quoque Danorum emporium, quod Dorostadum dicitur, & insulam Batavam occupant, atque obtinent.*

Hispani a Saracenis vexati.

13. Hispanias quoque a Saracenis, instigante Bodone diacono, qui ad Judaismum transierat, ut anno 838. adnotavimus, vexatas fuisse, idem Annalista Bertinianus his verbis ad hunc annum adnotat. *Bodo, qui ante annos aliquot, Christiana veritate derelicta ad Judæorum perfidiam concesserat, in tantum mali profecit, ut in omnes Christia-*

nos

Jesu Chr. an. 847.

nos Hispaniæ degentes, tam regis, quam gentis Saracenorum animos concitare statuerit, quatenus aut relicta Christianæ fidei Religione ad Judeorum insaniam, Saracenorumve dementiam se converterent, aut certe omnes interficerentur. Super quo omnium illius Regni Christianorum petitio ad Carolum regem regnique sui Episcopos, ceterosque nostræ fidei ordines lacrymabiliter missa est, ut memoratus apostata reposceretur, ne diutius Christianis illic versantibus aut impedimento, aut neci foret &c.

Conventus Regum Francorum apud Marnam.

14. Ut tot ingruentibus malis medelam, si fieri posset, afferrent, Galliarum Reges, tres scilicet fratres Lotharius Ludovicus, & Carolus conventum apud Marnam prope Trajectum, celebrarunt, in quo pax inter eos, & concordia confirmata est, ut coniunctis viribus, barbarorum irruptiones facilius coercere possent, multaque de justitia exercenda, statuta sunt. Inter cetera capite sexto cautum est, *Ut rapinæ & deprædationes, quæ quasi jure legitimo hactenus factæ sunt, penitus interdicantur, & nemo se impune post hæc eas præsumere posse confidat*, & iterum capite octavo. *Ut nullus in omni eorum Regno deinceps raptum facere præsumat, aut si fecerit legaliter puniatur*. Hæc, & alia ibidem, quæ tamen vix effectum sortita sunt. Hujus conventus meminit Lupus Ferrariensis Abbas, qui eo tempore aulam sequens, conventui interfuit, cujus duo in eam rem extant Epistolæ, quarum prima familiarem suum quemdam rogat, ut pecuniam ad iter necessariam a nobili quadam fæmina mutuo acceptam sibi mittat. Posteriori Marcuardum Abbatem Prunejensem invitat ad illum conventum, de quo hæc scribit. *Non ignoratis, credo, reges nostros apud Trajectum hebdomade secunda quadragesimæ celebraturos colloquium, quo me trahit ecclesiastica necessitas, qua urgente, ut vobis jam aliis expressi litteris, cum Rege quartum ago mensem, ita ut ne die quidem a comitatu absfuerim. Præbeat igitur se mihi saltem ille desiderabilis vestra paternitas, ut nostra familiariter, viva tamen voce, valeamus cognoscere*. Non tamen invitanti amico paruit Marcuardus, ut patet ex sequenti Epistola, pollicitus, se post pascha Lupum invisurum, quod commode factum iri ait Lupus, si ille secunda hebdomada mensis Maii iter ad se arripiat. *Nam quinto-decimo, inquit, die post pascha synodus magna, at ajunt, apud*

JESU CHR. AN. 847. *Attiniacum celebrabitur: cui me abesse nequaquam, ut credo, nostri præsules patientur*. Quippe ut recte Balutius observat, sanctissimi Gallicanæ ecclesiæ Antistites tanti faciebant Lupum nostrum, ut eum spectarent veluti conditorem canonum, atque adeo ejus præsentiam in synodis quodam modo necessariam existimarent.

Heti Trevirorum Episc. succedit Thietgaudus, & Simoni Laudunensi Pardulus.

15. Eodem hoc anno 847. quo Otgario in Remensi sede successit Rabanus, Heti Trevirorum Episcopo defuncto successit Thietgaudus. Nec diutius superstes fuit Simon Laudunensis Episcopus, cui hoc anno successit Pardulus. Is porro ante Episcopatum Vicedominus ecclesiæ Remensis fuit ac Lupi Abbatis familiaris, ad quem recens electum scripta est ex parte reginæ Irmindrudis, inscripta *Venerando Pardulo episcopo*, tametsi necdum ordinatus esset, utpote cujus diem ordinationis Regina suis, suorumque precibus solemnem facere studebat, eidem gratias ob muuera agens, simulque promittens, se libenter experturam stolæ faciendæ laborem, quem ipsi Pardulus imposuerat. In fine ab eo postulat, ut pro his, qui in defensione patriæ occubuerant; Dei clementiam exoraret, & superstitibus eorum hominibus auxiliaretur.

Methodii CP. Patriarchæ obitus.

16. In enarrandis Occidentalis ecclesiæ gestis hactenus inmorati, Orientalem nunc adeamus ecclesiam, quæ hoc anno ex obitu sancti Methodii CP. Patriarchæ gravissimo affecta est damno, cujus memoria die decimaquarta Junii, qua obiit, ab Græcis, & latinis recolitur, vir magnus, ac venerandæ memoriæ ab Nicolao Papa primo dictus in epistola ad Michaelem Imperatorem, & sane ob restitutam in Orientali ecclesia catholicam fidem, sacrarumque imaginum cultum, eam apud posteros venerationem promeruit, quam nulla umquam oblivio delebit. Hunc porro anno proximo 846. ante Joannicium Abbatem obiisse adnotat Pagius not. 17. 18. 19., cum in vita Ignatii referat Nicetas, post ejus mortem Joannicium ab Theodora Augusta de successore Methodii consultum fuisset, eumque Ignatium ceteris prætulisse. E contra vero auctor vitæ Joannicii in ejus vita narrat, sanctum Abbatem morti proximum, Methodio prædixisse non diu ipsum superstitem futurum, quem ideo post menses octo obiisse scribit, ex his alterutrum errasse patet? At quis litem dirimet, Pagius Nicetam au-

auctori vitæ Joannicii præferendum censet, ceteri vero auctorem vitæ Joannicii Nicetæ. Unde Pagius, apud me certum est Methodium anno 846. obiisse, *licet omnes historici, qui post Baronium scripserunt, ejus opinioni suffragentur*, quibus etiam nos subscribimus, ne a ceteris cum Pagio diffideamus.

Jesu Chr. an. 847.

17. Nec pietate tantum, sed doctrina etiam claruit Methodius, quem inter cetera scripta, Dionysii Areopagitæ vitam ex Græco in latinum vertisse narrant Anastasius Bibliothecarius, & Hincmarus in epistola ad Carolum Calvum Imp. Alia plura Methodii CP. Patriarchæ opera, altero Methodio Patrensi Episcopo, seniori etiam dicto, passim inscripta sunt, uti ejus oratio *de Simeone, & Anna, qua die Domino in templo, occurrerunt*, ac de *Sanctissima Deipara*, quam Combefisius perperam adscribit Methodio Seniori, & Oratio *in Ramos Palmarum*, quæ inter Opera Methodii Senioris legitur. Composuit etiam *Encomium S. Dionysii Areopagitæ & Martyris*, & Encomium S. Agathæ Virginis & Martyris, quod utrumque ad nos pervenit. Cum vero Dionysii acta ab Methodio vulgata fuisse diximus, non inde sequitur ex antiquis Græcorum Monumentis ea accepisse, quæ de Martyrio S. Dionysii tradit, cum jam sæculo ineunte octavo Dionysius Areopagita cum Parisiensi confusus esset. De utroque Methodio legendi Allatius, Combefissius, Dupinius, Caveus, aliique. Methodio successit Ignatius, *Nicephori Imperatoris ex filia nepos filius autem Michaelis*, Imperatoris senioris scilicet, *qui Regno exciderat, Ignatius autem Regno, & genitalibus privatus, Eunuchus factus, monasterium ingressus fuerat, & Monasterii Satiri præfectus, ad Patriarchatus sedem adducitur*. Quæ, & quanta pro pietate vel gesserit Ignatius, vel pertulerit, sequentibus annis videbimus, quem utpote tanto throno dignum Leoni Pontifici commendaverat Michael Imperator, ut in sua Epistola, idem narrat Pontifex, Michaeli exprobrans, quod post annos 12. eumdem sua sede exturbaverit. *Quid sibi vult hoc*, ait sanctus Pontifex, *quod per duodecim jam fere annos regiæ urbis vestræ innocue Sacerdotium agere, & sanctis virtutibus pudicitiæ, castitatisque florere dictum Ignatium non solum per vestras innotuistis litteras, sed etiam synodicis vocibus ejus sub tempore habitis, magnis honoribus epistolæ vestræ fatentur, quas præ manibus te-*

De Methodii CP. Patriarchæ operibus.

JESU CHR. AN. 848. *tenemus, commendastis jugiter, & extulistis, minime eum ad Apostolicam Sedem invasoris, vel alicujus criminis opinione notantes, nunc invide damnastis*. Et paulo post: *nos quidem de nobilissimo viro Ignatio Patriarcha non tantum hæc, verum & illud comperimus, quod non solum genere claruit, verum etiam a primevo suæ ætatis per per singulos Ecclesiasticos gradus ascendens ex monastica vita, omni Ecclesiastico cætu consentiente (sicut in apicibus quos sanctissimo Leoni Præsuli prædecessori nostro destinaveratis, comperimus) Episcopatus culmen promeruit*. Hæc Nicolaus.

Obitus Haron Caliphæ Babiloniæ, cui Almontaor succedit.

18. Hoc desinente anno, Hegiræ 242., Haron Vatitus Babiloniæ Saracenorum Calipha vivere desiit, ait Pagius, successoremque habuit Almontaseniam, seu Motavakel Billatt fratrem, de utriusque gestis plura dabunt in historia Arabica Dorignj, aut Derbellotius in bibliotheca Orientali, quorum crudelia gesta referre, nec animus, nec otium adest.

JESU CHRISTI ANNUS 848. LEONIS 4. PAPÆ 2. LOTHARII IMP. 9. MICHAELIS IMP. 7.

LeoPapa urbis mœnia restaurat.

1. Inter plurima ab Leone quarto hoc secundo Pontificatus sui anno gesta id præcipue notatu dignum refert Anastasius, eum de urbis securitate sollicitum, muros ejus summa diligentia, ac sollicitudine instaurasse. *Cum hæc quæ diximus* ait Anastasius. *Per diversa sanctorum loca perfectius contulisset. Tunc de Romanæ Urbis statu, & restauratione murorum, qui longo jam senio ac vetustate nimia fracti ac diruti funditus videbantur, cœpit cum Jesu Christi Domini tractare consultu, ne si diu sub hac negligentia sive oblivione consisterent, esset, Domino permittente, ut facilius ab hostibus capi, aut forsan expugnari potuissent. Ideo ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ muros civitatis Romanæ, duodecima instante indictione, renovari, atque ad priorem cultum, decusque reduci tota mentis alacritate curavit. Et non solum muros, quos diximus, celeri fieri agilitate præcepit, sed & portas, quibus omnis sæpe clauditur civitas, novo cultu, lignisque prævalidis ob inimicorum metum atque terrorem reædificari festinantius jussit. Quæ denique omnia ut cito fierent, & ad effectum,* de-

decoremque perducerentur: præfatus vir Apostolicus indesinenter, non solum equo residens, verum etiam suis pedibus propriis per muros, & portas cum suis fidelibus discurrebat, quatenus in restauratione eorum nulla mora, aut dilatio esset exorta, atque ad ejusdem urbis tutamen turres quindecim ab eodem Pontifice a fundamentis ædificatas fuisse addit is auctor.

Vaticanam basilicam muris cingit, novam urbem ædificat.

2. Vallata autem turribus, & mœnibus urbe, de suburbanis qnoque eamdem gerens sollicitudinem, ac præcipue de basilica Apostolorum Principis, quæ extra urbis pomeria erat, eam quoque mœnibus tueri, novamque urbem ædificare constituit, ac opus ab Leone tertio inceptum absolvit. Unde iterum Anastasius. *Dum Romanorum nobilitas universa, pro illa, quam jamdudum deprædatione nefandi ac malevoli Saraceni intulerant*, in maxima lamentatione consisteret. Idem Pontifex, communicato cum Lothario Imp. consilio, urbem novam, cujus fundamenta Leo tertius jecerat juxta basilicam Petri Apostoli ædificare cœpit, & magna auri summa ab Lothario. & fratribus accepta, opus tanta sollicitudine perfecit, ut sexto Pontificatus sui anno opus absolverit, ac anno 852. consecraverit, ut ibidem dicturi sumus.

Moguntiæ conventus, & synodus celebratur.

3. Alteram seu secundam synodum Moguntiæ hoc anno Rabanus Episcopus celebravit, cum ibidem conventum Episcoporum, & Procerum Ludovicus Rex Germaniæ celebrasset, ut veteres Francorum annales narrant. *Circa Kalendas Octobris*, verba sunt Annalium Bertinianorum, *generale placitum Rex Ludovicus habuit apud Maguntiam, in quo legatos fratrum, & Nortmannorum, Sclavorumque suscepit, audivit, & absolvit*, seu dimisit. *Homines autem Rabani Episcopi adversus dominum suum conspirantes, publice convictos cum eo pacificavit: Legatos suos ad fratrem suum Lotharium in Theodonis villa placitum habentem pro Gislaberto, qui eodem anno ad fidem ejus venerat, reconciliationis gratia direxit. Gothescalcus quoque quidam presbyter de prædestinatione Dei prava sentiens, rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Rhemos transmissus est, prius tamen juramento confirmans, quod in Regnum Ludovici ultra non rediret*, hæc iidem annales, aliique passim, de Gothescalchi causa, & doctrina in synodo Moguntina tunc primum agitata.

4. De

Jesu Chr. an. 848.

De Gothescalchi ortu studiis, & gestis ad hunc annum.

4. De infelicis autem hujus monachi causa adnotare juvat, tum medio hoc ineunte nono seculo, cum seculi hujus decimi octavi initio, magna animorum contentione, sententiarumque varietate ab eruditis viris certatum fuisse. Nos de ea acturi, historici, non judicis, vel arbitri, partes agemus, atque de Gothescalchi initiis, studiisque usque ad hunc annum hæc adnotamus. Nobilis Saxo is fuit, filius Berni Comitis a puero in Fuldensi monasterio educatus, ibique litteris excultus, ac monasticæ disciplinæ inscriptus a Rabano, qui anno 822. factus est Abbas, Gothescalcum autem a primis annis in monasterio secundum regulam oblatum, & tonsum fuisse testis est Hincmarus, cujus hæc sunt verba. *In hymno vespertinali, quem Gothescalchus ab ipsis rudimentis infantiæ in monachorum monasterio, in quo secundum regulam oblatus & tonsus extitit, & usque ad adultam ætatem mansit.* Hinc Gothescalcus, cui jam adulto, Rabani præceptoris, & vitæ monasticæ severitas durior erat, apud Otgarium in concilio Moguntino, anno circiter 830. conquestus est, quod Rabanus eum ad vitæ monasticæ professionem juxta parentum suorum votum ad monasticam professionem ineundam invitum coegisset. His querelis favens Otgarius cum aliis Episcopis, Gothescalcum a voto absolvit, ac liberum declaravit. At Moguntini concilii decreto restitit Rabanus, ac ad Ludovicum Imp. appellavit, cui etiam librum de oblatione puerorum obtulit, quo probare nititur, pueros a parentibus in monasteriis oblatos, absque piaculo ab iis revocari nequaquam posse, nec iis liberum esse ad seculum redire. Hinc dissensionis fomes inter Rabanum, & Gothescalcum exortus est, ob quam causam e Fuldensi egressus monasterio ad Orbacense transiit, ibique sub Bavone Abate multam dedit operam legendis sanctorum patrum libris, præsertim Augustini, cujus sententias, Hincmaro teste, totas dies memoria proferre consueverat, Fulgentius alio nomine dictus, ob sancti Fulgentii amorem, cujus sententiam de gemina prædestinatione tueri studebat. Romam peregrinationis causa, pro ingenio gentis, & temporis, sub Sergio Pontifice profectus, in reditu adiit Eberardum comitem Forojuliensem, apud quem aliquantisper hospitatus est. Ut erat dicax, & multa lectione instructus, factum est, ut sive in publicis concionibus, seu in privatis colloquiis, verba non prius illic audita de gemi-

gemina prædestinatione, una bonorum ad vitam, altera malorum ad interitum, misceret, præsente in primis Notingo electo Veronensi Episcopo, seu potius Brixiensi, quem etiam nonnulli Vercellensem fuisse scribunt. Id ubi tunc fama vulgante audivit Rabanus tunc Moguntinus Episcopus: litteras dedit ad Eberardum Forojuliensem Comitem, in quibus ait, se fama didicisse, in suis partibus esse quemdam sciolum nomine Gothescalcum, qui dogmatizet. *Quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut, etiam si quis velit salvus fieri, & pro hoc fide recta, bonisque operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, frustra & in cassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam*, atque his aliisque ex Augustini testimoniis adnotatis Comitem tandem admonet, ut Gothescalco hæc in publicum proferre prohibeat, ne ejus loquacitas infirmis offendiculo sit, hæc epistola apud Ughellum, & Sirmondum decimo Kal. Maii inscripta est, ejusdemque argumenti est epistola altera Rabani ad Notingum Veronensem, seu Brixiensem Episcopum electum, utrasque vero ad concilia Galliæ vulgavit Sirmondus.

JESU CHR. AN. 849.

5. His litteris infamatus Gotheschalcus Eberardi Comitis domo excessit, tum Norico, Svevia, aliisque Germaniæ partibus peragratis, Moguntiam hoc anno venit, cum ibidem Episcopis, & Proceribus congregatis conventum Ludovicus ageret, qua occasione utens Rabanus synodum circa Kal. Octobris celebravit, ad quam vocatus Gotheschalchus fidei suæ rationem reddidit, edito confessionis suæ scripto, in quo & geminam prædestinationem tuebatur, ac Rabanum arguebat, eo quod in epistola ad Notingum, reproborum prædestinationem, tamquam sanæ fidei contrariam, condemnasset: quod voluntatem Dei, & pretium sanguinis Christi ad omnium omnino hominum salutem extendi assereret: quod de libero arbitrio male cum Gennadio sentiret. Rabanus autem cum eum a sententia sua revocare frustra conatus esset, ad Hincmarum metropolitam suum, Moguntina synodus remisit cum synodica epistola, cujus hæc summa est. *Scilicet quemdam gyrovagum monachum, nomine Gothescalcum, qui se asserebat in Rhemensi parochia ordinatum, de Italia venisse Moguntiam, novasque superstitiones, & noxiam de prædestinatione Dei doctrinam introducere, ac populos in-*

Gothescalcus a synodo Moguntina ad Hincmarum remittitur.

Jesu Chr. an. 848. *ducere in errorem, asserendo, quod prædestinatio Dei, sicut in bono sit, ita & in malo*. Quare hominem in synodo Moguntina correptum, at incorrigibilem repertum, jussu Ludovici regis damnatum ad Hincmarum mitti, ut eum recluderet in parochia sua, nec sineret amplius errorem disseminare, ac seducere populum christianum. His litteris acceptis, quid Hincmarus adversus Gothescalcum egerit, quave sævitia tractaverit, anno sequenti, de synodo Carisiaca agentes, dicturi sumus. Nunc adnotare sufficiet gravissimæ quæstioni, vexationibusque, quibus afflictus fuit Gothesch alchus, inopportuna loquacitate sua causam eum dedisse, dissentionis autem flamma longe, lateque sparsit *Hincmarus Rhemensis* (*Archiepiscopus homo in sua tum ingenii, cum amicitiarum præpotentia versutissimus*, ut in præfatione ad Remigii opera adnotavit clarissimus Foginius Vaticanæ bibliothecæ olim Custos, & sane quæ inferius de Hincmaro adnotanda erunt, eum quidem morum integritate, multaque eruditione præclarum, virisque præclaris, Regibusque acceptissimum fuisse demonstrabunt, at in theologicis disciplinis vix instructum, suæque opinionis tenacissimum fuisse probabunt.

Nortmannorum & Saracenorum irruptiones.

6. De Nortmannorum autem vel Saracenorum irruptionibus in Italiam, & Galliis hoc anno, hæc adnotat Analista Metensis. *Carolus Normannorum Burdigalam oppugnantium partem aggressus, viriliter superat. Exercitus Clotharii contra Saracenos Beneventum obtinentes*, (seu potius, ut adnotat Muratorius, obsidentes) *dimicans victor efficitur. Dani Burdegalam Aquitaniæ Judæis prodentibus captam depopulatamque incendunt, Pyratæ Græcorum*, seu Saraceni ex Africa, vel Ægypto egressi, *provinciam Massiliæ nullo obsistente vastantes impune recedunt. Nortmanni Metallum vicum*, Gallice Melle in Pictonibus, *populantes incendio tradunt. Scotti super Nortmannos irruentes, auxilio D. N. J. Christi victores suis finibus repellunt. Unde & Rex Scotorum ad Carolum pacis & amicitiæ gratia legatos cum muneribus mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcens &c.* Hæc is auctor, cui fidem adstruunt verba chronici Fontanellensis. At de his hactenus.

JE-

JESU CHRISTI AN. 849. LEONIS 4. PAPÆ 3. LOTHARII IMP. 10. MICHAELIS IMP. 8.

Saracenorum consilium de urbis deprædatione.

1. De Romana tuenda urbe sollicitum fuisse Leonem quartum, & suburbia, ac præcipue basilicam Principis Apostolorum muris clausisse anno proximo diximus, provido sane consilio, ne iterum vel Apostolorum Principis basilica, vel urbs ipsa Saracenorum depredationibus, exposita esset, qui excursionibus deprædationibusque assueti, Mediterraneum, quotannis nullo resistente excurrentes, Galliæ, Italiæquæ littoribus infesti ubique erant. Cumque anno 846., suburbia urbis, & præcipue basilicam Apostolorum Principis, penitus diripuissent, de tentanda iterum urbe, audaciores jam facti, consilium inierant, ut sub indictione 12. his verbis narrat Anastasius. *Quamobrem Saraceni, pristinum reminiscentes lucrum, vel prædam quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu, multisque cum navibus ad expugnandam urbem Romanam duodecima indictione vigente venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco, qui Togatum dicitur juxta insulam Sardiniæ demorati sunt, a qua digressi Romanum portum, Deo illos non adiuvante inire conati sunt, quorum iniquus & nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit:* Sua tamen spe frustrat os fuisse subdit. *Excitavit Deus omnium Neapolitanor um Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere, & dimicare fortiter debuissent. Mox etenim e locis propriis egressi contra Saracenos inutiles, ipsi cum suis navibus conjunxerunt: suumque repente adventum beatissimo Leoni Quarto Pontifici notum fecerunt, & quod ob nullam rem se venisse aliam sunt professi, nisi ut de Paganis, Domino auxiliante, victores existerent. Tunc demum venerabilis Papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens adeo specialiter scire, si eorum pacificus esset adventus, vel non, sicuti & factum est. Inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, nomine Cæsarius advenit. Quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens, causam pro qua advenerant, inquisivit Illi autem ob aliud non se venire testati sunt, nisi ob hoc*

JESU CHR. AN. 848. *quod superius legitur exaratum. Quorum pius Apostolicus credens verbis, cum magno armatorum procinctu mox in civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi & eximia devotione suscepit. Qui ut summum Præsulem conspexerunt, pedes ejus humi prostrati venerabiliter sunt osculati, gratiasque omnipotenti Deo altithrono retulerunt quia ad se confortandos talem dirigere decrevisset Antistitem. Qui ut meliores de filiis Belial victores existerent, summopere eum deprecati sunt, ut de suis sacris manibus Corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo Pontifex Missam in Ecclesia beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus, communionem sumpserunt. Et antequam hæc fierent, usque ad præcipuis simul cum ipsis Neapolitanis, Christo adjuvante, profectus est. In qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus sanctis ipsos Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur. Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit, dicens. Deus, cujus dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, atque B. Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos sanctæ tuæ Ecclesiæ dimicantia omnipotenti dextera tua corroborentur, & convalescant: ut de præcepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, &c. Die vero altera, postquam a jam dicta civitate venerabilis Præsul reversus est: ipsi scelerum socii & participes juxta littus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. Contra quos Neapolitani impetum facientes dimicare fortiter voluerunt, & vulneraverunt aliquantos ex illis, & jam inde triumphum accepissent, nisi unum citius impedimentum accidisset: nam cum in invicem attentius dimicarent: subito tam validus, & vehemens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat. Qui utrorumque navis confestim divisit. Naves Saracenorum veniebant usque ad oram maris; deinde vento flante, mareque elevato procellis dispergebantur: & iterum post aliquantum confractis viribus revertebantur. Dominus enim omnipotens (ut pro certo credimus) hunc ex thesauro produxit ventum,*

qui

qui ad nocendum foras minime permitteret illis exire &c. JESU CHR. AN. 849.

2. His addit Anastasius Saracenorum plurimos fame, vel gladio perisse. *Ceteros autem veritatis causa ac testimonii vivos comprehendentes Romam duxerunt, quorum Romani proceres, ne nimis multiplicatus eorum numerus videretur, multos prope portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt, aliquantos vero ferro constrictos vivere jussimus pro hac solummodo causa, ut spem nostram, quam in Domino habemus, & ejus ineffabilem pietatem, nec non & propriam tyrannidem ipsi scire valerent, qui post hæc ne otiose & sine angustia apud nos viverent, aliquando ad murum, quem circa ecclesiam B. Petri habebamus incœptum, aliquando per diversa opificum opera, quidquid necessarium videbatur per eos onera deferri jubebamus.* Hucusque de his Anastasius, eademque sua ætate renovata fuisse adnotat Baronius suisque oculis, Mauhumetanorum scilicet turmas, in edificatione murorum ambientium Basilicam Vaticanam, se vidisse narrat. Cum videlicet insigni de Turris navali obtenta victoria, captivorum plurimi ad Pium quintum tanti fœderis auctorem, in victoriæ signum missi sunt, quorum operam idem Pontifex ad opus, quod præcessor ejus Pius quartus inchoaverat, adhibuit, *Vidi inquam* ait Baronius, *& ad istam memoriam revocans illud davidicum exclamavi. Venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis suis super filios hominum.* Et sane mira Dei potentia, & in liberanda ab hostibus urbe indeficiens Sanctorum Apostolorum protectio. Dixerat quippe Romani nominis, & Christianæ religionis inimicus. *Persequar, comprehendam, dividam spolia implebitur anima mea. Evaginabo gladium meum interficiat eos manus mea. Sed Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus &c.* Atque hæc de Saracenorum strage, deque urbis liberatione dicta sufficiant; Cetera ab eodem Leone quarto Pontifice pro ejusdem urbis, vel Romanæ ditionis securitate in Portu Romano gesta, vel in nova extructa urbe ad Centum cellas, quam Leopolim appellari jussit, infra suis annis adnotabimus.

Saraceni victi vel capti.

3. Ad ecclesiastica nunc gesta transimus, atque imprimis se offert Lotharii Imp. epistola ad Leonem quartum data, qua pallium pro Hincmaro Remensi episcopo anno 845.

Lotharii Imp. epistola ad Leo-

or-

JESU CHR. AN. 849.

nem, qua pallium pro Hincmaro petit.

ordinato, petit, quo anno ea scripta fuerit, non constat, cum nulla in ea temporis occurrat nota. At post annos aliquos ab ejusdem ordinatione eam scriptam fuisse non obscure Imperator indicat, atque de Hincmari ordinatione in locum Ebbonis superstitis facta, pluribus agit, quorum hæc summa est. In ea itaque epistola, hæc primum de Romanæ sedis prærogativa, & primatu supra ceteras, Lotharius scribit, *Sedem Apostolicam, quæ per beatissimum Apostolorum Principem in universo orbe, quaque versum religio christiana diffunditur, caput, & fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio Primatum obtinere voluit ecclesiarum, ut in quibuscumque causis, quæstionibus, sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad matrem religionis fontemque recurrerent æquitatis &c.* Quæ hactenus in Ebbonis depositione, ac Hincmari ordinatione gesta fuerant, eidem nota jam fuisse, addit ex relatione tum eidem, cum prædecessori ejus Sergio Papæ facta, quare cum non solum Episcoporum consensu Hincmarus Rhemensis Episcopus electus, & ordinatus fuisset, ejusque ordinationem synodalis etiam sententia confirmasset, cujus acta litteris suis se inseruisse significat, ac addit, *Nunc autem suprascriptus Hincmarus Archiepiscopus, clementiæ nostræ synodalia gesta super confirmatione sui, & restauratione Rhemensis ecclesiæ offerens, petiit magnificentiam nostram, ut a vestra paternitate ei pallium, sicut prædecessores vestri suis largiti sunt, interventu nostro obtineremus. Cujus petitionem rato & absoluto judicio implendam extimavimus præsertim cum gesta synodalia provinciarum Cisalpinarum agnovimus, quæ etiam & antecessori vostro mitti debuerunt, destinanda vobis ipsius cura, decrevimus: quoniam sanctitatem vestram ejus honori consentire decet, cui plenitudinem episcoporum favere cognoscitis &c. Itaque fiducialiter supplicamus*, ait, *& obnixe ex vestra paternitate deposcimus, ut sive memoratus archiepiscopus, per seipsum vestram adierit sanctitatem, sive legatos ecclesiæ suæ direxerit, affabilitatis, & colloquii, familiaritatisque vestræ eis integerrimam copiam non negetis: Sed benignissime tam ipsum, quam etiam suos pro amore nostro tractetis, & quidquid ex vobis competenti ratione poscerit, cum largitione pallii impleatis:* Paulo post alteram ad

ad eumdem Pontificem epistolam idem Lotharius Imp. dedit, quæ aut periit, aut adhuc latet, eaque pro singulari privilegio ab Leone petiit, ut Hincmaro liceret pallio uti etiam ad usum quotidianum, de quibus hæc in historia Remensis ecclesiæ adnotat Frodoardus. *Hincmarus ob sanctitatem, & prudentiam, colendus Imperatoris Lotharii postulatione, a Papa Leone quarto pallium in usum quotidianum accepit, licet ad eum jam unum misisset, quo diebus solemnibus sibi præscriptis uteretur. Hanc ob causam idem Leo Hincmarum sua epistola monuit, se nulli umquam antea Archiepiscopo usum ordinarium, & quotidianum pallii concessisse, nec imposterum ulli umquam concessurum.* Nicolaus tamen Papa post Benedictum, Leonis successor, id Hincmaro crimini tribuit, ac mendacii redarguit, ut suo loco dicturi sumus.

Leonis Papæ epist. ad Prudentium Episc. Tricassinum.

4. Inter Leonis quarti epistolas, una extat Prudentio Tricassino Episcopo inscripta, qua eidem narrat, se ab Abdemaro rogatum fuisse, ut monasterium in honorem B. Petri Apostolorum Principis, & sancti Leonis Papæ, ex rebus, & possessionibus ab Guidone Comite datis extructum, sub Romanæ ecclesiæ potestate, & jurisdictione reciperet. Quare, *jubemus* ait Pontifex, *& hortamur sanctitatem tuam, ut quando ab illius prædicti monachi fueris humilitate postulatus, illuc accedere debeas, & loco, quem vobis significaverit, ipsas illic reliquias supra nominatorum sanctorum, quas a nobis accepit, eo tenore & conditione recondas atque consecras, ut semper & perpetualiter sub jure & potestate sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ jam fatum monasterium consistat, atque permaneat. Sanctitatem tuam Omnipotens Deus incolumem custodiat, frater bene vale.*

Leonis Papæ epist. ad Episcopos Britanniæ.

5. Altera Leonis quarti Papæ extat epistola hoc tempore ad Episcopos minoris Britanniæ data, qua eorum in tuenda ecclesiæ disciplina zelum laudat, ac consultationi eorum respondet, qua scilicet ratione, in Episcopos, vel Presbyteros simoniæ labe infectos, vel ea accusatos judicium ferre deberent. *Quanto studio*, ait Pontifex, *quantaque solertia gregem a vobis a Domino commissum pascitis, divinisque fovetis eduliis, nobis directa scripta referarunt, unde non modica exultatione congratulor, & tantarum ambiguitatum indagatione lætificatus, a timore negligentiæ, qui*

Jesu Chr. an. 849.

qui me illius regionis in infimis deprimebat, quasi a gravi languore relevatus, & utpote sanus, licet omni salute captus, magis animo sospes surrexi, quam corpore &c. post aliqua vero ad eorum interrogationem respondens. *Legationem communem omnium Episcoporum nobis propositam delinquentes requiritis de his, qui turpissimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimescunt, & sua acta improba temeritate Simonis hæresi conjungunt, utrum possint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem, & Sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem convictis qui tam detestabile nefas, quod jam multis est damnatum conciliis, peregisse noscuntur, nulla pœnitentia possumus subvenire, & tot spiritalibus patribus obviare: sed in illorum patrum me sententia convenire omnibus certum sit. Ita tamen ut omnia in conciliis sint episcoporum. Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per 12. episcopos, aut certa probata sententia per 72. idoneos testes, qui tales sint, qui & accusare possint, & prius ad sacri Christi quatuor evangelia sacramenta præstent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester tradidit, & Romana sancta tenere videtur ecclesia.*

Episcoporum appellationes ad Rom. Sedem.

6. His addit, quod si Episcoporum quisquam de crimine accusatus petierit suam causam in præsentia Romanæ sedis audiri. *Nullus super illum finitivam sententiam dare præsumat, sed omnino eum audiri decernimus &c.* Ad ceteras autem quæstiones ab Britanniæ Episcopis sibi propositas respondens Pontifex adnotat primo cleri nomine Episcopos cum ceteris ordinatis clericis intelligi, quod unaquæque parochia Episcoporum curæ commissa est, ut per scriptum, vel Presbyterorum opera eam gubernat. 3. Presbyteros ad synodum vocatos non teneri eulogias deferre, seu munera dare, alioquin vel minus libenter, vel etiam ad synodos venire recusabunt. 4. Sortium usum in judiciis, tamquam maleficium, aut divinationem sub anathematis pœna prohibet. 5. Ut nullus cognatam uxorem ducat. 6. tandem, statuit, ut in ecclesiasticis judiciis, eæ tantum regulæ seu canones locum habeant, quos Romana recipiebat ecclesia, quorum ibidem catalogum inserit. *Deinde si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod mi-*

minime posset per istos finire, tunc si illorum; quorum meministis, dicta Hyeronimi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter sanctorum doctorum similium, reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad Apostolicam sedem referatur de talibus &c.

JESU CHR. AN. 849.

7. His vero sermonem ejusdem Leonis quarti Papæ ex Vaticano Codice erutum, ac libro censuum Romanæ ecclesiæ additum, inseruit Baronius, quem non solum Romano clero inscripsit, sed etiam ceteris præcipue Italiæ, Episcopis, ut eum omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus traderent. Eoque quæ sint Presbyterorum officia, quæve agere, vel cavere deberent, pluribus agit. Hinc post Præfationem subdit. *In primis admonemus, firmiterque præcipimus, ut vita, & conversatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella & habitatio vestra juxta sit ecclesiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas horas surgite, cursum vestrum horis certis decantate, Missarum celebrationes devote peragite, corpus, & sanguinem Domini cum timore & reverentia sumite. Vasa sacra propriis manibus abluite & extergite. Nullus missam cantet solus: nullus ante solis ortum, nisi in nativitate Domini. Nullus cantet eam nisi jejunus. Nullus cantet sine lumine, sine amictu, sine alba, stola, fanone, & casula. Vestimenta nitida sint, & ad nullos alios usus sint. Nullus in alba, quo in suo usu utitur præsumat missas cantare. Nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat missam agere. Nulla femina ad altare Domini accedat, & calicem Domini contingat. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum mundissimis linteis. Super altare nihil ponatur nisi capsæ cum reliquiis Sanctorum, aut forte quatuor sancta Dei evangelia, aut pixis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis: cetera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, & lectionarium, & antiphonarium unaquæque ecclesia habeat. Locus in secretario aut juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit, quando vasa sacra abluuntur, & ibi linteum nitidum cum aqua dependeat, ut ibi sacerdos manus lavet post communionem, Ecclesiæ sint cooperta bene & cameratæ, & atrium sit semper mundatum. Nullus extra Ecclesiam per domos, aut in locis non consecratis missas cantet sine licentia sui Episcopi.*

Sermo S. Leonis Papæ 4. de officiis Presbyterorum.

 Omnis

Jesu Chr. an. 849. *Omnis presbyter clericum habeat scholarem, qui epistolam, vel lectionem legat, & ad missam respondeat, cum quo & psalmos cantet. Nullus cum calcaribus, vel cultellis missam cantet, quia indecens & contra regulas ecclesiæ est. Calicem, & oblatam recta cruce signate, idest non in circulo & variatione digitorum, ut plurimi faciunt, sed districtis duobus digitis & pollice intus recluso, per quos Trinitas annuitur istud signum ✠ recte facere studete: non enim aliter quidquam potestis benedicere &c.* Deinde quanta morum integritate Sacerdotes, & clericos fulgere deceat pluribus exponit, ac qua ratione sacramenta gratis administrare debeant, sancteque vivere edocet ac quæ ab sacris canonibus de vita, honestateque clericorum statuta hactenus fuerant, in unum complectens, ut iis vitam, moresque componerent, hortatur, quæ excribere longum esset.

Neomegius Britanniæ Dux Carolo rebellis.

8. Quem exitum Leonis Pontificis pro Britanniæ ecclesiis sollicitudo habuerit, ignoramus, hoc unum scimus, turbatas tunc fuisse ejusdem provinciæ ecclesias, ex Nomenogii Britanniæ Ducis tyrannide; Jamdiu quippe Britanniæ Duces, Regum Francorum Comites, & beneficiarii, Regium titulum, & auctoritatem usurpaverant, de Neomegio tunc Duce hæc adnotat Annalista Bertinianus ad hunc annum. *Nomenogius Rrito consueta perfidia Andegavis, & vicina eis circumquaque loca invadit*, auctor vero chronici Fontanellæ *Nomenochus tyrannus Britonum ad Andegavis urbem accessit*, de gestis vero ibidem anno sequenti hæc addit. *Lambertus Comes, & Vernarius frater ejus tyrannidem meditantes*, Cenomanenses, & Nannetenses Comites, *a fide defecerant, & Nomenojo tyranno Britonum se conjunxerunt, sed non multo post Varnerius a Gausberto Comite captus est, Regique (scilicet Carolo) præsentatus. Rex Carolus cum exercitu usque ad Redonas Oppidum pervenit, ibique ob custodiam disposuit. Sed eo ab urbe recedente, Nomenogius, & Lambertus cum fidelium copia eamdem urbem oppugnare moliti sunt. Quo metu territi custodes nostri (Franci scilicet) in deditionem venerunt in Britanniamque exiliati sunt.* Paulo post: *Ipsis diebus Amalricus Comes, & alii plures, a Nomenojo Duce Brictonum & Lantberto tyranno, in Nannetis urbe capiuntur. Indeque ad Cinamannis cum indicibili furia pervenerunt, Lantberto tyranno proditore . . . hæc cooperante.*

te. Seniores vero capti in Britanniam directi sunt; reliquis populis inermibus reversis. Tum anno 851. ait. *Lantbertus a Gausberto juvenculo interimitur, & frater ejus Varnarius jussu Regis capitalem exeepit pœnam*, nec diu Nomenii supplicium dilatum est, cum tyrannide sua non solum totam provinciam vexasset, sed etiam ecclesiam tutbasset, quin salubria Episcoporum monita, & ipsius Leonis Papæ admonitionem, & litteras ad se scriptas recipere recusasset, perfidiæ tandem suæ anno 851. meritas dedit pœnas, ut cum Bertiniano Annalista, ceteri Francorum annales narrant. *Nomenojus jubente Deo ab Angelo iniquitatis nonis Maii permissus*, seu percussus, *interiit*: *Carolus quarta vice Britanniam repetens, cum Erispojo filio Nomenoi certamen iniit undecimo Kal. Septemb.*, *partemque exercitus eum Viviano Duce amisit*. Hactenus de Nomenoi tyrannide, ejusque interitu, ne in idem redire anno proximo, & sequenti cogeremur.

JESU CHR. AN. 849.

9. Ut turbatis in Britannia ob Nomenii tyrannidem, & perfidiam, ecclesiis, medelam afferrent Galliarum Episcopi, Parisiis hoc anno synodum celebrarunt. Hanc quidem synodum, cui Landranus Senonensis Metropolita præfuit, ac primus subscripsit, Senonensem Baronius, aliique dixerunt, at Parisiis celebratum fuisse probavit Labbeus, Pagius, Mabillonius, ex quo hæc adnotamus. Locum synodi indicat Fontanellense chronicon, acta vero ea tantum scimus, quæ in synodica epistola ad Nomenojum Britanniæ principem leguntur apud Lupum abbatem ejus epistolæ scriptorem. De qua locus est insignis Audrati Modici in chronico Alberici TriumFontium monachi, qui Senonensis Archiepiscopi Chorepiscopus dicitur. Ipsa chronici verba referre juvabit. *Audradus Chorepiscopus Senonensis de mandato sancti Petri, qui ei in visione apparuit, & de licentia Archiepiscopi sui Venilonis, Romam profectus est anno induciarum quinto*, ex quo scilicet reges fratres simul fœdus inierant, *& libros suos obtulit* quarto Leoni Papæ, qui reverenter eos excepit. *Inde Senonas reversus, Parisios ad concilium evocatus est: & non solum ipse, sed & omnes alii chorepiscopi, qui etiam in Francia erant, in eodem concilio depositi sunt.* Hinc patet, valde imperfecta esse hujus synodi acta, in quibus nihil occurrit de Chorepiscopis, quorum causam paullo

Parisiensis synodus, ejusque epistola ad Nomenium Ducem.

 an-

JESU CHR. AN. 849. ante Rabanus libro singulari defenderat. Post hanc itaque synodum chorepiscoporum vix occurrit mentio.

Parisiensis synodi epistola objurgatoria ad Nomenojum Ducem.

10. Parisiensi synodo Episcopos 22. convenisse ex synodicæ epistolæ inscriptione scimus, ex quibus quatuor Galliarum Metropolitani adfuerunt, Landranus Turonensis synodi præses, Guenilo Senonensis, Hincmarus Remensis, & Paulus Rothomagensis. Ex synodi actis epistola tantum superest ad Nomenium Britanniæ Ducem data, & ab Lupo Ferrariensi Abbate synodi nomine scripta, qua de turbatis in ea provincia ecclesiis, deque vexatis ejectisque Episcopis, ac de spretis Leonis Papæ, & Apostolicæ sedis admonitionibus gravibus his verbis redarguitur, ac ut resipisceret, admonetur. *Dominus quidem Deus occulto, justo tamen judicio permisit esse te rectorem gentis tuæ. In quo tamen regimine qualem te exhibueris, testis est conscientia tua, & amaræ querimoniæ diversarum Ecclesiarum, & afflictiones nobilium, & ignobilium, divitum, & pauperum, viduarum, & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexasti. Sed quia Christianum nomen non penitus abjecisti: & nos ex Apostolica successione debitores sumus omnibus, ut bene agentes ad perseverantiam exhortaremur, delinquentes autem ad pœnitentiam auctoritate divina provocemus: vehementissime tuis excessibus condolemus, & a tuo interitu paterna & Episcopali sollicitudine te cupimus revocare &c.* Quot, quantave ibidem scelera patraverit, rapinasque egerit ibidem commemorant, dum præcipue Romani Pontificis monita, litterasque spreverit, & de Lamberto in suam fidem recepto, qui adversus Carolum Regem rebellaverat, arguunt, unde post plurima. *Monemus te, obsecramus, obtestamurque tuæ salutis cupidi, pone finem malis tuis, convertere ad Dominum, cujus nemo nostrum potest effugere judicium, fac fructus dignos pœnitentiæ &c.* Cui iterum exprobrant, quod litteras, & admonitiones Rom. Pontificis spreverit, aliaque scelera commiserit, ut ibidem, vel apud Baronium videre est. Cumque Parisiensis synodi admonitiones obdurato corde sprevisset Nomenius, biennio post, prædictum ab Episcopis supplicium subiit, uti jam supra adnotavimus.

Carisiaca syno-

11. Parisiensi celebrior fuit synodus altera in Galliis hoc anno celebrata, Carisiaca scilicet. in qua Gothescalchi

chi causa tractata, ac judicata est, *Kal. Maii*, *indict.* 12. *anno nono Caroli actum Carisiaci Palatio Regio*, ut adnotat ad hunc annum Mansius, ex præcepto Caroli Calvi pro Turonensi ecclesia a Martenio edito tom. 1. pag. 118., ac labente hoc anno eamdem celebratam fuisse narrat Annalista Bertinianus, gestaque ibidem summatim, fusius hic recolenda putamus quippe cum hujusmodi controversia non graves modo hoc tempore in Gallia turbas excitaverit, aliis Gothescalcum defendentibus, aliis ab omni prorsus errore vindicantibus, sed recentiore etiam memoria, Theologorum Criticorumque ingenium exercuerit. De synodo Carisiaca Hincmarus ipse audiatur, inter Gothescalchi adversarios, dignitate, & potentia præcipuus. *In synodali conventu in Carisiaco Palatio, iterum auditus Gothescalcus*, post Moguntinam synodum *anni elapsi*, *ab Episcopis, & ceteris quamplurimis viris ecclesiasticis atque religiosis, qui eidem synodo interfuerunt sicut & in Moguntina civitate, inventus hæreticus, atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Rigboldum Chorepiscopum, cum esset Suessonicæ parochiæ monachus, inscio civitatis suæ Episcopo, usurpaverat potius quam acceperat, abjectus, & pro sua irrevocabili contumacia, secundum leges, & Agathenses canones, & regulam sancti Benedicti, ut improbus virgis cæsus, sicut decreverant Germaniæ provinciarum Episcopi, ne aliis noceret qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est reclusus.* Hæc Hincmarus; Synodalis autem Episcoporum sententia adversus Gothescalcum lata hæc est. *Frater Gothescbalce, sacrosanctum sacerdotalis ministeri officium, quod irregulariter usurpasti, & in cunctis moribus ac pravis actibus, atque perversis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus sancti, cujus gratiæ munus est sacerdotale officium, per virtutem Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne ulterius eo fungi præsumas penitus interdictum. Insuper quia & ecclesiastica, & civilia negotia contra propositum, & nomen monachi conturbare, contemnens jura ecclesiastica, præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi, auctoritate Episcopali decernimus: & ut de cetero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori*

Jesu Chr. an. 849. Gothescalcum flagellatum Sacerdotio privat.

Jesu Chr. an. 849.

ori tuo virtute æterni Verbi imponimus. Cur ab hac synodo abfuerit Lupus Ferrariensis Abbas, qui ceteris adesse solebat: ratio inpromptu est, quod scilicet cum Hincmaro in his non conveniret, ut ejusdem de tribus quæstionibus liber indicat, de quo infra, quamquam Gothescalco non eousque favebat, ut ejusdem inopportunam loquacitatem, ac disputandi pruriginem probaret, quare interrogatus ab eo, an Beati oculis corporis post resurrectionem Deum visuri essent, post plura, ipsum admonet. *Ut nequaquam ultra in talibus ingenium suum conterat, ne his ultra quam oportet intentus, ad utiliora investiganda sive docenda minus sufficiat*. Quibus si uti par erat, paruisset Gothescalcus, in eas sane angustias non incidisset, quas Carisiacæ synodi sententia declarat, latiusque ex dicendis infra patebunt.

Capitula adversus Gothescalcum vulgata.

12. Tria, vel quatuor capitula ab hac Carisiaca synodo adversus Gothescalcum edita, & in altera Carisiaca quadriennio post confirmata, multis deinde quæstionibus occasionem dederunt. Horum hæc summa. Primum, *Quod una tantum sit prædestinatio, scilicet ad vitam æternam, nulla ad interitum*. 2. *Quod liberum arbitrium per gratiam ad bonum habeamus, & ad malum desertum a gratia*. 3. *Quod Deus omnes homines sine exceptione vult salvos fieri licet non omnes salventur*. 4. *Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit, licet non omnes ejus passione liberentur*. Gothescalco damnato Hincmarus, Prudentio Trecensi Episcopo, qui a Synodo Carisiaca abfuerat, litteras dedit, *significans* (apud Flodoardum lib. 3. cap. 22.) *se ab eo consilium quærere velle de statu, & compressione Gothescalci, intimans quod de ipso actum, vel judicatum fuerat in synodo, quo eum reclusum tenebat judicio, & quia multismodis eum converti tentaverit, & de moribus, ac superbia ipsius: & si in cœna Domini, vel in Pascha debeat illum admittere ad audiendum sacrum officium, vel accipiendam communionem*. Atque hic cum Card. Norisio, (in Hist. Gothescalc. Synopsi, cap. 1.) et Natalis Alexandri Scholiaste Constantino Roncaglia (ad Diss. 5. Sec. 9.) adnotamus Gothescalcum in Maguntino, Carisiacoque conventu ut Hæreticum fuisse damnatum; Hincmarum vero illum Hæreticum appellare non ausisse nec uti Hæreticum habuisse. Haud enim dubitari poterat, hominem Hæreseos damnatum. & fidelium communio-

nione recisum feriis illis Paschalibus ad divina officia, sacramque Communionem admittendum prorsus non esse. Prudentii ejusdem fortasse consilio humanius etiam cum Gothescalco Hincmarus egit, eique scribendæ confessionis fidei potestatem fecit, sperans fore, ut errorem suum retractaret. Duplicem itaque Gothescalcus confessionem edidit, breviorem unam, prolixam alteram. In breviori, prædestinationem impiorum ad mortem æternam propter ipsorum mala merita certissime præscita propugnat, sicut prædestinationem gratuitam electorum ad vitam: *Credo*, inquit, *& confiteor Deum omnipotentem & incommutabilem præscisse, & prædestinasse Angelos sanctos, & homines electos ad vitam gratis æternam: & ipsum Diabolum caput omnium dæmonioram cum omnibus Angelis suis Apostaticis, & cum ipsis quoque hominibus reprobis, membris videlicet suis, propter præscita certissime ipsorum propria futura mala merita, prædestinasse pariter, per justissimum judicium suum, in mortem merito sempiternam*. Verum hac fidei professione Hincmaro, aliisque minime satisfecit, timentibus ne errorem suum de Prædestinatione reproborum ad culpam, fraudulenter dissimularet, quod revera aliorum Hæreticornm exemplo fecisse Natalis Alexander (Seculo 9. Dissertatione 5.) aliique affirmarunt. Jesu Chr. an. 849.

13. Quæ a Gothescalco contra Catholicam fidem propugnari Hiucmaro, aliisque videbantur, ita Hincmarus, epistola 17. ad Nicolaum PP. tom. 2. oper. pag. 263. distincte recenset. *Dicit quod & veteres prædestinatiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinavit ad mortem æternam. Dicit quod & veteres prædestiatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur, omnes autem salvari quoscumque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur; quoniam si non omnes salvantur, quos vult Deus salvos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit: & si vult quod non potest, non omnipotens, sed infirmus est. Est autem omnipotens: qui fecit quodcumque voluit, dicente Scriptura*: *Psal.* 134. 6. *omnia quæcumque voluit fecit Dominus in cœlo, & in terra &c. Dicit quod & veteres prædestinatiani dixerunt, quod non pro totius mundi redemptione, id* Hincmari epist. ad Nicolaum de Gothescalchi erroribus.

Jesu Chr. an. 849. *id est, non pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantum pro his qui salvantur. Dicit quoquo modo, dispari traditione, sed pari errore, quod & veteres prædestinatiani dixerunt, exponens sententiam Apostoli Petri, eum qui emit eos negantes. Baptismi, inquit, Sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque Sanguinem fudit.*

Amolonis Lugdun. Episc. epist. ad Gothescalcum.

14. Hactenus Hincmarus, cui ut ceteros prætermittam, plane consentit, in epistola ad Gothescalcum, quam ex Trevirensis S. Maximini Bibliotheca primum edidit Sirmondus, Amolo Lugdunensis Archiepiscopus; qui hæc præterea addit, non ad Dogma fidei, sed ad Gothescalci mores pertinentia. *Septimo loco*, inquit, *duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimum displicuerunt. Unum, quod Sacerdotes Dei*, & *rectores ecclesiarum, tantis injuriis, & conviţiis, & maledictis laceras; tanto despectu, & contumacia conculcas. utique spiritu erroris & superbiæ miserabiliter deceptus, ut omnino nihil Christianæ patientiæ, nihil christianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cetera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resistunt hæreticos appellare non metuis, eosque a bono & erudito viro atque catholico Episcopo Rhabanicos nuncupare præsumis. Os tuum maledictione & amaritudine plenum est, & conversus in arcum pravum, non pro Domino, ut putas, sed ecclesiam matrem tuam, ejusque Præsules, Patresque, sacrilega audacia contemneri, adversus Dominum jacularis. Alterum vero malum est in moribus tuis, quod in omnibus, quæ dicis & sentis, sicut scriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie & humiliter deprecaris, nullius te sensui & auctoritati sumitis: nec dicis, quod sæpe solet & debet pietas dicere: obsecro bone vir, aut bone frater, si in his quæ dico aliqualiter erro, ferte infirmitatam meam, instruito ignorantiam meam, & probatis obedientiam meam, quia paratus ero libenter suscipere quicquid veritas dignabitur declarare. Sed ita te sensui tuo credis, & in ipsa veritate speculari & contemplari gloriaris, ut in scriptis tuis, nec Deo ipsi supplices, ut tibi quod melius est revelet*; quam porro hæc vere scripserit Amolo, ex Remigio viro sanctissimo atque doctissimo cognoscimus, qui etsi

etsi Gothescalco patrocinaretur, in libro de tribus epistolis quæstionem, de præscientia, & prædestinatione divina ita concludit: *quapropter etsi illius miserabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo divina neganda est veritas*. Et sane in prolixiori sua confessione Gothescalcus, petulanter quidem in Judices suos debacchatus, *si* inquit, *attrita fronte, ac sine ullo permanente pudore, in falsitate malunt persistere, quam recedere a tanto, ut oportuerat, errore, viderint ipsi quo se perditi vertant. Te precor, Domine Deus, gratis ecclesiam tuam custodias, ne sua diutius eam falsitate pervertant, hæreseosque suæ, pestifera de reliquo pravitate, subvertant, licet se, suosque secum lugubriter evertant. Ego vero gratis edoctus ab ipsa veritate .... hic evidenter expressum de prædestinatione tua fidem catholicam fortiter teneo, veraciter patenterque defendo, & quæcumque contraria dogmatizare cognosco, tamquam pestem fugio, & tamquam hæreticum abjicio ... Porro conflictum cujuslibet eorum, si semel his lectis, & intellectis cedere noluerit, & instar Pharaonis induratus, hæretico videlicet more, tam manifestæ veritati acquiescere contempserit, secundum consilium, vel potius prædecessorum Apostoli, jam mihi vitandum censeo*. Dein ut sibi eos publice in Conventu vel Synodo refutare liceret vehementer postulat. *Propter minus peritos, & ob id ab eos inlectos, & nisi corrigantur, perditos, optarem publicum, si tibi Domine placeret, fieri conventum: quatenus adstructa palam veritate, & destructa funditus falsitate gratias ageremus communiter tibi*. Immo id se maxime optare affirmat, ut coram Rege, frequentique Pontificum, Sacerdotum, ac monachorum cœtu. *Quatuor doliis uno post unum positis, atque ferventi singillatim repletis, aqua, oleo pingui, & pice, & ad ultimum accenso copiosissimo igne, liceret sibi in singula introire, & ita per singula transire, donec Deo dexteram præbente, valeret sospes exire*. Quod Rhabanus, in epistola ad Hincmarum, magis ex elatione cordis, quam ex constantia fidei prolatum esse merito affirmat. Ceterum quæ Hincmarus, aliique plurimi fidei adversa, alii contra pietatis doctrinæque laude florentes catholica prorsus judicabant, editisque publice libris, summo studio propugnanda susceperunt, professi se non tam Gothescalci, quam

Jesu Chr. an. 849. S. Hipponensium Præsulis Augustini doctrinam tueri, quare Prudentius Trecensis Episcopus in Præfatione libelli quem pro Gothescalco ipsimet Hincmaro, & Pardulo inscripsit, *hoc primum*, inquit, *vestram sinceritatem moneo, & postulo, ut doctrinam Beatissimi P. Augustini absque ulla dubitatione undequaque doctissimi, sanctarum scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam, quippe nullus Doctorum abstrusa earum scrupolosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit, vestri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis*. S. Remigius quoque, libro de tenenda veritate Scripturæ confidenter affirmat, *in omnibus Gothescalci sensibus & veram omnino, & salubrem intelligentiam esse cum B. Augustini ab omni semper ecclesia venerabiliter recepti, & usque in finem seculi recipiendi sensum fuisse sequutum. Cujus veridicum sensum non oportuit sub persona alicujus hominis a catholicis Dei Sacerdotibus condemnari; ne jure non iste qui errare putatur, sed ille potius, cujus auctoritatem sequitur, hæreticus esse judicetur*. Et iterum: *videtur nobis sine dubio, quod illa, quæ de divina prædestinatione dixit, juxta regulam catholicæ fidei vera sint, & a veridicis Patribus manifestissime confirmata, nec ab ullo penitus nostrum, qui Catholicus haberi vult, respuenda, sive damnanda. Et ideo in hac re dolemus non hunc miserabilem, sed ecclesiasticam veritatem esse damnatam*. Eadem patrum, nostraque memoria, illustriorum virorum sententia fuit. Sed hæc, ut verbis utar Mabillonii extra meas metas, Gothescalci doctrina an fuerit sana, nec ne, hic non disputo. Certe Gothescalcus paulo jactantior, & audacior fuisse videtur; & si animum tantisper continuisset, melius famæ, melius saluti suæ consuluisset. Quod vero ad Hincmarum pertinet, etsi cetera deessent, ejus ingenium aperte declarant Nicolai I. Romani Pontificis epistolæ, & gesta adversus Rothadum Episcopum, Vulfadum & socios, Hincmarumque Laudunensem Episcopum Nepotem suum, de quibus suo loco & tempore: altera præterea de trina Deitate dissensio ipsi cum Gothescalco intercessit. Jusserat Hincmarus, ut in fine hymni de pluribus Martyribus, delerentur hæc verba *Te trina Deitas*, ne tres Dii induci viderentur. Innovationem impro-

ba-

bavit Ratramnus, editoque volumine Hildegario Meldensi Episcopo inscripto, ex pluribus SS. Hilarii, & Augustini testimoniis contexto, versiculum more solito canendum esse contendit. Neque siluit Gothescalcus, qui hæc audiens scripta Schedula propugnavit, nihil catholicæ fidei adversum vetitis ab Hincmaro verbis contineri. Hincmarus vero ob eam rem indignatus Gothescalci Schedulam ingenti volumine refutans, ipsum veluti, triplicis Divinitatis assertorem traduxit, tametsi hanc consecutionem Gothescalcum diligenter a se amoliri conatus esset, pluries professus verba *te Trina Deitas* ad personas referri, Hincmarus tamen quibuslibet, vetitum abs se carmen tuerentur, blasphemiæ notam inussit, ac vindictam canonicam minatus est; verbera nimirum, uti ipsemet prodit, gradus privationem, Corporis & Sanguinis Christi separationem, exilii, vel ergastuli relegationem; cum tamen multo antea hæc tempora versiculum illum ecclesia comprobasset, in irritum cessit Hincmari conatus, eoque adhuc utitur ecclesia in Hymno matutino in festo Corporis Christi canens: *Te trina Deitas, unaque poscimus.*

Saracenorum, & Normannorum irruptiones.

15. Hoc etiam anno Italia, & in Gallia Saracenorum, & Normanorum irruptionibus vexatæ sunt, de quibus hæc narrat Annalista Bertinianus. *Normanni Petrocorium Aquitaniæ civitatem populantur, atque impune ad naves remeant. Mauri & Saraceni Lunam Italiæ civitatem adprædantes, nullo obsistente, maritima omnia usque ad Provinciam devastant. Carolus filius Pippini relicto Hlotario fratrem suum Pipinum in Aquitania vagantem adire cupiens, a fidelibus Caroli Regis comprehensus est, & ad ejus præsentiam perductus. Qui merito perfidiæ in eumdem patruum suum, & patrem ex fonte sacro, sententiam quidem capitalem meruerat, sed clementiæ respectu servatus est. Unde & mense Junio apud Urbem Carnutum Carolo Rege conventum habente, post Missarum solemnia, ambonem Ecclesiæ conscendens innotuit omnibus voce propria, se ob divinæ servitutis amorem Clericum nullo cogente velle fieri. Ibique ab Episcopis, qui præsentes aderant, benedictus, & ad clericum tonsus est.* De Carnutensi conventu agens auctor chronici Fontanellis eadem fere comfirmat, ac addit *Carolus prædicti Pippini fruter tonsuratur, & in monasterio Corbejensi continuo dirigitur.*

JESU CHR. AN. 849.

Ludovicus 2. Imperio ab Lothario sociatur.

16. Lotharius interea Augustus cum jam Ludovicum filiorum suorum maximum Italiæ Regem anno 844. dixisset, hoc anno Augustum Imperiique consortem declaravit, eumdemque anno proximo 750. a Leone quarto inunctum, & coronatum fuisse Annales Bertiniani testantur.

Valefridi Strabonis Abbatis Obitus, & opera.

17. Mortuus est hoc anno Valafridus, Strabo dictus, ex Monacho S. Galli Abbas Augiæ divitis in diœcesi Constantiensi, & quidem die 15. Augusti, quo die in Necrologio S. Galli ejus memoria recolitur. Hic porro non solum pietate, sed scriptis etiam claruit, vitam scilicet sancti Ahmari Abbatis scripsit, & prosaicum libellum de visione Vetini monachi, quem versibus reddidit hortatu Grimoldi Archicapellani. De gestis etiam prosa & versibus sancti Galli scribere agressus, metricum opus imperfectum reliquit, quod Ermerico absolvendum commissum est, ut idem Ermericus adnotat in præfatione; librum quoque de rebus ecclesiasticis scripsit Valafridus, & carmen de vita sancti Mammæ, aliud de sancto Mauricio martyre Agaunensi, varia carmina ad diversos inscripta, plura certe scripturus, nisi immatura morte, anno ætatis suæ 42. e vivis ereptus fuisset, de quibus plura apud Dupinium, Caveum, Ordinum, & præcipue apud auctores historiæ litterariæ Galliæ videri possunt, tom. 5. pag. 59. ad 77.

Visthanus regius occiditur.


18. Hoc quoque anno in Anglia occisus est Visthenus, filius *Vimundi, filii Visslasii Merciorum Regis, & Elfedæ filiæ Celulphi, qui fuit patruus Kenelmi* ait Malesburiensis pag. 88. a Berferto, vere Berculphi, filio regnandi ambitione moto, eum in vigilia Pentecostes occisum fuisse narrant Anglorum annales, quem pro seculi consuetudine, tamquam martyrem loci illius gentes venerati sunt, nec miracula ad ejusdem tumulum defuisse adnotant.

S. Helenæ reliquiæ in Galliastranslatæ.

19. Præterea S. Helenæ matris Constantini magni reliquias ex basilica S. Crucis in Jerusalem Romæ furtim sublatas fuisse narrat Sigebertus in chronico, seu, ut adnotat Mabillonius, in quibusdam Sigeberti Codicibus legitur: Hanc translationem procurasse dicitur, *Tetgisus Presbyter ecclesiæ Remensis*, quem alii monachum fuisse scribunt, & in Altivillarensi monasterio condidisse. Cumque de earumdem veritate nonnulli dubitarent, triduano præmisso jejunio Thetgisus, in ferventem aquam ingressus, ex eaque illæsus egres-

egressus veritatem confirmavit, idemque tres ejusdem monasterii fratres Romam ad id missi, confirmarunt, uti pluribus narrat Flodoardus in historia Remensi lib. 2. cap. 8. & ex eo ceteri recentiores. Nihilhominus quæstio adhuc non solum inter Latinos, & Græcos de corpore Helenæ perseverat ait Baronius, sed etiam inter Italos, & Gallos, cum ejusdem Helenæ, Constantini matris reliquias tum Romani, cum Veneti possidere glorientur, quarum fortasse pars aliqua penes quoscumque extat. JESU CHR. AN. 849.

FINIS.



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO DECIMOSEPTIMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

An-

B

C

a Ca-

F

G

Har-

K

L

Mi-

T

V





Typographi incuria factum est, ut per totum hoc volumen, Sanctorum Patrum, ceterorumque scriptorum loca per singulos annos in historiæ elucidationem relata præterirentur; ne tamen omnino locorum citationes desiderarentur, ad voluminis calcem easdem inseruimus, paginis indicatis, ut sic saltem justæ lectorum curiositati fieret satis.

Pag. 1. Labb. Concil. T. 7. p. 1206.
3 Theoph. p. 419.
5 Theoph. p. 421. 422.
7 Porphyrog. hist. lib. 1. num. 5. & Theoph. p. 421.
8 Theoph. p. 423. & Cod. Carol. T. 2. p. 72.
11 Baluz. Capitul. T. 1. p. 484.
12 Mabill. T. 1. p. 21. T. 4. p. 317. & T. 3. p. 1.
13 Baluz. T. 1. 490. ad 450.
14 Mabill. Annal. lib. 27. T. 2. p. 394.
15 Theoph. p. 424. & seq.
17 Theoph. p. 430. 431.
18 Sup. p. 427.
20 Sup. p. 1.
21 Sup. p. 3. & Cod. Carol. T. 2. p. 76.
24 Labb. Concil. T. 7. p. 1140. ad 1290.
25 Sup. p. 1239.
26 Sup. p. 1287. Baluz. Capitul. T. 1. p. 501.
27 Sup. T. 1. p. 993. Capitul. lib. 6. num. 379.
28 Evagr. hist. lib. 4. c. 36.
34 Mabill. Annal. T. 2. p. 412.
35 Baluz. Capitul. T. 1. p. 515. ad 534.
38 Mabill. Mus. Ital. T. 1. p. 54. Annal. T. 2. p. 410.
39 Mabill. Annal. lib. 27. n. 26. 28. & 29. & Theoph. p. 434.
41 Theoph. p. 436. & 437.
43 Concil. Labb. T. 7. p. 1290.
45 Theoph. p. 440.
47 Sup. 446.
50 Theodori vita apud Sirmond. op. T. 5. lib. 2. epist. 2.

Pag. 51 Sup. lib. 2. epist. 18. & 4. & Theoph. p. 441.
52 Sup. lib. 2. epist. 15.
54 Sup. lib. 2. epist. 1.
56 Baron. Annal. an. 814. n. 41. & Theodori, epist. 8. & 5. apud Sirmond.
57 Baluz. Capitul. T. 1. pag. 550. & 570.
60 Murat. Script. Rer. Italic. T. 2. p. 1. & Mabill. Annal. lib. 28. n. 23.
61 Anast. Bibl. T. 1. p. 314. & Baron. an. 816. n. 56. ad 96.
62 Alemanni de Pariet. Lateranen. c. 10.
63 Anast. p. 314.
65 Pagi not. 10. ad ann. 816.
66 Labb. Concil. T. 7. p. 1479. & Baluz. Capitul. T. 1. p. 564.
67 Sup. p. 1308.
68 Mabill. lib. 28. n. 52. & Hist. Letter. de la France T. 4. p. 538.
69 Labb. Concil. T. 7. p. 1406. 1437. & Baluz. Capitul. T. 1. p. 554.
71 Petrus Dam. Opusc. 24.
72 Vilkins Concil. Britan. T. 1. p. 169. & Labb. Concil. T. 7. p. 1484.
74 Theodori Stud. apud Sirmond. lib. 2. epist. 9. & 10.
75 Sirmondi T. 5. p. 51.
76 Theodori Vita apud Sirmond. p. 54. & Combes T. 1. supplem. Biblioth. Græcæ.
78 Sirmond. Epist. Theodori 11. 20. & 32. & p. 470. epist. 49.
79 Sup. Epist. Theod. 59. & 21.
82 Anastas. p. 317.
83 Leo Ostiens. lib. 1. 16.
84 Baluz. Capitul. T. 1. pag. 579. & 590.

86 Mabill. Acta SS. T. 5. Annal. lib. 28. passim & Histoire Letter. de la France T. 4.
88 Mabill. ut sup. & Baluz. Tom. 1. p. 574.
90 Leo Ostiens. lib. 1. 28. & Gratian. Decret. distint. 63.
91 Cennius Cod. Carol. T. 2. p. 83. & 124. Georg. apud Baron. T. 13. p. 625. seqq. Murat. an. 817. & Pagin. 7. an. 817. Baluz. T. 1. p. 442.
92 Mabill. Annal. lib. 28. p. 426. & Sirmond. lib. 2. epist. 87. Theodor. studit. & 12. 14. 15.
93 Sirmond. T. 5. epist. 16. & 17. lib. 2. epist. 13. & 121.
95 Constant. Porhirog. Chronogr. lib. 1. n. 20. & Bolland. V. S. Niceph. 13. Martii n. 80.
97 Murat. Rer. Ital. T. 2. part. 1. p. 220. ejusd. Antiq. Italic. dissert. 2.
98 Mabill. Annal. in append. T. 2. p. 740. & Histoir. Letter. de la France T. 4. p. 461.
99 Labb. Concil. T. 7. p. 1138. & 1856. & Leo Ostiens. Chronic. Cassin. lib. 1. p. 18. Annal. Mab. lib. 28. p. 447.
100 Sirmond. lib. 2. epist. Theodor. Stud. 66. 44. & 56.
101 Sup. Epist. 55. 61. & 100.
102 Sup. Epist. 58. & 37.
103 Anastas. T. 1. p. 320.
104 Sup. p. 321. & Mabill. Annal. lib. 28. p. 443.
105 Balus. Capitul. Tom. 1. p. 598. ad 620.
109 Sirmond. lib. 2. epist. 38. Theodor. Studit.
111 Sup. Epist. 61. & 63. p. 485.
112 Sup. Epist. 63. Ignat. Vita Theodor. num. 72.
114 Sirmondi Op. T. 5. p. 62.
115 Sup. lib. 2. epist. 71.
116 Sup. Epist. 21.
117 Porphyrog. Constant. lib. 1. n. 21.
119 lib. 2. n. 1. & Pagi not. 10. an. 810. & Theoph. pag. 448.
120 Agobard. Op. T. 1. p. 107. & 301. & apud Murat. rer. Italic. T. 2. part. 2.
121 Bajlet die 25. Martii, & apud Tillem. T. 2. p. 98. & 513.
124 Ughel. Ital. sacr. T. 4. Duchesne, T. 3. p. 336. Mabill. Acta SS. secul. 1. n. 13. & Histoire Letter. de la France T. 4. p. 461.
125 Sirmond. Op. T. 2. Labb. Concil. T. 7. p. 113. & 1853. Baluz. Miscell. T. 7.
126 Labb. Concil. T. 7. p. 1519.
127 Baluz. capituli T. 1. p. 622.
128 Fortunat. lib. 8. com- de virgin. ibid. Anast. T. 1. p. 323.
132 Lib. 2. Epist. 73. p. 133. ep. 74. 80.
134 Theodori vita n. 102. seq. p. 64.
135 Constant. Porphyrog. lib. 2. 8. pag. 136. lib. 2. epist. 86.
137 Lib. 2. epist. 79. p. 138. Eulog. Mem. SS. lib. 2. 8.
139 Pag. an. 821. 19. ibid. lib. 2. p. 88.
140 Porphyrog. lib. 2. 10. ibid. Leo gramm. apud Theoph. p. 448.
141 Theodori vita p. 73. & lib. 2. Epist. 90. & 106.
143 Thegan. cap. 24. ibid. Daniel hist. Franc. T. 1. p. 580.
145 Pagi, Mansi, Mabill. Annali lib. 29. n. 26. & pag. 472. ibid. Rabani vita Mabill. acta T. 6. Hist. letter. Franc. T. 5. p. 155. p. 146. hist. litter. Franc. T. 5. 23. seq.
147 Martene collect. monument. T. 9.
148 Bolland. 2. Januarii Mabill secul. 4. part. 1. Hist. litter. Franc. T. 4. p. 485. seq. Dacheri epicileg. T. 4.
149 Mabill. Annal. lib. 29. n. 38. p. 478. ibid. Theoph. p. 448.
150 Theod. Epist. 129. & 199. p. 152.

Theod.

Theod. epist. 127.
153 Porphyrog. lib.2.7. Theod. epist. 204.
154 Theod. epist. 181. lib. 2. p. 155. Mabill. acta ord.Bened.secul. 4. p.513. p. 156. Anast. T. 1. p. 319.
158 Agobardus de dispens. rer. eccles. cap. 5. seqq.
158 Baluz. Capitul. T. 1. p. 631.
160 Mabill. Annal. lib. 28. n. 38. ibid. Mabill. act. ord. Bened. T. 5. Petius Anecd. T. 1.
161 Mabill. Annal. lib. 29. n. 66. Acta ord. Bened. T. 5.
162 Anast. p. 317. Murat. Pag. hoc anno.
163 Holstenii collectio part. 2.
165 Anast. T. 1. p. 332. ibid. Murat rer. Ital. T. 1. part. 2.
167 Ermoldus Nigellus lib. 4. apud Murat. rer.Itali.T.2.part. 2. ibid. hist. litter. Franc. T. 4. p. 520.
172 Gregor. homil. 24. in Lucam.
173 Apud Caveum hist. litter. T. 1. p. 226.
180 Harduin concil. T. 4. p. 1258.
180 Labb. concil. T. 7. p. 1648.
185 Theod. epist. 171. lib. 2. & 116. 138. 166.
186 Baron. an. 825. 56. p. 187. Hist. litt. Gall. T. 5. p. 223. & 256.
188 Biblioth. PP. T. 14. p. 190. Lupi epist. ad Jonam 27. & 4.
191 Caveus hist. litt. T. 2. p. 16. Odin de script. eccles. T. 2.
191 Labb. concil. T. 8. p. 103.
195 Baluz. capitul. T. 1. p. 647.
197 Hist. litt. Gall T. 6. p. 173. Bolland. 20. Januarii Mabill. acta secul. 1. part. 1. ibidem Surius Bolland. die 2. Iunii Bar. ann. 826. num. ca. ad 36.
198 Hist. litt. Gall. T.4. p. 559. Mabill. Annal. lib. 29. p. 504.
201 Theod. vita apud Sirmundum T. 5. p. 76. seqq.
202 Derubeis Monum. eccl. Aquilej cap. 46. Madrisius in vita Paulini Aquilej Episc.
206 Anast. T. 1. p. 332. 334. 35. 36.
208 Theoph. p. 448.
209 Murator. Rer. Italic. T. 1. p. 2.
212 Eginh. de trans. SS. M. Petri, & Marcell. lib. 3. c. 11. & 12.
215 Labb. Concil. T. 7. p. 1581.
216 Sup. p. 1590. & Baluz. Capitul. Reg. Franc. T. 1. p. 658.
218 Anast. pag. 336. & Eginh. ut sup. lib. 4. c. 25.
219 Anast. p. 345.
221 Labb. Concil. T. 7. 1595.
223 Sup. p. 1597. & 1655.
224 Sup. p. 1636.
227 Murat. Rev. Italic. T. 1. par. 2. p.152.
228 Murator. Annal. Ital. an. 827. & 829. Antiq. Ital. dissert. 67. & Mabillon. Annal. lib. 30. n. 3. an. 827. & Histor. litt. Franc. T. 4. p.493. Pagi not. 12. in Baron. ad an. 829. Biblioth. PP. T. 14.
229 Marten. collect. T. 6. Mabillou. Annal. T. 3. p. 726.
230 Baluz. Capitul. T. 1. p. 670.
236 Mabill. Annal. T. 3. p. 526. & 736. Murator. Annal. ann. 829.
237 Theoph. p. 449.
241 Sup. p. 450. Bolland. die 4. Nov. & Baluz. Capitul. T. 1. p. 678.
244 Mabill. Act. T. 5. Histoire Litt. de la France T. 4.
246 Mabill. Analect. T. 2. p. 96.
247 Nat. Alex. secul. 9. dissert. 12. Hist. Lett. de la France T. 5. p. 213. & Marten. Collect. T. 9.
248 Mabill. Annal. lib. 30. n. 56. Hist. Lett. de la France T. 5. p. 294.
258 Labb. Conc. T. 7. p. 1870. Coint. Annal. Franc. T. 8. p. 248. de Marca concor. Sacerd. & Imp. lib. 4. 11. Mabill. Annal. lib. 31. p. 557. Pagi not. 5. ad ann. 833.
265 Labb. Concil. T. 7. p. 1686.
267 Mabill. Annal. lib. 31. p. 559.

271 Murator. Rer. Ital. T. 2. part. 1.
273 Labb. Conc. T. 7. p. 1768.
274 Histoir. Lett. de la France T. 5. p. 155. & 181.
276 Sup. T. 4. p. 607. seqq.
280 Mabill. an. 836. lib. 31. p. 576.
281 Labb. Conc. T. 7. p. 1700.
282 Sup. p. 1713.
283 Sup. p. 1728.
284 Mabill. Acta secul. 4. p. 1.
288 Labb. Conc. T. 7. p. 1685. & Vilckins T. 1. p. 176.
289 Labb. sup. p. 1685.
289 Mabill. Acta SS. T. 5. Annal. lib. 31. pag. 570.
290 Baluz. Miscell. & Hist. Lett. Gall. T. 5. Pag. 141.
291 Mabil. Annal. lib. 31. p. 600.
293 Bolland. Surius die 18. Junii.
298 Mabill. Annal. T. 3. lib. 32. p. 613. & Hist. Lett. Gall. T. 4. p. 587.
299 Pagi not. 5. 6. seqq. ad ann. 840. & Labb. Concil. T. 7. p. 1771. atque Mabill. Annal. T. 3. p. 614.
302 Labb. Conc. T. 7. p. 1777. Vilkins. Concil. Magn. Brittann. T. 1. pag. 180. & 181.
303 Nithard. lib. 2. & 3.
304 Labb. Conc. T. 7. p. 1571.
305 Pagi not. 2. ad ann. 839. & Baluz. Miscell. T. 3.
306 Coint. Annal. Franc. ad ann. 836. Hist. Letter. Franc. T. 4. p. 530. & Lupus Epist. 22.
307 Murat. Rer. Italic. T. 2. part. 1. p. 184. & 185.
309 Derubeis Hieron. Hist. Ravenn. lib. 5. p. 239. & Porphyrog. lib. 3. num. 59.
310 Nithard. lib. 3.
312 Hist. Lett. Galliæ T. 5. p. 255. seq.
312 Erchembert. Histor. c. 15. 16. & 17. Murat. Rer. Ital. T. 2. part. 2.
314 Murator. Rer. Ital. T. 2. part. 2. & Curopal. lib. 3. n. 51. Theophan. p. 56. Baron. 842. n. 6. & 7. Porphirog. lib. 4. c. 1.
317 Labb. Concil. T. 7. p. 1778. & Baron. ad an. 842. num. 12. 13.
318 Labb. Concil. T. 7. p. 1780.
319 Baron. ann. 842. n. 29. ad 40.
320 Pagi not. 18. ad ann. sup. & Dorign. Hist. Arab. T. 3. pag. 222. & 223.
322 Duchesn. T. 2.
323 Mabill. Annal. lib. 32. p. 641.
324 Sup. p. 644.
325 Hist. Letter. Galliæ T. 5. p. 20. seqq. & Nat. Alex. secul. 8. dissert. 6. 11., & 13.
327 Baron. an. 843. n. 12. Pag. not. 5. an. sup. & not. 1. an. 844. Anast. p. 348.
328 Anast. T. 1. p. 336. ad 346. 347.
329 Sup. p. 348. Baron. an. 844. n. 1. Pag. ibidem.
330 Anast. p. 350.
332 Sup. p. 351.
333 Cen. Cod. Carol. T. 2. dissert. 2. p. 115.
334 Anast. p. 353.
335 Labb. Concil. T. 7. p. 1800.
336 Marian. de reb. Hispan. lib. 7. cap. 14. Baron. an. 844. n. 17. & Pa. not. 9. ibid.
337 Lup. Ferrariens. Epist. 91.
338 Labb. Concil. T. 7. p. 1800. Baluz. Capitul. T. 2. p. 8.
339 Labb. sup. 1805. Baluz. sup. p. 14.
340 Baluz. sup. p. 26.
342 Porphirog. in Vit. Michael. Imp. n. 14.
343 Pag. not. 19. & 20. ad an. 845. & Labb. Conc. T. 7. p. 1812. atque Flodoard. lib. 3. c. 1. Pag. not. 5. sup.
344 Labb. Conc. T. 7. p. 1813. & 1816.
348 Baluz. Capit. T. 1. in append. Flodoar. hist. Rhemens. lib. 3. p. 40.
351 Bolland. die 15. Januar. & Mabil. Actsec. 4. part. 2. & Annal. ejusd. lib. 33. p. 665.
353 Anast. T. 1. p. 360.
354 Leo Ostiens. Chron. Cassin. lib. 1. c. 29. &

29. & Baluz. Capitul. T. 2. p. 30.
355 Lupus Ferrariens. Epist. 11. & 88.
356 Sup. Epist. 42., & 63.
357 Sup. Epist. 63. 64. & 45.
358 Sup. Epist.55.60.62.75.& 88.Ratram. lib.1. c.1. & 5. Spicileg. T. 1. & 12.
359 Hist. Letter. Gall. T. 5. p. 350. & Mabill. Annal. T. 3. lib. 36. p. 139.
360 Spicileg. T. 7.
361 Sur. Bolland. die 4. Novembris.
362 Anast. p. 347. & 356.
363 Mabill. præfat. ad sec. 5. Ann. n. 107. Anast. p. 358.
364 Anast. p. 359. & Cennius Cod. Carol. T.2. p. 114. diss. 2. & Anas. p.395.
365 Anast. p. 357. seqq. ad. 360.
366 Labb. T. 8. p. 38.
367 Sup. p. 40.
369 Sup. p.51. & Mab. Annal. T.2. p.673.
371 Baluz. Capitul. T. 2. p. 42. & Lup. Ferrar. Epist. 50. & 59.
369 Sup. p. 51. & Mab. Annal. T.2. p.673.
371 Baluz. Capitul. T. 2. p. 42. & Lup. Ferrar. Epist. 50. & 59.
372 Mab. Annal. T. 2. p.677. & Lup.epist. 89.& Pagi.not,17.18.19. ad an.846.
373 Labb. sup. Pagi. not. 24. an. sup.
374 Anas. p. 369. Bar. an. 849. n. 1.
375 Anast. p. 380.
376 Hincmar. de non trina Deitate sect.12. & Mabill. in app. ad T. 2. annal. p. 726. Annal. ejusd. lib. 30. n. 30. atque Histor. Lett. Galliæ T. 5. p.187. Mabill Annal. p. 681.
377 Mabill. Annal. lib.33.n.70. Murat. an. 848. & Nat. Alex. diss.5. de Gothes.
378 Labb. Conc. T. 8. p. 52. & Murat. ad an. 848.
379 Anast. p. 373.
381 Baron. n. 11. an. 849.
382 Labb. Concil. T. 8. p. 32.
383 Frodoard. lib.3.c.9. Labb. ut sup.p.30.
385 Labb. Concil. T. 8. p. 33. Baron. an. 855. n. 21. ad 27.
387 Mabill. Annal. lib. 33. p. 685. n. 80.
388 Lupus Ferrar. Epist. 84. Concil Labb. T. 8. p. 59.
389 Hincmar. lib. de Prædestin. cap. 2. Labb. T. 8. p. 57.
390 Lupus Ferrariens. Epist. 30.
392 Sirmond. op. T.2.Edit.Venet.pag.902.
393 Natal. Alex. sec. 9. diss. 5. §. 5.
394 Sup. sec. 9. §. 9.
395 Hincmar. T. 1. p. 444.

F I N I S.